UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Institutiones Canonicæ Sive Ivs Ecclesiasticvm

Wiestner, Jacob

Monachii, 1706

urn:nbn:de:hbz:466:1-62672

Visual Library

M III Th. 4797
31

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

INSTITVTIONVM CANONICARVM

SIVE

IVRIS ECCLESIASTICI,

PRÆLECTIONIBUS & EXERCITATIONIBUS ACADEMICIS

AD

GREGORII P. IX. DECRETALES

IN

Alma, Catholica & florentissima Studiorum
Generalium Universitate
INGOLSTADIENSI

à

P. JACOBO WIESTNER

Soc. JESU SS. Theologiæ & SS. Canonum Doctore
Jurisque Primario quondam Professore explicati,

LIBER IV.

Adjecto ad finem Operis Rerum ac Verborum Notabilium Indice Generali.

Cum Gratia & Privilegio Sac. Cæsar. Majest. Approbatione Academica Permissuque Superiorum.

Collegii Soc. Jesu Paderborn. A. 1740.

MONACHII,
Sumptibus JOAN. JACOBI REMY Bibliopolæ.
Formis MATHIÆ RIEDEL.

Anno M DCC VI.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

ELENCHVS TITULORUM, Hísque subjectorum ARTICULORUM LIBRI IV. DECRETALIUM.

TITULUS I.

De Sponsalibus & Matrimoniis.

ARTICVLVS I. De Sponsalium Nominis Origine & Significatione. fol. 3.

II. De Sponsalium Contractu. 6.

III. De Sponsalium Obligatione. 19.

IV. De Arrhis & Pœna, Sponsalibus adjecta. 25.

V. De Sponsalium Dissolutione. 32.

VI. De Matrimonij Contractu. 43.

VII. De Matrimonij Sacramento. 51.

VIII. De Matrimonij Impedimentis generatim. 58.

IX. De Valore Conjugiorum, cum Juris Ecclesiastici impedimento initorum ab Hæreticis. 66.

X. De Matrimonio, inito Errore dolóve obtento. 71.

XI. De Matrimonio & Sponsalibus, Metu extortis. 76.

XII. De Justitia publicæ Honestatis. 92.

TITULUS II.

De Desponsatione impuberum.

ART. I. De Ætate, ad Sponsalia & Matrimonium requisita. 97.

II. De Consensu Parentum. 105.

TITULUS III.

De Clandestina Desponsatione.

ART. I. De Matrimonio Clandestino propter defectum Denuntiationum. 110.

II. De Matrimonio Clandestino propter defectum Parochi aut Testium. 114.

III. De Parochi & Testium Qualitate

tate atque Assistentia Matrimoniali. 121.
IV. De Matrimonialis Assistentiæ Commissione. 131.
V. De Matrimonij Clandestini Pœnis. 138.

TITULUS IV.

De Sponsa Duorum.

ART. I. De Matrimonio inito cum duabus. 141.
II. De initis cum duabus Sponsalibus. 147.

TITULUS V.

De Conditionibus, appositis in Desponsatione, vel in aliis Contractibus.

ART. I. De desponsatione sub Conditione Necessaria & Contingente honesta. 151.
II. De Desponsatione sub Conditione Impossibili. 156.
III. De Desponsatione, inita sub Conditione Turpi & Modo. 163.

TITULUS VI.

Qui Clerici & Voventes Matrimonium contrahere possunt.

ART. I. De Ordine Sacro. 170.
II. De Professione Religiosa. 175.
III. De Disparitate Cultûs. 181.
IV. De Continentiæ, Religionis &c. Votis. 184.

TITULUS VII.

De Eo, qui duxit in Matrimonium, quam polluit per Adulterium. 189.

TITULUS VIII.

De Conjugio Leprosorum. 196.

TITULUS IX.

De Conjugio Servorum. 199.

TITULUS X.

De Natis ex Libero ventre. 204.

TITULUS XI.

De Cognatione Spirituali.

ART. I. De Spirituali cognatione, orta ex Baptismo & Confirmatione. 207.
II. De eadem Cognatione, orta ex Catechismo. 216.

TITULUS XII.

De Cognatione Legali. 218.

TITULUS XIII.

De Eo, qui cognovit Consanguineam Uxoris suæ, vel Sponsæ. 221.

TITULUS XIV.

De Cansanguinitate & Affinitate.

ART. I. De Gradibus Consanguinitatis, Conjugia dirimentibus. 225.
II. De Gradibus Affinitatis, ijsdem obstantibus. 236.

TITULUS XV.

De Frigidis & Maleficiatis, & de Impotentia coëundi.

ART. I. De Impotentiæ Varietate & Cauſis. 242.

II. De Impotentia dirimente Matrimonium. 251.

III. De Matrimonij, cum Impotente initi, Diſſolutione. 259.

TITULUS XVI.

De Matrimonio contracto contra Interdictum Eccleſiæ.

ART. I. De Interdicto, ſeu Vetito Eccleſiæ. 264.

II. De Die, ſeu Tempore feriato. 273.

III. De Criminibus, Conjugium Impedientibus. 275.

IV. De Poteſtate diſpenſandi in Impedimentis Conjugiorum. 279.

V. De Diſpenſationis Matrimonialis Cauſis. 286.

VI. De exprimendis in Literis Impetrationis Diſpenſationis Matrimonialis. 294.

VII. De Supplicatione pro Diſpenſatione Matrimoniali. 301.

VIII. De Forma & Clauſulis diſpenſationis Matrimonialis pro foro Externo. 304.

IX. De Forma & Clauſulis Diſpenſationis Matrimonialis pro foro Interno. 312.

X. De Matrimonij invalidè contracti Ratificatione. 316.

XI. De Pœnis Matrimonia contrahentium cum Impedimento. 326.

TITULUS XVII.

Qui Filii Legitimi ſint.

ART. I. De Liberis legitimè natis. 328.

II. De legitimatis Matrimoniô Parentum. 338.

III. De legitimatis Principis Reſcriptô. 346.

TITULUS XVIII.

Qui Matrimonium accuſare poſſint, & contra illud teſtificari. 351.

TITULUS XIX.

De Divortiis.

ART. I. De Matrimonij Inſolubilitate. 356.

II. De Diſſolutione Matrimonij Infidelium. 363.

III. De Diſſolutione Matrimonij Fidelium Rati. 368.

IV. De Diſſolutione Matrimonij Fidelium Conſummati quoad Vinculum. 373.

V. De ejusdem Diſſolutione quoad thorum & habitationem Perpetua. 380.

VI. De Matrimonij quoad thorum & habitationem Diſſolutione temporanea. 387.

TITVLVS XX.

De Donationibus inter Virum & Uxorem, & de Dote post Divortium restituenda.

ART. I. De Valore & Firmitate Donationis inter Conjuges. 395.

II. De ejusmodi Donationis Confirmatione. 401.

III. De Dotis & propter nuptias Donationis Restitutione, facienda Matrimoniô solutô. 404.

TITVLVS XXI.

De Secundis Nuptiis.

ART. I. De his prævia Certitudine obitûs Conjugis prioris. 411.

II. De Nuptiarum Benedictione & hujus Iteratione. 417.

III. De Secundarum Nuptiarum Pœnis. 419.

IN NO-

IN NOMINE SANCTISSIMÆ ET INDIVIDUÆ TRINITATIS, AMEN.

INSTITUTIONUM CANONICARUM LIBRI IV.

SUMMA.

TOto hoc Libro pertractanda est natura, accidentia & effectus Nuptiarum, contractûs, sicut ad humani generis ab interitu vindicationem & coalitionem civium in Rempublicam maximè necessarii utilísque, sic antiquitate dignitatéque præcellentis; cùm originem suam debeat ipsi nascentis mundi primordio, rerúmque conditori DEO, Nuptiale fœdus in Voluptatis adhuc innocentis Paradiso instituenti, & in id conspirantium maris ac fœminæ societatem suprema sua authoritate ad insolubilis vinculi perpetuitatem roboranti: postea verò supra naturalium rerum Ordinem elevatum sit à Christo Domino, Protoparentum peccatô afflictum genus humanum restaurante simul & Connubialem supra pactiones cæteras sic attollente; ut Sanctificantis Gratiæ in posterum esset fons, & in novæ Legis Sacramentorum numero emineret. Proposita autem ejus tractatio ad Gregorianæ Compilationis modum inchoatur à mutua contrahentium fide, tam Pactionis, quàm Consensûs: quorum istô ipse Contractus Nuptialis: illâ verò huic prævia seu Sponsalitia conventio constat, *c. 1. de Sponsa duor.* Dein variarum conditionum, utrique apponi solitarum, interpositâ declaratione discutiuntur Jure prodita Nuptiarum obstacula sive, ut vocamus, Impedimenta Matrimonialis & Sponsalitii contractûs inducentia nullitatem, vel illius solummo-

lummodo adverſantia honeſtati: ſubjiciuntúrque legitima & ſequior procreatio ac nativitas liberorum, quæ juſtarum aut inutilium Nuptiarum præcipuus eſt effectus: & illegitimè procreatorum juſtis natalibus reſtitutio. Subinde ad examen vocatur conjugiorum malè coaleſcentium reparatio per Apoſtolicam diſpenſationem, remotô, quod ſuberat, impedimentô: & hôc perſeverante de facto conſiſtentis Accuſatio & Eccleſiaſtici judicis authoritate facienda diſſolutio omnimoda, vel conjugum legitimè conjunctorum ex fornicationis, ſævitiæ, aliáve cauſa, temporanea duntaxat, perpetuáve, ſeparatio quoad communem thorum & habitationem. Demum ſecundarum Nuptiarum ſtabilita honeſtate, iísque intra luctûs annum coaleſcentibus Civili Jure impoſitarum pœnarum explicatione, propoſita tractatio terminatur.

LIBRI

LIBRI IV.
INSTITUTIONUM CANONICARUM
TITVLVS I.
De Sponsalibus & Matrimoniis.

PRopositum hôc Librô Jus Connubiale Gregoriana Compilatio orditur ab ipsis Matrimonii & huic prævіorum Sponsalium Contractibus; ut naturâ utriusque probè perspectâ expeditior sit pertractatio dubiarum quæstionum, quas Nuptiarum materia plurimas, & sæpe ita intricatas offert; ut viros Juris peritissimos & ipsos quandoque Curiarum Ecclesiasticarum Præsides fatigent.

ARTICULUS I.
De Sponsalium nominis Origine & Significatione.

SUMMARIUM.

1. *Etymon Sponsalium:*
2. *Quorum nomine aliquando Munera & Convivia Sponsalitia:*
3. *Aliquando ipsum Matrimonium Ratum,*
4. *Non Magistrali duntaxat,*
5. *Sed Juridicâ quoque,*
6. *Largâ tamen vocis acceptione denotatur.*
7. *Aliquando significat Sponsorum de Futuro promissionem,*
8. *Præmitti solitam nuptiis:*
9. *Licet hæ sine ea consistere possint.*

SPonsalium nominis originem & Etymologiam eruditè tradit Ulpianus *l. 2. ff. de Sponsal.* ubi *Sponsalia*, inquit, *dicta sunt à spondendo; nam moris fuit veteribus, stipulari & spondere sibi uxores futuras.* Unde etiam sponsi sponsæque appellationem natam, Florentinus ait *l. Unde 3. ff. Eâdem Rubr.* qui enim *Uxorem ducturus erat in Latio, stipulabatur, eam in Matrimonium ductum iri: qui daturus erat, idem spondebat. Is contractus stipulationum sponsionúmque dicebatur Sponsalia. Tunc, quæ promissa erat, Sponsa appellabatur: qui spoponderat, se ducturum, Sponsus.* Ita Gellius *Noct. Attic. Lib. 4. cap. 4.* Formula ejus stipulationis ac sponsionis veterum sive Latinorum usu recepta erat: I.

Sponden', tuam natam uxorem iri? Spondeo, Plautus *in Trinummo* & Varro *Lib. 5. de Lingua Latina.*

2. Sed, ut nominis vera & una hæc origo, non una tamen ejus vis ac significatio est; cùm sponsalium vocabulô aliquando veniant munera, sponsæ dari solita à sponso, & Arrharum nomine data, *l. 1. in fine C. Si nupt. ex rescript. pet. & l. 1. Theodos. C. Si Rector. provin. sponsal. ded.* Quô sensu & Saul, Davidem traditurus in manus Philistinorum, eum ad bellum contra hoc fortiter gerendum per servos suos incitari, & paupertatem suam ac tenuitatem prætendenti renuntiari jussit, *Non habet Rex sponsalia necesse*, id est, munera & opes sponsi, *Lib. 1.* Regum *cap. 18. v. 25.* Eôdem sensu pecunia, nuptiarum causâ promissa, à veteribus sponsa dicebatur apud Varronem *Lib. 5. cit.* Quin convivium etiam sponsalitium sponsalium nomine quandoque venisse, perhibet Cicero *ad Q. Frat. Epistol. 6.*

3. Aliquando, frequenter tamen cum addito *De præsenti*, Sponsalium nomine denotatur ipse contractus Matrimonialis sive Conjugium Ratum, per carnalem copulam nondum consummatum, *c. Tertiò 13. de Præsumpt. & c. fin. de Sponsa duor.* ante quam consummationem mulier *Conjux, can. Cùm initiatur 5. & can. Conjuges 6. &c.* [illegible] post eam verò *Uxor* dicebatur, *c. Ex publico 7. de Conversi. conjug.* ex cujusmodi desponsatione cum Josepho B. V. Maria in sacris paginis *Conjux* ab Angelo vocata est, *Joseph fili David, noli timere Mariam accipere conjugem tuam*, Matth. *cap. 1. v.* 20. cùm antè Joseph ejus vir dictus ab eodem Evangelista fuisset, *Jacob genuit Joseph virum Mariæ, v. 16.*

4. Hanc quidem Sponsalium pro Matrimonio Rato acceptionem, tanquam minimè Legalem aut Canonicam, sed Magistralem duntaxat & à sacrorum Canonum Interpp. adinventam, nonnulli reiiciunt cum Treutl. *Vol. 2. disp. 6. thes. 1.* & Harprecht *ad Rubr. Instit. de Nupt. n. 5.* quòd ea Imperialis Juris ullo textu non nitatur: cum eáque apertè pugnet proposita Ecclesiastici Rubrica, *Sponsalia* opponens *Matrimonio*, & ab his sejungens; ut non appareat, quâ ratione Matrimonio Rato sponsalium nomen, Jure spectatô, accommodetur. Considerationi huic non parum roboris confert decretum Synodale Trident. *Sess. 24. cap. 3. de Ref. Matrim.* Justitiæ publicæ honestatis impedimentum, ubi sponsalia invalida, tollens &, ubi ea valida sunt, ad primum gradum restringens: quô decreto, licet de sponsalibus loquatur indefinitè, & generatim omnia complectatur, Matrimonium ratum ex eóque ortum simile impedimentum non affici, B. Pius V. *Constitutione*, quæ incipit *Ad Romanum, 1568. editâ* declaravit, eáque declaratione Sponsalium nomine ea, quæ de præsenti DD. vocant, non venire supponit.

Sed hæc leviora sunt, quàm ut ea, 5.
quæ de præsenti inita sunt, sive Matrimonium ratum à sponsalitiæ appellationis deiiciant possessione; cùm pro ista & DD. usu militent textus utriusque Juris: Civilis quidem, eundem contractum nuptiarum & sponsalium nominibus exprimentis, *l. 1. pr. C. Si nupt. ex rescript. pet.* Canonici verò *c. Tertiò cit.* in cujus fine contractui per verba de præsenti inito sponsalium nomen disertè tribuitur. Eodem Jure, consensu per verba de præsenti expressô, mas & fœmina *Desponsari*, & post præstitum ejusmodi reciprocum consensum *Sponsi Sponsæque*, & hæ *Desponsatæ* dicuntur, *can. Conjuges cit. can. Si quis desponsaverit 11. 14. &c. 27. q. 2. c. Ter-*

2. c. *Tertiò cit.* c. *Sicut* 22. c. *Si inter* 31. *hâc Rubr.* c. *Accepisti* 2. *&* c. *fin. de Sponsa duor.* Quin, teste S. Gregorio, ipsius *Divinæ legis est mos, sponsas appellare conjuges*, quibuscum, ut à B. V. Maria cum S. Josepho, conjugium per carnalem copulam non est consummatum, *can. Qui desponsatam* 12. *q.* 2. *cit.* Ratio sponsalium nomen tam de præsenti quàm de futuro initis accommodandi ea fuisse videtur; quòd sponsio quædam intercedat in utrisque: in his quidem de consensu nuptiali futuro: in illis autem de cohabitatione mutuáque corporum ad actus ad prolis generationem ex se aptos, traditione, déque thori conjugalis fide inviolabiliter custodienda.

Ex his planè corruit ratio partis adversæ; quia sponsalium nomen generatim latéque sumptum iis, quæ de præsenti ineuntur, accommodandi ansam luculentam DD. præbuerunt sacri Canones: quibus, si adversarentur, in materia Canonum Conditoris dispositioni subjecta leges cederent; quippe quæ illis famulantur potiùs, quàm dominentur, *c. Super specula 28. pr. de Privileg.* per tradita *Dissert. Proœm. n. 158.*

6. Neque aliud persuadet proposita Rubrica & Synodale decretum istiúsque declaratio Piana; quia, ut alia prætermitam, Rubricâ & præsertim decretô illô sponsalium nomen non generatim in omni Juridica, sed in stricta duntaxat & frequentiùs usitata significatione meritò accipitur; ne antiqui Juris, publicæ Honestatis impedimentum ad quartum gradum porrigentis, correctio ultrà quàm necesse est, extendatur, contra *Reg. c. Cùm expediat* 29. *de Elect. in* 6. *& l. Præcipimus* 32. *C. de Appellat.*

7. Aliquando & frequentissimô usu sponsalium nomen accipitur strictè pro sola pactione sive promissione futurarum nuptiarum, quæ à S. Augustino *c.* 1. *de Sponsa duor.* vocatur *Fides pactionis*, & præparatorium sive prævia dispositio viáque est, per quam ad *Fidem consensûs* sive ipsum contractum Matrimonialem pervenitur; ut hôc modô & strictè sumptis sponsalibus conjugalem maris ac fœminæ Societatem *Concipi*, *Nasci* verò & ad perfectionem ipso contractu nuptiali perduci, non malè asserat Gudelin. *de Jure Noviss. Lib. 3. cap. 7.*

8. Rationes, ob quas sponsalia nuptiis præmitti solent, variæ: primáque & apud veteres præcipua fuit; quòd, cùm fœminæ non sui juris, sed in potestate essent parentum fratrúmve, & istorum necessarius esset consensus, *l. In sponsalibus 7. & l. In potestate* 10. *ff. de Sponsal.* dandum his fuerit spatium, quô liberis aliisve suæ subjectis potestati, quàm possent, optimè providerent. Secunda; ut, quæ nuptura, quíve eam ducturus est, inter eas moras perfectionis nuptiarum experiretur ingenium ac mores, quibus usurus est in perpetuum & quamdiu est victurus, cùm eâque indissolubilis vinculi jugum subiturus; cùm, ubi majus est periculum, majori maturitate & circumspectione sit procedendum, *c. Ubi periculum* 4. *de Elect. in* 6. Tertia; ut sponsi parent ea, quæ subeundis conjugii oneribus, profectò gravissimis, necessaria sunt; cùm idcirco Divino quoque Jure sponsis indulta fuerit immunitas à bello, Deuteron. *cap.* 20. *v.* 7. & Machab. *Lib.* 1. *cap.* 3. *n.* 56. quam annuam fuisse, perhibet Joseph. *Antiquit. Jud. Lib.* 4. *cap.* 6. Quarta; ut ipsâ nuptiarum dilatione, quæ ducenda est, charior sit in posterum, magísque diligatur; ea enim de causa, ut S. Augustinus *can. Institutum*, 27. *q.* 2. relatus ait, *Institutum*, usúve receptum est, *ut jam pactæ sponsæ non statim tradantur; ne vilem habeat maritus datam, quàm non suspirârit sponsus dilatam*; nam, ut in hunc

textum notat Glossa *V. Ne vilem, Gratior est fructus, quem spes productior edit.* Quinta; ut conjugium, priusquam celebretur, à parochis Ecclesiæ publicè & cum interpositâ temporis intercapedine valeat proponi; ut, si quod obstare videatur, impedimentum opponatur ac probetur, *c. fin. pr. de Clandest. desponsat.* & S. Synod. Trident. *Sess. 24. cap. 1. V. Cui malo, de Ref. Matrim.* Unde

9. Dubium & quæstio oritur, an Matrimonium contrahi valeat sine prævis sponsalibus; id enim mordicus inficiatur; & hæc illi necessariò præmittenda contendit Harprecht *in Rubr. Instit. de Nuptiis n. 2.* ubi nec casum fingi posse, ait, quô sine prævia conventione sponsalitia ad ipsum contractum nuptialem perveniatur. Sed malè &, ut cum Tannero *Tom. 4. disp. 8. q. 1. n. 2.* advertit Gobat *Experient. Tract. 10. n. 8.* sine adminiculo Juris aut rationis; cùm, si Titius, in extremo vitæ articulo constitutus, coram proprio parocho & duobus tribúsve testibus Bertham concubinam ducat, Matrimonium inter eos validum sit & antè susceptæ proles legitimè evadant, *c. 1. & c. Tanta 6. Qui filii legitimi.* Idem extra articulum illum illicitè quidem, sed tamen validè iniret Titius, si eodem parocho & testibus præsentibus per verba de præsenti concubinam aliámve mulierem solutam in suam & hæc ipsum in suum acciperet; quòd prævia pactio sponsalitia & ipsa etiam denuntiationum solennitas omissa ad Matrimonii valorem ac substantiam non pertineat, ut *Tit. 3. n. 5.* statuetur. Quin, si absque prævia pactione & obligatione sponsalitiâ, solóque Matrimonii ineundi proposito ter publicè denuntiatô, id in Ecclesiæ facie contraheretur, contra Juris prohibitionem nihil agi videretur; cùm hujusmodi contractus neque *can. Institutum cit.* neque *cap. 1. cit. V. Cui malo*, reprobetur. Istô quidem; quia eô S. Synodus Matrimonia contrahenda denuntiari præcipit, quin eis sponsalitiam pactionem jubeat præmitti. Illô verò; quia sponsas quidem pactas non protinus tradi, ait: non etiam, eas sine pactione & obligatione solóque animi propositô destinatas & denuntiatas ex intervallo duci, vetat.

ARTICULUS II.

De Sponsalium Contractu.

SUMMARIUM.

10. *Sponsalia sunt futurarum nuptiarum promissio:*
11. *Quæ esse debet I. Deliberata.*
12. *Irrita sunt sponsalia inita ab infante, amente &c.*
13. *Et ab errante circa personam secum contrahentem.*
14. *Amore, irâ &c. impellentibus contracta,*
15. *Et metu extorta Jure subsistunt.*
16. *II. Eadem promissio esse debet Vera, non ficta.*
17. *Valida sunt sponsalia inita sine animo implendi:*
18. *Non etiam contracta sine animo se obligandi:*
19. *Nisi puellæ defloratio accedat.*
20. *Sub ficta promissione defloratam ducendi obligatio non semper datur in interno:*
21. *Etsi in externo foro semper imponatur.*
22. *III. Certa & determinata.*
23. *Sponsalia non inducuntur promissione facta uni ex tribus Sororibus:*

24. *Nisi*

24. *Nisi promittens unam ex ils carnaliter cognoscat.*
25. *Vel unius electionem habeat pater:*
26. *IV. Mutua seu reciproca.*
27. *Ad nuptias obligari quis solus potest:*
28. *Quæ tamen obligatio verè sponsalitia non est.*
29. *V. Expressa,*
30. *Per verba formalia aut virtualia:*
31. *Non solùm excludentia nuptias cum alia:*
32. *Neque consensum in eas cum aliqua de præsenti,*
33. *Sed de futuro contrahendas exprimentia.*
34. *Verbis*, Nullam ducam Nisi *vel* Præter te *non absoluta,*
35. *Sed conditionata sponsalia inducuntur.*
36. *In dubio de valore, contra sponsalia,*
37. *Et pro Matrimonio est pronuntiandum,*
38. *Annuli traditione sponsalia non semper, aliquando tamen ineuntur.*
39. *Ad nuptiarum oblationem tacens eas non promittit.*
40. *Parentes sponsalia ineunt nomine liberorum præsentium:*
41. *Imò & absentium: si de initis moniti non contradicant.*
42. *Tutores & cognati mandatum habentes,*
43. *Non etiam sine isto ea ineunt.*
44. *VI. Acceptata à promissario:*
45. *Quô promissionem non acceptante,*
46. *Et repromittente sponsalitia obligatio non nascitur.*
47. *Verba in sponsalibus accipienda sunt secundùm usum communem:*
48. *Nisi constet de intentione contrahentis;*
49. *Quô non consentiente, quibuscunque verbis sponsalia non inducuntur.*
50. *Valida sunt sponsalia Clandestina.*

SPonsalia strictè accepta, sive de futuro, secundùm Florentinum sunt *Mentio & repromissio nuptiarum:* quam JCTi. definitionem secutus Nicolaus I. Sponsalia *Futurarum nuptiarum promissa fœdera* vocat *can. Nostrates 3. pr. 30. q. 5.* sive mutuam illa contrahentium utriusque promissionem, ut verbis *Fœdera* & *Repromissio* satis insinuatur; cùm *Fœdus* duorum saltem in idem placitum & mutuum consensum exposcat & *Repromissio* ex propria sua significatione reciprocam sive mutuam promissionem denotet, Covarruvias *de Sponsal. p. 1. cap. 1. n. 2.* atque idcirco fortassis futurarum mentio repromissióque & fœdera non *Sponsale* in singulari, sed in plurali numero *Sponsalia* dicta sint; quòd reciprocô duorum consensu constent. Sunt ergo Mutua & reciproca promissio futuri matrimonii, ut ea cum Valentia *Disp. 10. generali q. 2. p. 1.* & Laiman *Lib. 5. tract. 10. p. & cap. 1. n. 1.* definit Palao *Tract. 28. disp. 1. p. 1. n. 5.* Ea autem promissio, ut marem inter ac fœminam ullo Jure non impeditos obligationem Sponsalitiam inducat, esse debet 10.

Primò, Deliberata, hoc est, facta cum advertentia rationis & libertate, quæ requiritur & sufficit ad mortaliter peccandum, Navarrus *Manual. cap. 18. n. 7.* Molina *Tract. 2. de J. & J. disp. 267. n. 1.* Guttierez *de Matrim. cap. 7. n. 6.* & Sanchez *Lib. 1. de Matrim. disp. 8. n. 5.* cum Joan. Andr. in *c. Dudum 20. de Coverf. conjug. n. 20.* Anchorano *in c. cit. n. 10.* Alexand. de Nevo *in c. Sicut 13. de Jurejurando n. 18.* & Sylvestro *V. Votum 2. n. 13.* ejusmodi deliberationem exigenti- 11.

bus ad quãmcũnque promissionem homini factam; cùm enim ejusmodi deliberatio requiratur & sufficiat, ut quis obligetur Diabolo, sufficiet & necessaria erit, ut quis obligetur Homini & Deo, Glossa *in can. Mulier 14. V. Eôdem 32. q. 2.* Ratio solida est; quia Sponsalia sunt actus humanus, qui esse debet voluntarius ac liber: inducúntque obligationem gravem, & ad sui impletionem adstringentem sub peccato mortali. Unde

12. Infertur primò, invalida esse sponsalia inita ante septennium saltem, si ætatem istam non antevertat usus rationis, *c. Literas 4. c. Accessit 5. & c. Ad dissolvendum 13. de Desponsat. impub.* contracta in somno, ebrietate, amentia, furore, *arg. c. Dilectus 24.* propter defectum usûs rationis & ab isto pendentis libertatis ac legitimi consensûs: uti etiam per vim absolutam extorta; quia voluntaria & libera ac proinde actus humanus non sunt.

Neque obstat *can. Neque furiosus 32. q. 7.* in cujus fine habetur furiosos, si matrimonium contraxerint, non separandos, manifestô indiciô valoris; cùm invalidè contrahentes indubitatè sint separandi; quia ejusdem *can. pr.* diserte asseritur, matrimonium à furiosis contrahi non posse; quòd, ut *ibi* Glossa ait, non possint consentire. Unde posteriora verba exaudienda sunt de furiosis, qui matrimonium injerunt, dum essent sanæ mentis; cùm enim illius vinculum furor & amentia superveniens non dissolvat, eos propterea separari meritò vetuit Papa Fabianus. Ita Covarruvias *de Sponsal. p. & cap. 2. n. 8. & in cit. can.* Barbosa *n. 2.*

13. Infertur secundò, invalida etiam esse sponsalia contracta errore circa substantiam personæ, aut etiam circa qualitatem, in istius individuum seu substantiam redundantem, propter defectum consensûs, quem hujusmodi error tollit *l. Si per errorem 15. ff. de Jurisdict. omn. jud. & l. Non idcirco 9. C. de J. & F. J.* Qua de re sermo redibit *n. 207.*

Infertur contrà tertiò, regulariter 14.
valida esse, quæ irâ, amore aliáve simili passione impellente sunt contracta; quia tales animi affectiones communiter hominem non ita perturbant, ut ipsi rationis usum & voluntatis libertatem non relinquant, quominùs peccatum mortale committere, ac proinde etiam sponsalia contrahere possit, Navarrus *cit. n. 7.* Sanchez *cit. Lib. 1. disp. 8. n. 10.* & Perez *Disp. 1. de Matrim. s. 3. n. 8.*

Neque adversatur; quòd calore iracundiæ factum aut dictum, ratum aliter non habeatur, quàm si sedatâ irâ perseverantia apparuerit, *can. Si quis iratus, 2. q. 3. can. Divortium 21. de Pœnit. dist. 1. & l. Quidquid 48. ff. de R. J.* Quia imprimis postremæ hujus aliarúmque legum Civilium dispositio non admodum attenditur in materia sponsalium ac Matrimoniorum; quia hæc spirituali, secundùm Trident. *Sess. 24. de Sacrament. Matrim. can. 1.* & Ecclesiasticæ potestati reservata est, *Sess. cit. can. 12. c. fin. de Secund. Nupt. & Novell. 83. cap. 1. §. Neque enim volumus,* Panormit. *in c. fin. cit. n. 2.* & multis relatis Martha *de Jurisdict. p. 2. cap. 8. n. 5.* Deinde; quia *citt. textus* de calore iracundiæ, rationis advertentiam adimente & ad mortaliter peccandum non sufficiente, exaudit Sanchez *cit. disp. 8. n. 11.* Demum; quia *can. Divortium cit.* eique consonâ Civili *l. 3. ff. de Divortiis* aliud non statuitur, quàm ratum habendum non esse divortium mulieris à marito recedentis, si perseverantia desit; quòd, istâ deficiente, non seriâ & verâ divertendi, sed solummodo animi commotionem & iram contestandi intentione recessisse, ob specialem matrimonii favorem præsumatur, Glossa *can. cit.* Quam

specialem

ſpecialem diſpoſitionem ad ſponſalitium & matrimonialem contractum, ex ira aliáve ſimili animi affectione initum, quando, ut ordinariè contingit, rationis advertentiam non adimunt, non extendendam, rectè monet *cit.* Perez *n.* 12.

15. Infertur quartò, valore etiam non deſtitui ſponſalia metu injuſtè incuſſo extorta, *arg. can. Inter cætera*, 22. *q.* 4. quòd rationis advertentiam & libertatem voluntatis etiam metus non tollat; cùm coacta voluntas ſit voluntas, *l. Si mulier* 21. §. 5. *ff. Quod metûs causâ geſt.* ſufficiens ad mortaliter peccandum, ſecundùm *can. Merito*, 15. *q.* 4. Qua de re pleniùs agetur *à n.* 210.

16. Secundò, promiſſio ſponſalitia eſſe debet Vera: nec ſufficit Ficta, qualis eſſe poteſt vel; quòd contrahens promiſſione quidem ſe obligandi, ſed eam non implendi animum habeat: vel; quòd non habeat animum promittendi, ſéque obligandi voluntatem. Et

17. Priori quidem modô, ſive animô ſe obligandi, ſed ſine animo exequendi, factam matrimonii promiſſionem verè ſponſalitiam & obligatoriam eſſe, convenit inter DD. licet ita promittens peccet; cùm ſe ad aliquid faciendum obligans, ſicut ad executionem, ſic etiam ad habendam exequendi voluntatem obligetur, Sanchez *Lib.* 1. *diſp.* 9. *n.* 2. & Pontius *Lib.* 12. *de Matrim. cap.* 2. *n.* 5.

18. Poſteriori autem modô fictâ, ſive animô ſe non obligandi factâ promiſſione ſponſalia induci, cum *cit.* Sanchez *n.* 5. meritò negant Leſſius *Lib.* 2. *de J. & J. cap.* 18. *n.* 5. & Coninck *de Matrim. diſp.* 21. *dub.* 2. *n.* 7. eâ permoti ratione; quòd ſponſalia ſint mutua promiſſio futuri matrimonii, *can. Noſtrates* 30. *q.* 5. *& l.* 1. *ff. de Sponſal.* & contrahantur voluntate atque conſenſu, *l. Nuptias* 30. *ff. de R. J.* promiſſio autem, quæ conſenſu & voluntate contrahitur ſine animo promittendi, & iſte ſine animo ſe obligandi, dari non poſſit. Confirmatur imprimis; quia ſponſalia ſunt lex privata, quam ſibi promittens ipſe imponit: ad legem autem neceſſaria eſt voluntas obligandi in eo, qui eam imponit, ut oſtendit Suarez *de LL. Lib.* 1. *cap.* 4. *n.* 8. Deinde; quia, ſicut voluntas ſe non obligandi ad actus conjugales ex ſe aptos ad generationem prolis ſubſtantiæ matrimonii, ita ſubſtantiæ ſponſalium contraria eſt voluntas ſe non obligandi ad contrahendum matrimonium; ac proinde, ſicut illa matrimonium *c. fin. de Condit. appoſit.* ita hæc ſponſalia irritabit. Et demum; quia actus agentium non operantur ultra intentionem eorum, *l. Non omnis*, 19. *ff. Si certum pet. l. In agris* 16. *ff. de Adquir. rer. dom. & l. Cùm tale* 72. §. *fin. ff. de Condit. & demonſtr.* ac proinde promiſſio non porrigetur ultra promittentis intentionem. Unde

Infertur, eum, qui puellæ matrimonium ſolis verbis vel aliis ſignis externis, ſine animo & intentione ad id cum ipſa contrahendum ſe obligandi, promittit, licet doloſô & perniciosô mendaciô graviter peccet, & illi pro injuriâ ſatisfactionem, & damni, ſi quod ex deceptione patitur, reſarcitionem exhibere teneatur, ad nuptias tamen cum ea celebrandas propter defectum conſenſûs in conſcientia non obligari extra caſum, quô ei ſatisfieri & illatum damnum reſarciri aliter, quàm contractô matrimoniô, non poteſt, ut cum *citt.* DD. & Molina *de J. & J. tract.* 2. *diſp.* 352. ſuſtinet *cit.* Laiman *p.* 1. *cap.* 1, *n.* 10. Hinc tamen

19. Non levis momenti dubium oritur de eo, qui ſub ſpe matrimonii fictè promiſſi virginem defloravit. Quem, ſi fictio ſeu fallax animus promittentis, ob nimiam inæqualitatem conditionis vel

ex aliis

ex aliis circumstantiis adverti facilè potuit, ad eam ducendam non teneri, cum S. Thoma *4. dist. 28. q. unica, art. 2. ad 47.* facilè concedunt plerique; quòd fraudi videatur consensisse.

Casu autem, quô fictio facilè deprehendi non potuit, ad quid defloransobligetur, dubium & controversia est inter DD. & Pontius quidem *Lib. 1. cap. 2. n. 7 & 14.* ac Sanchez *disp. 10. n. 3.* cum D. Thoma *in 4. dist. 28. q. unic. art. 2.* Sylvestro *V. Luxuria, n. 5.* Navarro *Manual. cap. 16. n. 18.* & aliis præsertim antiquioribus DD. eum determinatè obligant ad defloratam ducendam; quòd ita deflorans copulam à puella non aliter acceptet, quàm sub conditione nuptiarum oblatarum, atque idcirco ad has obligetur; celebrâsse enim videtur contractum innominatum, *Do, ut des*, vel *Facio, ut facias*: ad cujus impletionem ab uno factam alter quoque tenetur: &, quod *cit.* Laiman. addit, compelli debet ac solet in Foro externo. Ita isti & probabiliter omnino.

20. At probabilitate majori cum Barthol. de Ledesma *de Matrim. dub. 19.* & aliis maximè RR. Bonacina *de Sacram. Matrim. q. 1. p. 2. n. 9.* & Perez *Disp. 2. de Matrim. s. 4. n. 3.* eum satisfacere, si constitutâ ei vel auctâ dote suppleat defectum defloratonis: ad ducendam autem defloratam eum tum demum obligari existimant, cùm dotem constituere vel augere aliáve ratione damna, ex defloratione secuta, nequit resarcire. Ratio est; quia vel ad ducendam eam determinatè obligatur ex Promissione, ut contendit Pontius, vel ratione Damni, ut vult Sanchez? Non ratione Promissionis; quia hæc ponitur fuisse ficta: ex ficta autem promissione per se non nascitur obligatio implendi promissionem, præsertim sponsalitiam, quæ exigit consensum, *arg. l. Nuptias cit.* qui cùm in proposito casu deficiat, copula revera non est acceptata sub conditione, sub qua est oblata; hôc ipsô enim; quòd promissio fuerit ficta, consensus defuit in conditionem. Neque ratione Damni illati; quia hoc constitutâ vel auctâ dote aut aliâ ratione resarciri potest; ac proinde hôc factô matrimonii ineundi obligatio cessat.

Neque obstat; quòd ad matrimonium cum defloratacompelli debeat & soleat in Foro externo; quia, ut prætermittam; quòd in hoc Foro ad matrimonium ineundum compelli etiam soleat, qui id fictè promisit sine defloratione: quem ad id ineundum non adstringit Sanchez *disp. 9. cit. n. 5.* Ut, inquam, hoc prætermittam, eô ipsô; quòd consensus séque obligandi voluntas interna soli Deo humanorum cordium scrutatori reservata sit, *c. Sicut tuis 33. & c. Tua nos 34. de Simonia:* homini autem de illa constare aliter non possit, quàm ex signis externis & præcipuè ex verbis, *l. Non figura 38. ff. de O. & A.* in Foro humano sive externo, qui verbis aliquid promittit, promittendi séque obligandi animum & consensum voluntatis internum habuisse, præsumitur, *l. Labeo 7. §. 2. ff. de Suppell. legat. & l. Generaliter 13. C. de Non numer. pecun.* Menochius *de Præsumpt. Lib. 1. q. 22.* & ex hac præsumptione, quod verbis se spopondisse, fatetur aut convincitur, exigente Justitiâ, cogitur adimplere. 21.

Tertiò, eadem promissio respicere debet Personam Certam ac determinatam, Guttierez *de Matrim. cap. 16.* & Bonacina *cit. q. p. 3. n. 2.* Ratio est; quia sponsalia sunt via ad matrimonium & quædam istius inchoatio: & propterea, sicut hoc, sic etiam ipsa verè & perfectè contrahi non possunt, nisi cum una eáque certa ac determinata fœmina aut viro, præsertim, cùm ex veris & perfectis sponsalibus oriatur impedimentum Publicæ honestatis 22.

honestatis, *can. Si quis uxorem 14. can. Si quis desponsaverit 15. can. Quidam 31. &c.* 27. *q.* 2. quod ex incertis, ut sunt, quæ certam & determinatam personam non respiciunt, non nasci, à Bonifacio VIII. decisum est *c. Unico in 6.* Unde

23. Infertur, vera & perfecta sponsalia non contrahi mutuâ promissione, quâ Titius se unam ex tribus sororibus ducturum, & vicissim hæ, ex se unam, quam eligeret, ipsi nupturam, pollicentur: licet tali promissione Titius ad unam ex ipsis eligendam, & vicissim electa ad matrimonium cum ipso ineundum obligetur: eáque electione sponsalia certa reddantur ac perficiantur; ut publicæ honestatis impedimentum inducatur, *citt.* Sanchez *disp. 26. n. 6.* & Perez *disp. 4. s. 5. n. 4.* Ubi

24. Dubium est, an ejusmodi promissio certa & verè sponsalitia evadat per copulam carnalem, cum illarum una supervenientem. quod *cit.* Sanchez *disp. 26. n. 12.* &, præter alios eum secutos, etiam Barbosa *in c. Ex literis 10. n. 7. in fine* negant, quantumvis, ante Matrimonii clandestini irritationem, à Concilio Tridentino *Sess. 24. cap. 1. de Reformat. matrim.* inductam, copulæ, ejusmodi promissioni, tanquam conditionatis sponsalibus, supervenienti, vim tribuerint matrimonii inducendi; quòd eo tempore ex maritali potiùs quàm fornicario affectu profecta præsumeretur, *c. Is, qui fidem 30.* Rationem reddunt; quòd post memoratum Concilium affectus fornicarius ab ejusmodi copula nequeat excludi. Sed, esto hujusmodi affectus hodie semper absit, cùm eo tamen unam eligendi, & cognitam cæteris præferendi animus conjunctus esse, meritò præsumitur; quòd per copulam, cum una ex tribus sororibus habitam, factus sit duarum aliarum affinis, ac proinde inhabilis ad matrimonium cum alia, quàm cum cognita contrahendum. Confirmatur; quia ejusmodi puella non aliter, quàm sub spe suæ electionis ita determinandæ, usum corporis concessisse: & Titius eum, sicut concessus est, exegisse, videtur, ut cum Sylvestro *V. Matrimonium 2. n. 11.* & Coninck *disp. 21. dub. 2. n. 16.* docet *cit.* Rebell. *de Oblig. Justit. Lib. 4. q. 4. n. 6.* & Perez *cit. s. 5. n. 18.* idem sentiens de casu, quò puellæ illæ cognatæ non essent; quòd, si de contraria voluntate non constet, eam quam carnaliter cognovit, Titius elegisse & aliis prætulisse: & hæc sui corporis usum ei non aliter quàm ineundi matrimonii ita electi intuitu ac spe concessisse, præsumatur.

Aliud esset, si Titius, se ex tribus 25.
sororibus unam, quam earum pater daturus esset, & pater se ex ipsis unam daturum, consentientibus filiabus, promisisset; tali enim casu pater ei neque carnaliter cognitam, neque ex duabus reliquis aliquam dare teneretur. Non cognitam; quia ad hanc dandam (saltem, si cum ea Titius sponsalia absoluta non contraxit) pater non obligatur ex promissione; cùm ex ista ipsi liberum sit, quàm ex tribus dare velit: eáque libertate &, quam velit, dandi optione delictô Titii non est privatus; ne iste ex delicto suo commodum reportet, contra *Reg. Non fraudantur 134. §. 1. ff. de R. J.* & pater incommodum patiatur, contra Regulam *l. Sanci-mus 22. C. de Pœnis.* Non aliam, sive ex duabus reliquis unam; quia istarum aliquam ducere, propter affinitatis impedimentum, ortum ex fornicatione cum earum sorore, Titius non potest, per *cann. citt.* laudati Sanchez *disp. 26. n. 4.* Perez *disp. 5. s. 4. n. 8.* & Bonacina *p. 3. n. 5.*

Quartò, sponsalitia promissio esse 26.
debet Mutua seu reciproca; cùm sponsalia mentio & repromissio, *l. 1. ff. de Sponsal.* sive

sal. sive mutua promissio sint futuri matrimonii, secundùm eorum definitionem traditam *n.* 10. Unde casu, quò Titius, animò se obligandi ad Nuptias, Berthæ promittit matrimonium, ista autem hoc non repromittit, sponsalia non contrahi & ineundi cum altero matrimonii obligationem ex parte neutrius induci, cum Navarro *Manual. cap.* 22. *n.* 25. docent *citt.* Henriquez *Lib.* 11. *cap.* 13. *n.* 2. & Molina *disp.* 263. *n.* 11. & *cit.* Sanchez *disp.* 5. *n.* 4. Neque id immeritò; quia sic ejusmodi obligationem non contrahit Bertha; cùm nihil repromiserit: neque etiam Titius; quia non intendisse censetur, subire obligationem aliam, quàm contractûs sponsalitii, ex natura sua reciprocam ac mutuam: ab eóque facta promissio non operatur ultra ejus intentionem, *l. Non omnis cit. & c. fin. de Præbend.* Hinc tamen

27. Dubium oritur, an vg. Titius Berthæ obligari nequeat, quin vicissim ista ipsi obligetur. Non posse, cum Vasquez *disp.* 4. *de Matrim cap.* 3. contendit Pontius *Lib.* 12. *cap.* 4. *n.* 2. contra *cit.* Sanchez *disp.* 5. *n.* 12. & suadetur ratione; quòd, sicut matrimonium, sic & sponsalia juxta dicta sint contractus mutuus & obligationem reciprocam inducant; sicut enim Berthæ jus in corpus suum Titius actu tradere non potest, quin vicissim suum corpus Titio actu tradat Bertha, sic ex parte Titii non potest dari obligatio tradendi jus in corpus suum, respiciens Bertham, quin vicissim etiam ex parte istius detur obligatio in corpus suum jus Titio tradendi; inde certè sponsalia, in principio claudicare non posse, dicuntur.

28. Sed, esto dari nequeat hujusmodi obligatio sponsalitia vel Matrimonialis, sicut dari nequit venditio equi, quin, sicut venditor ad traditionem equi, sic etiam emptor ad solutionem pretii obligetur, propter naturam contractuum reciprocorum, inducentium mutuam obligationem: non apparet tamen, cur Titius simplici & gratuitâ promissione se obligare nequeat ad ducendam Bertham, si ista velit, quin vicissim velit, istam ad matrimonium secum ineundum esse obligatam; cùm ita se obligare quis valeat ad equum suum alteri vendendum vel cum ejus equo permutandum, quin vicissim iste ad illum emendum aut permutationem admittendam sit obligatus. Ita cum *cit.* Sanchez & Guttierez *cap.* 5. *à n.* 1. contra Pontium sentiunt *citt.* Laiman *p. & cap.* 1. *n.* 2. Bonacina *q.* 1. *cit. p.* 1. *n.* 7. & Perez *disp.* 1. *s.* 10. *n.* 2.

29. Quintò, sponsalitia promissio debet esse Expressa sive externa & non merè interna, secundùm D. Thomam 2. 2. *q.* 88. *art.* 1. & communem sensum DD. aliorum. Ratio est; quia dirigenda est ad alterum, à quo ipsa intelligi acceptaríque, & repromissio fieri debet: & non potest, nisi exprimatur & intelligatur.

30. Exprimi autem promissio interna potest per verba, non solùm formalia, sed virtualia quoque: ut sunt scriptura, nutus, aliáque signa externa, consensum in matrimonium contrahendum sufficienter manifestantia per se vel per alium, ut clarè desumitur ex *c. Cum apud* 23. *& c. Tuæ* 25. ubi matrimonium, ac proinde etiam ei prævia sponsalia, contrahi posse, dicitur à mutis & surdis: imò etiam ab absentibus, per internuntium vel procuratorem, *c. fin. de Procurat. in* 6. Ratio est; quia ex una, de Jure Civili per verba solùm virtualia & per epistolam, internuntium &c. Sponsalia contrahi potuerunt, *l. fin. ff. de Sponsal.* ex altera verò parte, in iis neque à Christo Domino, neque ab Ecclesia mutata quoad hoc est natura contractûs Civilis, *cit.* Perez *disp.* 4. *s. & n.* 1. & Gobat *Experient. Tract.* 10. *n.* 44.

Porro

31. Porro verba, qualiacunque sint, esse debent non merè Negativa: cujusmodi forent Titii, si Berthæ, ad Sponsalitium contractum invitanti, reponeret, *Nunquam cum alia matrimonium contrahamꝫ* quia ista verificari possunt cum Bertha non contrahendo: uti & verba, *Non ducam aliam à te*, quæ tamen, etsi ad matrimonium non obligent, obligant tamen ad Bertham cuicunque alteri præferendam casu, quô Titius aliquam est ducturus, ut, aliis DD. relatis, tradit *cit.* Sanchez *disp. 19. n. 1.*

32. Neque etiam ita Affirmativa; ut ipsis mutua traditio juris in corpus suum de præsenti significetur, ut sunt, *Ex nunc eris mea uxor: Ab hoc tempore te conjugem habebo*: *Accipio te in uxorem*: *Accipio te in meam vel meum*; quia his & aliis ejus significationis verbis contrahitur ipsum matrimonium, *can. Si quis Divinis 9.* junctâ Glossâ *V. Habiturum*, 30. *q. 5. c. Ex parte 9. c. Sicut 22. c. Si inter virum 31, hâc Rubr. & c. 1. de Sponsa duor.*

33. Sed talia, quibus spectatô usu & consuetudine locorum, in quibus sponsalia ineuntur, promittentes se ad suorum corporum traditionem in posterum faciendam obligare significantur: ut sunt, *Contrahamꝫ tecum Matrimonium, Ducam te in conjugem: Accipiam te in meam &c. c. De illis 5. c. Si inter & c. 1. citt.* Hæc satis certa.

34. Dubium autem primò est de verbis, *Nullam ducam præter vel nisi te*; his enim sponsalia iniri, cum Anton. de Butrio *in c. Ex parte cit. n. 10.* & Panormit. *ibid. n. 8.* existimant Sylvester *V. Matrimonium 2. n. 10. dicto 4.* Rosella *V. Eôdem 3. n 4.* & Menochius *Lib. 3. præsumpt. 3. n. 8.* Moventur; quòd dictio *Nisi* ex sua natura semper contradicat præcedentibus: & propterea, sicut, quando oratio Affirmativa præcedit, ut, cùm dico, *Omnes currunt, nisi Petrus*, ipsa negat: ita, quando præcedit oratio Negativa, ut, cùm dico, *Nullus currit, nisi Petrus*, ipsa affirmat, juxta *l. Actione 4. C. de Transact.* & Interpp. *ibi*, aliósque DD. apud Barbosam *Usufreq. Dict. 217. n. 5.* eandem vim ac sensum particulæ *Præter* tribuentem *Dict. 279. n. 4.* Cùm ergò in propositione *Nullam nisi* vel *præter te*, dictiones *Nisi* & *Præter* præcedat oratio Negativa, ipsæ affirmabunt, & promissionem obligationémque sponsalitiam inducent.

Verùm, quia dictio *Nisi* interdum, 35.
præsertim ad futurum tempus relata, conditionalis est, ut idem Barbosa *Dict. 217. cit. n. 9.* observat & clarè patet *arg. l. Si sterilis 21. §. 5. ff. de Action. Empti*; quâ dicitur, si quis alteri fundum ita vendat, ut nulli alii, quàm sibi vendat, ex vendito Actionem tum demum dari, si alii vendiderit: & ex *l. Titia 59. §. fin. ff. de Manumiss. Testamento* ibi, *Onesiphore nisi*, hoc est, si *diligenter rationes reddideris, ne liber esto.* Quia, inquam, particula *Nisi* &, quæ ejusdem cum ipsa significationis sunt, conditionales sæpe sunt, mihi magis arridet doctrina Alexand. de Nevo *in c. Ex parte cit. n. 31.* Covarruviæ *p. 2. de Sponsal. cap. 4. §. 1. n. 8.* Henriquez *Lib. 11. cap. 12. n. 7. cit.* Sanchez *disp. 19. n. 5.* & aliorum, apud hunc asserentium, verbis propositis non contrahi sponsalia absoluta, sed obligationem Conditionalem, hanc ducendi, si aliquam ducere velit: vel Disiunctivam, hanc vel nullam ducendi. Ratio hujus doctrinæ ea est; quòd in dubio de valore sponsalium favendum sit contrahentium libertati; cùm in dubio, quando Jure aliud dispositum non est, non facilè inducenda sit obligatio, *arg. l. Arrianus 47. ff. de O. & A.* præsertim ad contrahenda matrimonia; quæ cùm coacta sunt, difficiles solent exitus frequenter habere, *c. Requisiv. 17. in fin.*

36. Neque contrarium evincit; quòd in dubio de matrimonio, non contrahentium libertati, sed valori & conservationi matrimonii favendum, *c. fin. de Sent. & re judic.* & pro ipso pronuntiatum sit, *c. Si quis, 33. q. 1. & c. Continebatur 6. de Desponsat. Impub.* Ergo etiam favendum ac pronuntiandum est pro sponsalibus; cum ad ista à matrimonio argumentum rectè ducatur, *l. Oratio 16. ff. de Sponsal.* Non, inquam, in dubio pro Sponsalibus pronuntiandum, hoc evincit; quia argumento *l. Oratio cit.* hac in re locus non est; quòd alia sponsalium ratio sit, alia
37. matrimonii; cùm, si in dubio matrimonialis standum pro contrahentium libertate & istius favore matrimonium pro nullo habendum foret, sæpe non solùm læderetur jus unius partis contrahentis, sicut contingere potest in sponsalibus; sed insuper gravissima, eáque multiplex & continuata injuria inferretur ipsi Sacramento matrimonii, partim; quòd hoc, quantumvis sæpe reipsâ validè initum, & ita initum consummatúmque omnino insolubile sit, *Matth. 19. v. 6.* tamen dissolveretur: partim verò; quòd conjugum uterque novas, & in speciem quidem validas, sed reipsâ adulterinas, nuptias celebraret cum alio, cum eóque in perpetua turpitudine viveret. Ut nihil dicam de scrupulis & perplexitatibus conscientiarum, quas hujusmodi matrimoniorum usus: & de incommodis, quæ prolis ex priori, & favore libertatis dissoluto, matrimonio procreatæ educatio afferre solet: quorum malorum nulli obnoxia est sententia libertati favens in dubio sponsalium, & istorum validè initorum dissolutio, ut cum Rebello *p. 2. de Oblig. Justit. lib. 4. quæst. 3. n. 9.* rectè ponderat Diana *part. 10. tract. 13. resol. 19.*

38. Dubium secundò est de annuli traditione & receptione sive, ut vocari solet, Subarrhatione: quæ, licet ex se sit signum omnino æquivocum & insufficiens ad matrimonium vel sponsalia significanda; cùm ex aliis, & amoris etiam inhonesti causa à concubinariis fieri possit, ut cum Panormit. *in c. fin. de Desponsat. impub. n. 7.* & Menochio *Lib. 3. præsumpt. 2. à n. 1.* observat *cit.* Sanchez *disp. 22. n. 1.* nihilominus, quando vel ex verbis aut aliis signis tradentis, vel ex aliis circumstantiis, vg. quando in ipso tractatu de matrimonio ineundo inter sponsos, eorúmve parentes & amicos instituto fit, in pluribus locis mutuæ promissionis matrimonii signum est ex consuetudine: quæ, & similes circumstantiæ, in quibus ea traditio receptióque, uti & mutua manuum porrectio, missio jocalium &c. fit, hæc in re præcipuè sunt attendendæ, *arg. c. Ex literis 7. & l. Semper 34. ff. de R. J.* Ita cum *citt.* DD. Palao *disp. 1. cit. p. 4. n. 10.* Dicastillo *Disp. 1. de Matrim. dub. 8. n. 147.* & Gobat *Tract. cit. n. 72.*

39. Dubium est tertiò de taciturnitate: quâ sponsalia contracta non censeri casu, quo Bertha vg. ad matrimonii promissionem, à Titio sibi factam, omnino tacet, facilè convenit inter DD. Ratio est; quia in iis, quæ præjudicium afferre possunt, pro signo consensûs taciturnitas non habetur: nisi, quando tacens, si dissentiat, loqui tenetur, ut *arg. l. Filiusfamilias 8. §. 1. ff. de Procurat.* cum Dino in *Reg. Qui tacet 44. in 6. n. 3.* & Covarruvia *Practic. cap. 15. n. 5. V. Deinde* docent duo Barbosæ, Petrus *in l. Quæ dotis 33. ff. Soluto matrim. n. 153. & 164.* Augustinus *Usufreq. Axiomat. 217. n. 3.*

40. Contrà inter eosdem convenit, ab eadem Bertha, in sponsalia consensum præstitum Jure præsumi casu, quo illa, nomine ipsius præsentis ac tacentis, contrahunt ejus parentes, ut à Bonifacio VIII. *c. Unico §. fin. de Desponsat. Impub. in 6.* diserte decisum & ratio est; quòd ex

quòd ex una, cùm parentes liberos ſuos naturaliter valde, & ſæpe plùs quàm ſe ipſos diligant, *l. Iſti 8. §. fin. 3. ff. Quod metûs cauſa*, his optimè conſulere præſumantur, *arg. l. Nec in ea 22. §. 4. ff. Ad L. Jul. de Adult.* ex altera parte verò, liberi caſu, quô hujusmodi ſui deſponſationi non conſentiunt, mentem ſuam explicare teneantur; ne parentum dicta & acta contemnere videantur; & propterea, quando tacent, eáque ſibi diſplicere non exprimunt, præſumantur conſentire, *arg. Reg. Qui tacet cit.* Sanchez *Lib. 1. diſp. 23. v. 3.* & Palao *cit. p. 4. n. 12.* ubi ex communi aliorum ſenſu advertit *§. fin. cit.* diſpoſitionem æquè procedere in matre, quàm in patre, nomine filii aut filiæ præſentis ſponſalia contrahente; cùm *§. cit.* diſpoſitio fundetur in amore, qui ardentior eſſe ſolet in matre: & nomine *Parentis*, quô textus utitur, etiam veniat mater: ideóque, quòd filii impuberes Monaſterio offerri à parentibus poſſe, dicantur, *can. Quicunque 20. q. 1.* illos huic offerri etiam à matre poſſe, cum Innocentio tradant Panormit. *in c. Si quis 2. de Regular. n. 6. in fine*, Suarez *Tom. 3. de Relig. Lib. 5. cap. 2.* & Gonzalez *in c. Si quis cit. n. 3.*

41. Diſſentiunt autem de caſu, quo ſponſalia à parentibus contrahuntur nomine liberorum abſentium & ignorantium: quos, etiamſi ab illis ſuo nomine initi contractûs certiores redditi non contradicant, ſponſalitiâ obligatione non teneri, cum Joan. Andr. *in c. Unic. cit. n. 2.* & Franco *ibid. n. 4.* exiſtimant Guttierez *cap. 13. n. 11.* & Sanchez *cit. diſp. 23. n. 17.* quòd, ut ſponſalibus, ſuô abſentium nomine initis à parentibus, liberi teneantur, *c. cit.* textu exigatur; ut ea pòſt ſcientes ratificaverint tacitè vel expreſsè: ad quod *citt. DD.* ultra taciturnitatem alia ſigna requiri volunt. Sed immeritò; quia, ſicut ea poſtea verbis aliísque ejusmodi ſignis approbandô expreſsè, ſic tacitè ratificare cenſentur, quando de iis, nomine ſuo à parentibus contractis, coram vel per epiſtolam aut internuntium moniti non contradicunt. Unde liberorum nomine à parentibus inita ſponſalia ſolâ ejusmodi taciturnitate ratificari, cum S. Thoma *in 4. diſt. 27. q. & art. 2.* Anchorano *in c. Unic. cit. §. fin. cit. n. 3.* Soto *cit. diſt. 27. q. 2. art. 2.* & aliis à *cit.* Sanchez *n. 16.* congeſtis cenſent Coninck *diſp. 21. dub. 3. n. 38.* & Perez *diſp. 4. ſ. 6. n. 15.*

Dubium eſt quartò, an nomine puellæ vg. ſponſalia etiam contrahantur à cognatis, præſertim fratribus & tutoribus, ſi illa præſens & tacens non contradicat. Non quidem, quando cognati, tutores &c. ad id contrahendum ſpeciali mandato fuêre inſtructi; cùm enim nomine abſentis, per procuratorem contrahi poſſit ipſum Matrimonium, *c. fin. de Procurat. in 6.* etiam à cognato vel tutore, ejusmodi mandatum habente, ſponſalia contrahentur nomine puellæ præſentis & tacentis, Perez *diſp. 4. ſ. 6. n. 5.* Quod non parùm confirmatur Praxi Indiarum & præſertim Americæ, in quarum pluribus provinciis in Matrimoniali etiam contractu verba conſenſum ſignificantia, non ipſi contrahentes, ſed eorum nomine loci Præfectus profert, teſte Sanchez *diſp. 23. n. 14.* 42.

Sed, quando fratres vel tutores id fecerunt abſque mandato: quô etiam caſu puellæ taciturnitate ſponſalia induci, cum Gloſſa *in c. Unic. cit. V. Sponſalia* & nonnullis antiquioribus allegatis vult Pontius *Lib. 2 cap. 14. n. 7.* quod aliqui eruunt ex textu *c. 1. de Matrim. contra interd. Eccl.* ubi illa pro ſorore præ- 43.

sente & tacente à fratre, & ex *c. Ex parte 14. de Restit. spoliat.* ubi neptis nomine à patruo contracta perhibentur: Pontius autem id ex ratione potissimùm desumit; quòd puellæ bonum procurare eique bene consulere, sicut ad parentes, sic etiam ad fratres, & præsertim ad tutores, pertineat; atque idcirco illa, si his suo nomine Matrimonium contrahentibus præsens dissentiat; id manifestare teneatur; ne suspicionem præbeat contemptûs.

Verùm; quia, sicut minùs potens istorum quàm parentum amor, sic etiam magis sollicitum istorum liberis suis, quàm cognatorum, fratrum & tutorum, sororibus vel pupillis providendi studium & cura est, dispositionem *c. Unici cit.* à parentibus ad cognatos quoscunque & tutores porrigi, cum Covarruvia *cit. p. 2. cap. 14. initiô n. 4.* & Guttierez *cap. 13. n. 2.* aliisque meliori jure negat Barbosa *in cit. c. 1. de Matrim. contra interd. n. 3.* Ratio est; quia dicta taciturnitas liberorum non contradicentium contractui parentum, suo nomine matrimonium promittentium, sponsalia inducit ex dispositione seu præsumptione solius Juris Positivi; spectatô enim solô Naturali ac Divinô sponsalitius & matrimonialis contractus ita personalis est; ut eô etiam à parentibus nomine liberorum, sine istorum speciali mandato, initô liberi non obligarentur, ut bene observat Palao *disp. 1. cit. p. 4. n. 17.* Cùm ergo dispositio legis Positivæ *c. Unic. cit.* solorum parentum meminerit, cognatos ac tutores non comprehendere meritò censetur, præsertim ad inducendam obligationem, statum hominis respicientem. Unde in contrarium allata ratio planè evanescit.

Neque vim aliquam habet *c. 1. cit.* textus; quia eô soror præsens non tacuit: sed, ut textus habet, consensit, & quidem expressè, sive corde & ore, secundùm Glossam *ibi V. Præsente*, & Pontium *n. 7. cit.* Minùs urget *c. Ex parte cit.* quia istô sponsalia à patruo, vel actu non contracta, vel nulla fuisse, colligitur ex textu, & cum Glossa *ibi V. Copulata*, iterum advertit Doctor *cit.*

Sextô demum, ad promissionem futuri Matrimonii, ut obliget, necessarium est, ut à promissario, sive eo, cui fit, sit acceptata, *arg. l. 1. ff. de Pactis & l. Consensu 2. ff. de O. & A.* secundùm quos textus; ut contractu & simplici etiam pacto obligatio inducatur, exigitur mutuus consensus; ac proinde, ut promissioni acceptatio promissarii accedat. Qua in re, si iste præsens & promissio verè sponsalitia mutuáque sit, facilè convenit inter DD. 44.

Dubium tamen sit primò, an, ut promissio etiam gratuita obligationem inducat, acceptatio necessaria sit, quando promissarius est absens. Ratio dubitandi est; quia, licet eô etiam casu exigatur de Jure Civili, *l. Absenti 10. ff. de Donat. &c.* aliud tamen de Jure Canonico obtinere, desumitur ex *c. Veniens 5. Qui Clerici & vovent.* ubi matrimonii promissio absenti facta pro valida habetur sine ulla mentione acceptationis.

Verùm, quia *in cit. c.* contractu nomine absentis procuratorem interveniisse. cum Glossa *ibi V. Promissio* notant Hostiensis *pr.* & Joan. Andr. *n. 8.* rectè etiam in proposito casu obligationem ante acceptationē induci, negant; ideóque promissionem adhuc revocabilem esse, concedunt Sanchez *Lib. 1. disp. 6. n. 24.* Pontius *l. cit. cap. & n. 4.* & Barbosa *in c. cit. n. 3.* quòd in contractu sponsalitio & matrimoniali, ubi sacri Canones à legibus Civilibus non divertunt, aut nihil decernunt, secundùm istas sit pronuntiandum, *arg. c. 1. de Novi oper. nunt.* se- 45.

nunt. secundùm Panormit. *in c. cit. n.* 2. Alexand. de Nevo *in c. Ubi non 2. de Despons. impub. n. 3.* & Molinam *de I. & I. Tract. 2. disp. 263. n.* 11. Cùm ergo hac in re sacri Canonés Juri Civili nusquam adversentur, imò non obscurè consentiant, cùm pacta, quæ mutuo duorum consensu constant *l.* 1. §. 2. *ff. de Pactis* adimplenda, dicunt *c.* 1. *& c. Qualiter 3. de Pactis*, promissio matrimonii ante acceptationem non obligabit & revocabilis erit.

46. Dubium secundò est, an, ut promissio futuri matrimonii sponsalia inducat, sufficiat, eam à promissario acceptari sine repromissione; hujus enim ulla expressione opus non esse, cum Paludano *in 4. dist. 27. q. 1. art.* 1. *n. 4.* & Henriquez *Lib.* 11. *cap.* 13. *n.* 2. contendit Pontius *cit. Lib.* 12. *cap. 4. n.* 2. eâ ductus ratione; quòd ipsa promissionis de Matrimonio secum ineundo acceptatio virtualis illius cum promittente ineundi repromissio sit; cùm vg. Titius à puella sibi factam matrimonii promissionem acceptare nequeat, nisi matrimonium cum ea inire ipse velit; ac proinde acceptans ejusmodi promissionem acceptet & approbet matrimonium secum futurum, & hoc ipse quoque velit & virtualiter repromittat. Confirmatur paritate ipsius contractûs matrimonialis, quô juris in corpus suum ad actus conjugales factæ traditionis acceptatio mutuam juris in suum corpus ad ejusmodi actus traditionem necessariò includit; cùm matrimonium nequeat claudicare, & ad actus conjugales obligari unus non possit, quin etiam alter obligetur, ipsáque traditionis acceptatione ab acceptante mutuo facta intelligatur.

Sed verius est, sponsalia non inducì ac perfici sola promissionis matrimonii ineundi acceptatione, sed ei accedere oportere repromissionem, ut cum Panormit. *in c. Nonne 5. de Præsumpt. n.* 1. & Felino *ibid. n.* 19. docent Navarr. *Manual. cap. 22. n. 28.* Sotus *in 4. dist. 27. q.* 2. Menoch. *Lib. 3. Præsumpt. 42. n.* 2. *citt.* Guttierez *cap. 5. n.* 1. Sanchez *disp. 5. n.* 12. & Perez *disp.* 1. *s.* 10. *n.* 2. Ratio est; quia acceptatio promissionis aliarum rerum, vg. vendendi domum aut equum, non necessariò conjuncta est cum repromissione domum vel equum emendi, hôc ipsô; quod promissio esse queat gratuita, eáque se obligare quis possit ad rem vendendam, quin promissarius obligetur ad eam emendam. Cùm ergo promissio matrimonii imitetur promissionem vendendi, & huic ab ipsomet Pontio comparetur, simplex & nuda promissionis matrimonii acceptatio virtute suâ non continet repromissionem & non necessariò cum ista est conjuncta; cùm promissio, quæ acceptata est, gratuita esse possit, juxta dicta *n. 28.* Quare; ut promissionis futuri matrimonii acceptatio vera sponsalia inducat, huic accedere necesse est repromissionem; quòd sine ista futuri matrimonii promissio mutua non detur & contractus sponsalitius non sit perfectus.

Ex his planè evanescit ratio partis adversæ; cùm enim futuri matrimonii promissio esse queat gratuita, ejus acceptatio cum repromissione necessariò conjuncta non est.

Neque hac in re paritas est cum matrimonio; cùm traditio juris in corpus suum in ordine ad actus conjugales acceptari, ex eáque acceptata obligatio ad actus illos dari non possit nisi matrimonialis, naturâ sua exposcens mutuam & perpetuam obligationem acceptantis; quòd sine hac obligatio tradentis jus in corpus suum fornicaria foret: atque idcirco, sicut venditionis contractus emptionem, sic

nem, sic etiam Matrimonialis contractus mutuam traditionem & acceptationẽ juris in corpus suum ex parte utriusque exposcat: contrà matrimonii contrahendi promissio merè gratuita fieri ab uno & acceptari ab altero possit sine illius inundi repromissione, & ex hac orta mutua veréque sponsalitia obligatione, ut dictum *cit. n. 28.*

47. Circa hactenus declarata sponsalitiæ promissionis ejúsque acceptationis signa & præsertim verba ex communi DD. sensu notandum est

Primò, ea intelligenda secundùm receptum modum loquendi provinciæ, in qua adhibita sunt, *c. Ex literis 7. hâc Rubr. & l. Semper 34. ff. de R.I.* Covarruvias *Lib. 3. Var. cap. 5. n. 1.* & Barbosa *in c. Ex literis cit. n. 7.*

Secundò, verba posteriùs promittentis, si significationem aliàs dubiam habeant, intelligenda secundùm verba promittentis priùs, si hæc clara sint, Ledesma *de Matrim. q. 45. art. dub.* 1.

48. Tertiò, cùm verba quidem dubia sunt, sed quid iis proferens intenderit, ex circumstantiis constat, standum intentione: quam & voluntatem potiùs quàm verba consideranda, *can. Humano, 12. q. 5.* & ista, non secundùm quod sonant, sed secundùm proferentis mentem accipienda monemur *c. Intelligentia 6. de V. S.* Perez *Disp. 15. s. 2. n. 7.*

49. Quartò, imò verba & signa qualiacunque sint, per se non obligare: nisi, qui iis sunt usi, revera consenserint in sponsalia; quia, sicut matrimonium non concubitus, sic & sponsalia non verborum sonitus & aliorum signorum figura seu apparentia externa, sed consensus facit, *l. Nuptias 30. ff. de R. I.* & propterea quibuscunque verbis & signis usus sit, in Foro etiam externo non tenebitur contrahens, si judici probare queat, communiter receptum eorum sensum à se ignoratum, Gobat *Experient. Tract. 10. n. 17.* aut ea aliô, quàm contrahendi animô prolata, juxta ea, quæ cum Sanchez & Lessio suprà dicta sunt *n. 18.*

Sunt, qui cum Segura *Direct. jud. Eccleſiaſt. p. 2. cap. 15. à n. 6.* ad sponsalium valorem, aut cum Hostiensi *in c. fin. de Clandest. desponſ. V. Contrahenda*, Joan. Andr. *ibid. n. 4.* Alex. de Nevo *n. 15.* Panormit. *n. 6.* Sylvestro *V. Matrimonium 6. q. 7. d. 5. & 6.* Armilla *V. Sponsalia, q. 1. n. 2.* & Cajetano *in Summa V. Eôdem* ad eorum saltem honestatem exigant; ut futuri matrimonii promissio non sit clandestina, *arg. l. Oratio 16. de Sponsal.* quâ Modestinus ICT.ꝰ prohibitis nuptiis etiam sponsalia prohibita respondit: cujus eam reddunt rationẽ; quòd, cùm quid prohibetur, tunc omne id prohibitum videatur, per quod pervenitur ad illud, *Reg. Cùm quid 39. in 6.* &, quod est prohibitum in termino, etiam prohibitũ in via censeatur, Menoch. *Adipisc. remed. 4. n. 816.* & Mascard. *de Probat. concl. 102. n. 1.* 50.

Sed veriùs, sponsalium tam honestati quàm valori clandestinitatem obesse, negant Guttierez *de Matrim. cap. 4. à n. 1. cit.* Sanchez *disp. 13. n. 2.* Rebell. *de Oblig. Just. Lib. 4. s. 3. n. 56. citt.* Pontius *Lib. 12. cap. 5. n. 6.* & Perez *disp. 5. s. 2. n. 2.* Ratio est; quia sponsalia clandestina irritata aut prohibita non sunt ex natura rei, neque ex Divini aut humani Juris dispositione: neque locus est argumento ducto à nullitate & inhonestate matrimonii clandestini, cùm; quia *l. Oratio cit.* solummodo procedit, quando eadem sponsalium, quæ matrimonii, ratio est, ut *in l. cit.* notat Bruneman. *n. 2.* quod in proposito casu non fit; cùm sponsalia clandestina secum non trahant incommoda, quibus obnoxia, & propter

quæ à

quæ à S. Synodo Trident. *Sess. 24. cap. 1. de Ref. Matrim.* vetita & irritata sunt matrimonia clandestina: tum verò; quia sponsalia clandestina non sunt via necessaria ad matrimonium clandestinum; cùm illorum, sicut publicè & coram parocho ac testibus, sic & clam initorum vi matrimonia in Ecclesiæ facie possint & soleant celebrari, ut probè agnovisse videtur *S.* Congregatio Cardd. Trident. Interpp. cujus à *citt.* Rebello *f. 3. n. 49.* & Perez *f. 3. n. 6.* relata declaratio est: *Decretum hoc, quô statuitur, ut matrimonii contractus fiant solenniter coram Parocho & testibus, habet duntaxat locum in matrimonio per verba de præsenti: non autem cùm sponsalia per verba de futuro contrahuntur.* Ratio declarationis est; quia Synodale hoc decretum correctorium est Juris antiqui, clam inita sponsalia nec irritantis nec vetantis; ac proinde ad sponsalium clam initorum casum non trahendum, *arg. c. Cùm expediat & l. Præcipimus citt.*

ARTICULUS III.
De Sponsalium Obligatione.

SUMMARIUM.

51. *Sponsalium duo præcipuè sunt effectus.*
52. *Ab iis recessum Civile:*
53. *Non etiam Canonicum Jus permittit.*
54. *Graviter obligat matrimonii mutua & onerosa:*
55. *Imò etiam gratuita promissio.*
56. *Contra quam commissa fornicatio Temperantiæ:*
57. *Imò etiam Fidelitati ac Justitiæ adversatur.*
58. *Sponsalia implenda sunt intra terminum à contrahentibus præfixum:*
59. *Aut quàm primùm impleri commodè possunt:*
60. *Quod ut præstent, sponsi priùs monendi:*
61. *Postea compellendi sunt,*
62. *Etiam Censurâ Ecclesiasticâ,*
63. *Ob nimiam contumaciam relaxandâ.*
64. *Obligat sponsalibus adjectum onus in certo loco ad tempus:*
65. *Imò etiam stabiliter commorandi;*
66. *Ut mulier virum ex eo discedentem sequi non teneatur,*
67. *Eúmque repetere possit:*
68. *Nisi ex justa causa superveniente discesserit.*
69. *Obligat pactum; ne vir in certo loco habitet.*

SPonsalium validè initorum duo præcipuè sunt Effectus, scilicet Obligatio contrahendi Matrimonium & Nuptiale impedimentum dirimens, quod *Justitia publica Honestatis appellatur.* Posteriorem hunc effectum postremô: priorem præsenti Articulô discutiemus. 51.

Obligatio conjugii cum desponsato, tam mare quàm femina contrahendi minùs fortis est Civili, quàm Canonicô Jure; illô enim, qui sponsalibus obligatus est, conditioni renuntiare, & postea cum alia contrahere permittitur, *l. 1. C. de Sponsal.* Si absque prævia renuntiatione sponsa nupserit alii, aliámve sponsus duxerit, infamiâ notatur, *l. Quid ergo 13. §. 3. ff. de His, qui not. inf.* Istô autem &, quô in sponsalibus ac matrimoniis hodie utimur, Canonicô Jure ex sponsalibus initis cum una nascitur impedimentum, matrimonium cum alia contrahen- 52. 53.

trahendum, non quidem dirimens, sed illicitum reddens; cùm, qui de conjugio ineundo fidem sibi mutuò dederunt, id ineundô hanc adimplere teneantur, sive mutuæ ipsorum promissiones juramentô confirmatæ, *c. Ex literis* 10. *c. Requisivit* 17. *&c.* sive simpliciter sint factæ, *can. Desponsatam* 27. *& can. fin.* 27. *q.* 2. & clariùs *c. Præterea* 2. *c. Si inter* 31. *hâc Rubr. c. De illis* 7. *de Desponsi. impub. & c.* 1. *de Sponsâ duor.* Alexand. Carerius *de Sponsal. Lib.* 1. *cap.* 11. Guttierez *de Matrim. cap.* 15. *n.* 1. & Sanchez *Lib.* 1. *de Matrim. disp.* 27. *n.* 1.

54. Dubium est primò, an ea sponsalium obligatio sit gravis. Si sponsalia jurata non sint, ea implendi obligationem gravem de Jure etiam Canonico non esse, cum Glossa & Cyno *in l.* 1. *cit.* probabile censet Panormit. *in c. Requisivit* 17. *n.* 6. ne conjugii ineundi libertas nimiùm constringatur. Sed verius, imò certum est, ex illis ortam obligationem esse gravem, ut cum D. Thoma *in* 4. *dist.* 27. *q.* 2. *art.* 1. Turrecremata *in can. Ubi non est* 30. *q.* 2. *art.* 6. *n.* 7. Soto *dist. cit. q.* 2. *art.* 5. Covarruvia *p.* 1. *de Sponsalibus cap.* 4. *init. n.* 2. & aliis magnô numerô congestis docent *cit.* Sanchez *n.* 2. Laiman. *Lib.* 5. *Tract.* 10. *p. & cap.* 1. *n.* 3. Palao *Tract.* 28. *disp.* 1. *p.* 7. *n.* 1. & alii, id desumentes ex textibus *citt.* & præsertim ex *c. Præterea* 2. *cit.* quô ab Innocentio III. *Hi, qui de matrimonio contrahendo purè & sine omni conditione fidem* sibi mutuò *dederunt, commonendi & modis omnibus inducendi* dicuntur; *Ut præstitam fidem observent,* procul dubio; quòd ad hoc sub gravi peccato teneantur. Ratio est; quia sponsalia sunt contractus onerosus & reciprocus, & quidem de re sive materia gravi initus: ex cujusmodi contractu, si res sive materia gravis sit, Justitiæ gravis obligatio nascitur; ut, qui eô datam fidem non servat, non solùm contra Fidelitatem, sed contra Justitiam quoque graviter delinquat.

55. Quin, etiamsi matrimonium contrahendum non uterque sed unus duntaxat, vg. Bertha Titio gratuitò promisisset, eámque promissionem iste acceptâsset juxta dicta *n.* 28. *& n.* 49. ad promissionem illam, Titiô exposcente, per contractum Matrimonialem adimplendam Bertham graviter obligari, cum Soto *dist. cit. q.* 2. *art.* 1. *concl.* 1. defendunt *cit.* Sanchez *disp.* 5. *n.* 20. & Perez *de Matrim. disp.* 6. *s.* 5. *n.* 4. Ratio est; quòd simplici promissione acceptatâ, si res promissa, ut matrimonium contrahendum, gravis sit, oriatur gravis obligatio implendi, quod est promissum; cùm simplicis etiam pactionis observantia urgeri possit propositâ in ejus violatorem excommunicatione: *c.* 1. *de Pactis*, quæ, cùm pœnarum omnium, quas Ecclesia habet, gravissima sit, *c. Cùm non ab homine* 10. *de Judiciis*, non nisi pro mortali crimine imponi potest, *can. Nemo* 41. *in fine*, 11. *q.* 1.

Neque ex hujusmodi gratuita vel reciproca matrimonii promissione orta gravis obligatio obstat conjugii libertati; cùm de eo ineundo alicui fidem dans eâ libertate jam sit usus; atque idcirco ad promissionem, spontaneô illius usu factam, adimplendam compelli Jure possit, *can. Desponsatam, c. Ex literis & c. Si inter citt.* Unde

56. Dubium secundum oritur, an fornicatio sponsi sponsæve Justitiæ adversetur; id enim negant, & illam Intemperantiæ solius peccatum esse, cum Covarruvia *p.* 1. *cit. cap.* 1. *n.* 4. sustinent Henriquez *Lib.* 11. *cap.* 13. & Pontius *Lib.* 12. *de Matrim. cap.* 6. *n.* 8. eâ unicâ ducti ratione; quòd sponsi sponsæque fornica-

fornicatio cum alio non sit usus corporis alieni; cùm hoc traditum, eóque utendi jus in alterum translatum necdum sit: & ex sponsalibus acquisitum jus ad rem non violetur; quia hoc aliud non est, quàm debitum & obligatio cum sponso sponsáve contrahendi matrimonium, quæ ex parte fornicantis integra manent. Cui rationi non parùm roboris addit; quòd specialem Injustitiæ malitiam luxuriæ peccato superaddat solum adulterium, quod non nisi in nuptam committitur, *l. Inter 6. §. 1. & l. Stuprum 34. §. 1. ff. ad L. Jul. de Adult.*

57. Verisimiliùs tamen, fornicatione cum alio quàm desponsato à sponsa, & ipso etiam sponso, contra Fidelitatem ac Justitiam delinqui, cum Sarmiento *Lib. 1. Select. cap. 5. n. 3.* defendunt Coninck *Disp. 22. dub. 1. n. 6.* Laiman. *eit. cap. 1. n. 6.* Bonacina *de Sponsal. q. 1. p. 10. n. 12.* Palao *cit. disp. 1. p. 7. n. 5.* & Pirrhing *ad Rubr. de Adult. n. 3.* Et de sponsæ quidem fornicatione id liquet; quòd istâ sponso gravis &, ut *ad hanc Rubr. n. 11.* Canisius ait, atrox injuria inferatur, ipsíque injuriarum Actio concedatur, *l. Sed & 9. & l. Item apud 15. §. 24. ff. de Injuriis*: & sponsæ scelus, licet adulterium propriè non sit, istius tamen instar vindicari valeat, *l. Si uxor sit. §. 3.* quòd nec spem matrimonii violare permittatur. Ratio est; quia fornicatione cum alio sponsa vilior, cum eáque ab alio corrupta matrimonium sponso probrosum est & conjunctum cum periculo; ne proiē alienam tanquā suam alat & habeat hæredem. De utroque idem non obscurè desumitur ex *c. Quemadmodum 25. de Jurejurando*, cujus *pr.* ut *ibi* notat Panormit. *n. 4.* Innocentius III. non minùs sponsæ, quàm sponso innocenti alterius fornicatione justam causam præberi, ait, à sponsalium, quæ Justitiæ est, obligatione resiliendi, utique; quia ejus jus & obligatio Justitiæ violata est à fornicante. Ratio est; quia ipso sponsalium contractu fidem sibi, mutuò ambo dederunt de corporis sui usu sibi & nulli alteri tradendô: & huic non solùm per matrimonium, sed etiam per fornicationem; quod hæc multò fœdior sempérque illicita sit; ac proinde illum alteri, sicut per matrimonium sic & per fornicationem tradendô violet ex sponsalibus ortum alterius jus & obligationem suam: quæ cùm Justitiæ sit, contra eam commissa fornicatio Infidelitatis & Injustitiæ, non solius Intemperantiæ peccatum erit. Quod confirmatur; quia, sicut sponso sponsæ, sic isti illius fornicatio justam causam præbet gravis tristitiæ, probrúmque & justum metum affert; ne conjugii cum illo ineundi fides violetur. Unde

Corruit ratio deducta in contrarium, & à DD. *citt.* infertur, à sponsis fornicationem cum alia aliôve & ab his quoque in Confessione Sacramentali explicandam sponsalitiæ obligationis circumstantiam, tanquam mutantem speciem peccati, non solius intemperantiæ, sed perfidiæ quoque & injustitiæ malitiam continentis, ex decreto Concilii Trident. *Sess. 14. cap. 5. de Sacrament. Pœnit.*

58. Dubium tertiò est de tempore, quô sponsalia sunt adimplenda. Non quidem, si nuptiis certus terminus mutuô consensu sit præfixus; hôc enim casu iste, nisi inter eos postea aliter conveniret, observandus erit, *arg. l. Trajectitia 22. ff. de O. & A. & l. Magnam 12. C. de Contrahenda stipulat.* Sed, quando ejusmodi terminus præfixus non est: quô casu ea adimplendi obligationem ante alterius exactionem non dari, cum Navarro *Manual. cap. 17. n. 97.* & aliis existimat Sanchez *Lib. 1. disp. 28. n. 2. arg. l. Debi-*

l. Debitores 10. *C. de Pign. & hypoth.* ubi Glossa *V. Conveniendi*, ait, debitorem, cùm terminus præfixus non est, solvere solummodo teneri, cùm à creditore fue-
59 rit requisitus. Sed revera hoc neque ita asserit Glossa, neque evincitur ex textu; istô enim non tam de debiti solutione agitur, quàm de pignoris distractione: ad quam à creditore procedendum non est ante debiti exactionem, *l. Debitoribus* 18. *C. de Administ. tut.* Unde verius cum Ledesma *de Matrim. dub.* 13. *pr.* Pontius *Lib.* 12. *de Matrim. cap.* 6. *n.* 1. & Perez *Tract. eôdem disp.* 6. *s.* 1. *n.* 4. eô casu sponsalia implendi obligationem incipere volunt à die, quô ea sunt contracta, juxta *l. In omnibus* 14. *ff. de R. I. & l Eum qui* 41. §. 1. *ff. de V. O.* quibus deciditur, in omnibus obligationibus, quibus terminus non præfigitur, deberi *Statim*, hoc est, quàm primùm spectatis rerum circumstantiis commodè potest, *arg. l. Ratum* 13. *& l. Quod dicimus* 105. *ff. de Solutionibus*, secundùm quas dictiones *Statim* & *Quamprimum* cum quodam spatio & temperamento temporis sunt exaudiendæ.

Quamvis autem in rigore ita res se habeat, non malè tamen Palao *Tract.* 28. *disp.* 1. *p.* 7. *n.* 2. advertit, sponsum regulariter à sponsalium impletione, cùm ista non exigitur, excusari per accidens; quòd pars, eam non exigendô (saltem, si hoc ex verecundia vel alia simili causa non omittat) in dilationem tacitè censeatur consentire.

60. Dubium quartò est, an, sponsorum uno exigente, alter ad sponsalium impletionem possit cogi. Ratio dubitandi prompta est ex *c. Requisivit* 17. quô relatus Lucius III. ad eorum impletionem sponsam monendam potiùs, asserit, quàm cogendam, ex ea ratione; quòd *Coactiones difficiles soleant exitus frequenter habere.* Imò, si coactio fiat intentatâ excommunicatione, matrimonium, tanquam gravi metu extortum & legitimô consensu destitutum, pro invalido habent & habendum ex *c. Cùm locum* 14. *c. Veniens* 15. *&c. & l. Nihil consensui* 118. *ff. de R. I.* desumunt Angelus *V. Sponsalia n.* 42. & Armilla *Eôdem V. n.* 7.

Sed parùm solidè; cùm enim, qui 61.
sponsalia contraxit, ad ea per nuptias adimplenda graviter obligetur, excommunicationis vel alterius pœnæ Ecclesiasticæ propterea facta intentatio, & ex ea conceptus metus injustus non erit, neque obstabit libertati, cùm; quòd ita coactus, ipsâ promissione matrimonii hoc contrahendi necessitatem liberô voluntatis suæ consensu ipse sibi imposuerit juxta vulgatum, quô contractûs, qui ab initio sunt voluntatis, postea necessitatis, propriâ voluntate inductæ, esse dicuntur, *l. Sicut* 5. *C. de O. & A.* tum verò; quòd injustè resiliens eum, quem propterea patitur, metum sibi ipse inferat, pertinaciter renuendô præstare, quod omittere, nisi cum alterius injuria, non potest, *arg. l. Si mulier* 21. *pr. V. Quia hunc sibi metum ipsa infert, ff. Quod metûs causâ gest.* Confirmatur; quia metus excommunicationis, quando justè infligitur, non cadit in constantem virum; cùm causâ & culpâ ipsius, qui eum patitur, inferatur: eóq; se liberare injuriam removendô possit, ut eruditè ostendunt laudati Covarruvias *cit. p.* 2. *cap.* 3. §. 4. *n.* 12. & Sanchez *Lib.* 4. *disp.* 13. *n.* 3.

Neque excommunicationi locum in renuentem non esse, persuadet, quòd *c. Præterea* 2. resilientes, ut sponsalia exequantur, *Commonendos & modis omnibus inducendos*, asseratur sine mentione coactionis per censuram aliámve pœnam; quia

nam; quia hoc procedit, quando à sponsalibus receditur mutuo contrahentium consensu: quem *c. cit.* casum esse, liquet ex verbis, *Si autem se ad invicem admittere noluerint*: quæ ipsa causa est, cur eorum inconstantia non tanquam bonum sed tanquam minus malum dicatur toleranda, ut cum *cit.* Covarruvia *p.* 1. *cap.* 5. §. 1. *pr.* advertit *cit.* Palao *p. 8. n. 4.*

62. Quare DD. isti, sponsum absque justa causa, & alterô inscio aut invitô, resilientem, si monitio non proficiat, censuris aliisque pœnis Ecclesiasticis ad implenda, etiam non jurata, sponsalia compellendum, meritò defendunt & desumunt ex *c. Ex literis cit.* Rationem solidam reddunt; quòd judex præsertim Ecclesiasticus ex officio ac munere suo teneatur opportunis remediis procurare; ne subditi officium suum implorantes injuriam patiantur; útque, quod suum aut sibi debitum est, unicuique tribuatur, *arg. l. Justitia* 10. *ff. de J. & J. c.* 1. *& c. Qualiter* 3. *de Pactis*, S. Thomas 2. 2. *q.* 58. *art.* 1. à sponsalibus autem sine justa causa resiliens eâve renuens implere, alteri inferat gravem injuriam: quam proinde, ut removeat, eum, alterô invitô, sine causa resilientê & monitis non acquiescentê judex censuris aliisq; pœnis inflictis poterit, & ex officio debebit compellere, sive matrimonii promissio facta simpliciter, sive juramentô sit roborata, *cc. citt. & can. Juramenti*, 23. *q.* 5. Atque ita cum Panormit. *in c. Ex literis cit. n.* 3. Alexand. de Nevo *in c. Requisivit cit. n.* 10. Alexand. Carerio *cap.* 11. Covarruvia *cit. p.* 1. *cap.* 4. *initio n.* 3. & aliis magnô numerô acervatis sentit Sanchez *cit. Lib.* 1. *disp.* 29. *n.* 4. idque Curiarum Ecclesiasticarum praxi receptum, testis est Guttierez *Canon. Q. Q. Lib.* 1. *cap.* 18. *n.* 10. qui tamen *n.* 31. salubriter observat, injustè resilientem, juxta *c. Requisivit cit. Potiùs*, hoc est, priùs, ut vox illa à DD. exponitur apud Barbosam *in c. cit. n.* 3. monendum, quàm excommunicationis aliáve pœnâ intentatâ compellatur.

Quin, si judex advertat, excommu- 63.
nicationem ob nimiam resilientis pertinaciam nihil profuturam, ab ea infligenda abstinere, & jam inflictam relaxare debet, ad evitanda scandala, quæ ex consensu coacto aut solùm ficto sequi possunt: & sæpe majus malum sunt, quàm est violatio fidei in sponsalium contractu mutuô datæ, ut etiam notant *citt.* Sanchez *n.* 8. & Barbosa *n.* 3. *in fine.*

Dubium quintò est, an obliget spon- 64.
salibus appositum pactum de habitatione in certo loco. Et de Temporanea quidem hujusmodi habitatione appositum pactum, istíque firmando adjectam pœnam obligare, contra Dynum *in l. Titio* 71. *ff. de Condit. & demonstr.* & Bartolum *ibid. n.* 4. consentiunt alii plerique. Dissentiunt autem de pacto habitationis in loco perpetuò stabiliendæ; id enim cum apposita pœna tanquam irritum cum JCTis. *citt.* rejiciunt Gothofred. *in l. cit.* Alex. de Nevo *in c. Quoniã* 2. *de Conjug. leprof. n.* 9. Cuiacius *Lib.* 14. *Observat. cap.* 27. Gomez *Tom.* 2. *Var. cap.* 10. *n.* 24. & alii, in eam rem allegantes *l. Titio cit. & l. Omnium* 3. *ff. de Usufructu*, quarum prioris §. 2. rejicitur legato apposita conditio, ut à defuncti monumento non recedatur: vel; ut in certa civitate domicilium habeat, & ratio redditur; quia, *Per eam jus libertatis infringitur*: posterioris §. 2. operarum locatio perpetua reprobatur ex ratione; *ne sit inutilis libertas* eundi, quò voluerit & in quo voluerit loco commorandi, cuivis ingenuo permissa, *l. Qui manumittitur* 12. *C. de Oper. libert.* Rationem reddunt; quòd in certo loco commorandi necessitas sit instar carceris, quô, aut vinculis ut

quis constringatur, impositа obligatio non tenet; quòd eundi, quò lubet, adimat libertatem

65. Sed multò verisimiliùs, ejusmodi pactionem & in certo loco commorandi conditionem sponsalibus & ipsi etiam matrimonio appositam obligare, docent Hostiens. *in c. 1. Qui matrim. accus. pr. & ibi* Joan. Andr. *n. 2.* Anchoran. *n. 5.* Panormit. *n. 5.* & ex aliis DD. Sylvest. *V. Uxor n. 8.* Navarr. *Manual. cap. 14. n. 20. citt.* Sanchez *disp. 40. n. 2.* Pontius *Lib. 12. de Matrim. cap. 20. à n. 3.* & Perez *disp. 7. s. 3. n. 3.* Moventur; quòd talis pactio & conditio à sponsalium & nuptiarum contractibus ullo Jure non rejiciantur. Non Naturali aut Divinô; quia illis libertas non adimitur: sed aliqualiter duntaxat & propriæ voluntatis spontaneo consensu restringitur. Nec Positivô, quia Civili Jure quis adscribi fundo colendo; ut ab eo sine licentia domini, *l. Originarios 11. & l. Servos 12. C. de Agricol. & censit.* & Curialis constitui potest; ut à Curia recedere sine ejus Præsidis licentia nequeat, *l. 1. ff. l. Si quis 16. & l. Quidam 26. C. de Decurion.* Canonicô verò ejusmodi pactionis & conditionis reprobatæ ne vestigium quidem reperitur: eisque perperam opponitur *c. Gemma 29.* quia istô sola pœna sponsalibus, & ex meliori sententia iis tantùm, à quibus recessus Jure permissus non est, adjecta reprobatur. Cùm ergo sponsalia & ipsum quoque matrimonium iniri valeant quibusvis pactis & conditionibus Jure non reprobatis & non contrariis eorum naturæ, *arg. c. Verùm 4. de Condit. appos. & l. In traditionibus 48. C. de Pactis*, iniri etiam poterunt appositâ à mare & ipsa etiam fœmina conditione, ad habitationem in certo loco adstringente; ut tali casu locus sit Juri illi Divino, *Relinquet homo patrem suum & matrem, & adharebit uxori suæ*, Genes. *cap. 2. v. 24.* & *Homo patrem suum relinquit, qui nutrivit illum, & ad mulierem se conjungit*, Esdræ *Lib. 3. cap. 4. v. 20.*

Neque Resolutionem hanc convellunt contra eam deductæ leges, cùm; quia istæ in certo loco commorandi conditionem solùm rejiciunt, quando vanè & inutiliter apponitur legato: non etiam, quando contractui & utiliter adjicitur, *arg. l. Originarios l. Servos l. Si quis & l. Quidam citt.* sicut contingit, quando nuptiali contractui apponitur à fœmina; ne desertâ patriâ & procul à suis inter extraneos & ignotos vitam exigere cogatur.

Neque eandem infringit diminutio libertatis in eo, quô lubet, loco commorandi; quia hæc diminutio aliqualis tantùm est, & qualem ex justa causa & in gratiam alterius liberæ & spontaneæ voluntatis electione subire quis non prohibetur, *arg. ll. citt.* Unde

Inferunt DD. *citt.* primò, vi ejus- 66.
modi conditionis nuptiali contractui adjectæ uxorem à convento loco discedere & maritum, contra pacta aliò se conferentem, sequi non teneri; quòd, licet aliàs domicilium mariti sequatur, *l. fin. §. 3. ff. ad Municipal. & l. fin. C. de Mulier. in quo loco*, ne tamen uxor ipsum discedentem sequi cogatur, iste sponte consenserit ad habitationem in certo loco se obligandô; ut adeò, si nuptiis appositam conditionem servet, ejus domicilium & forum quoque uxor sortiatur.

Inferunt secundò casu, quô maritus 67.
contra fidem datam ex pactæ habitationis loco injustè discedit, eum ab uxore vindicari, aut recuperandæ possessionis remediô repeti & compelli posse; ut ad uxorem revertatur, *c. 1. de Ord. cognit. c. Ex transmissa 8. & c. Ex conquestione 10. de de Restit. spoliat.* quòd discessu suo uxori intulerit

intulerit injuriam, eámque spoliârit, *citt.* Guttierez *cap. 23. n. 18.* & Palao *p. 15. §. 2. n. 5.*

68. Excipiunt tamen etiam DD. *citt.* casum, quô è loco, in pactionem nuptialem deducto, discedendi justa causa supervenit, vg. si aëris aliáve loci intemperies viri saluti afferat periculum, vel propter capitales inimicitias in loco commorari tutò non possit; tali enim aliáve simili causâ habitationis mutationem urgente, insuper habitâ pactione etiam juratâ, aliò se conferre posset, eúmque sequi uxor teneretur, *arg. l. Si convenerit 14. & l. Vel quòd 15. ff. pro Socio,* Tiraquell. *Connub. L. 1. gloss. & §. 1. n. 39. citt.* Sanchez *n. 3.* & Palao *n. 9.* Unde

69. Dubium sextum oritur, an vicissim valeat pactum; ut vir in certo loco non moretur, eúmque non ingrediatur: quod contra Alciatum *Lib. 5. consil. 34. n. 3.* pro valido licitóque habent *citt.* Pontius *n. 9.* Palao *n. 12.* & Perez *n. 4.* Ratio est; quia neque Juri publico, neque naturæ conjugii, neque bonis moribus adversatur. Quin certi loci vitatio privatim & publicè quoque utilis esse potest, si eâ perturbationis Reipublicæ, dissidiorum aliorúmque incommodorum, ex commoratione vel ingressu timendorum, periculum excludatur.

ARTICULUS IV.

De Arrhis & Pœna Sponsalibus adjecta.

SUMMARIUM.

70. *Arrhæ in futuri matrimonij pignus,*
71. *Adjecto dupli vel quadrupli reddendi onere, constitui possunt,*
72. *Tradíque debent,*
73. *Et locum etiam habent de Jure Canonico.*
74. *Eas non perdit pater, filiâ, ipsô invitô, à sponsalibus resiliente.*
75. *A resiliente duplum aut quadruplum ante,*
76. *Et post sententiam restituendum, sentientium Opiniones,*
77. *Eáque de re sensus Authoris.*
78. *Pœnam Conventionalem à Sponsalibus rejicientium,*
79. *Et in iis admittentium sententiæ conciliantur;*
80. *Ut illa justè recedentem non afficiat,*
81. *Obliget injustè resilientem,*
82. *Nec ladat libertatem matrimonij:*
83. *Sicut hanc non ladunt Arrhæ,*
84. *Et pecuniaria aliáve pœna à judice imposita.*
85. *Differentia hac in re Legis Romanæ à Christiana*
86. *Et à Jure consuetudinario,*
87. *Pœnam, non arrhas ultra quadruplum auctas, rejiciente.*
88. *Validum est Juramentum de pœna ab injustè,*
89. *Non etiam à justè resiliente solvendæ,*
90. *Etiam cùm ea à parentibus & cognatis est adjecta.*

70. ARrharum nomine veniunt, quæ sponsæ à sponso aut vicissim huic ab illa, in contractorum Sponsalium signum & Matrimonii contrahendi pignus dantur, *l. Arrhis 3. & l. Mulier 5. & l. fin. C. de Sponsal. & Arrh.* ut, si nuptiæ fuerint secutæ, repeti possint: si autem nuptiæ ob contrariam voluntatem (non ob intercedens nuptiale impedimentum aliámve justam causam) secutæ non fuerint, is qui fidem datam violaverit, datas perdat: &, si arrhas ipse accepit, restituat duplicatas, hoc

tas, hoc est, acceptas & alterum tantum, sive acceptarum æstimationem, *ll. citt.* Nisi aliud receptum sit consuetudine vel obtineat alio jure speciali, Canisius *in c. Gemma cit. n. 3.* vel, qui voluntate mutatâ sponsalibus renuntiavit, sit minor viginti quinque annis & ætatis veniam non impetrârit; iste enim arrhas datas non perdit: & si eas accepit ipse, acceptas duntaxat restituit: non etiam præstat alterum tantum, *l. fin. cit.* Perez *in C. de Sponsal. n. 15.* Bruneman. *in l. Mulier cit. n. 2. & in c. Gemma cit.* Gonzalez *n. 3.*

71. Concedi Arrhæ in quavis quantitate, nec in pecunia solùm numerata, sed in specie quoque vg. in fundo possunt, ex communiori sensu DD. &, qui earum nomine accepit aureos centum, ex contrahentium conventione in fidei violatæ & injusti recessûs eventum ad tripli, imò quadrupli, cui simplum sive accepti centum aurei imputantur, sive ad quadringentorum aureorum restitutionem obligari permittitur *l. Mulier cit. V. Nisi specialiter & l. fin. citt.* Bruneman. *in l. Mulier est, n. 10.* & Sanchez *disp. 36. n. 7. & 11.*

72. Porro ut, quod in signum sponsalium & futuri matrimonii pignus offertur, Arrha reputetur, id tradi oportet, ut ex *l. fin. cit.* verbis *Acceperit arrhas*, cum Bartolo *in l. Titia 134. pr. ff. de V. O. n. 6.* Panormit. *in c. Gemma cit. n. 8.* Brunello *de Sponsal. concl. 16. n. 3. &c.* Covarruvias *p. 2. cap. 3. §. 7. n. 7.* & *cit.* Sanchez *disp. 35. n. 3.* observant; non traditæ enim, sed solummodo promissæ, à pœna sponsalibus adjecta non differunt, Glossa *in c. Accedens 10. V. Libera, de Procurat.*

Præter hanc ea etiam differentia inter Arrhas & Pœnam statui solet; quòd, cùm ex dispositione Legali arrhas tradi oporteret, eæ non nisi cum magna animi deliberatione & plerumque in exigua quantitate concedi; Pœna autem, quia solùm promittebatur, facilè incautéque & plerumque in majori, sæpe etiâ in magna quantitate offerri soleret; cùm ad promittendum proniores, quàm ad dandum simus, *arg. l. Sed si ego 4. in fine ff. ad S.C. Velleian.* ideóque libertati matrimoniorum ista regulariter (quando, ut fere solet, non in magna quantitate constituitur) plus officiat, quàm illæ, ut *in c. Gemma cit.* cum Joan. Andr. *n. 9.* & Panorm. *n. 8.* tradit Canisius *n. 5.*

Dubium nunc est primò, an Arrharum traditioni adjecta pactio; ut à sponsalibus injustè resiliens duplicatas aut quadruplicatas reddat, locum etiam habeat de Jure Canonico: de quo ambigit Glossa *in l. Mulier cit.* Ratio est; quòd dupli & quadrupli redditio rationem habeat pœnæ, à sponsalibus rejectæ *c. Gemma 29.* & matrimonii libertatem non minùs quàm pœna apposita infringat. 73.

Nihilominus, eam de Arrharum auctione pactionem hôc etiam Jure non reprobari, cum Hostiens. *in c. cit. in fine & ibi* Joan. Andr. *n. 7.* & Alex. de Nevo *n. 21.* sustinent Sylvester *V. Sponsalia, n. 9. d. 4.* Guttierez *de Matrim. cap. 18. n. 17. cit.* Sanchez *disp. 36. n. 11.* Pontius *Lib. 12. de Matrim. cap. 19. n. 2.* Palao *Tract. 28. disp. 1. p. 12. §. 2. n. 3.* & alii; quòd *ll. citt.* dupli & quadrupli pœnam permittentium dispositio Canonico Jure non sit correcta, eáque non lædatur libertas conjugiorum; cùm *l. fin. cit.* ad quadruplum auctas permittente, id excedentes duntaxat rejiciantur ex ratione; *Quia matrimonia libera esse debent:* quâ non obscurè insinuatur, sponsalibus adjectâ dupli aut quadrupli pœnâ conjugii libertatem non lædi. 74.

Neque *ll. citt.* correctio inducta est *c. Gemma cit.* cùm; quia istius decisio verisimiliùs accommodata non est casui, stipulatio-

pulationis pœnæ solvendæ ab injustè resiliente, ut *n.* 82. statuetur: tum verò, quia, licet huic etiam casui esset accommodata, ut communis multorum sententia vult, à pœna tamen ad arrharum duplum & quadruplum non rectè argueretur; cùm arrhæ eô ipsô; quòd tradantur, ferè in modica & non, ut pœnæ solent, in magna quantitate constituantur, per notata à *citt.* Panormit. & Canisio *n. 5. & 8.* atque idcirco illæ conjugii libertatem minùs quàm istæ lædant.

74. Dubium secundò est, an, filiâ resiliente à sponsalibus, ejus sponso in futuri cum ea matrimonii signum & pignus traditas arrhas perdat pater: licet filiam ad sponsalia adimplenda omni studio inducere sit conatus. Dubitandi ratio est; quia promittens factum alienum à pœna apposita non liberatur, licet faciat, quod in se est, ex mente Jasonis & Aretini apud Covarr. *in c. Quamvis 2. de Pactis, in 6. p. 2. §. 5. n. 3.* Sed, hôc teste, contra doctrinam communem aliorum ferè omnium eum, qui immunis est à culpa, à pœna damnorúmque solutione absolventium: & contra Regulam *l. Non exigimus 2. à pr. & §. 1. ff. Si quis caution. & l. fin. §. 1. ff. ad L. Rhod. De jactu,* quibus à pœnæ solutione eximitur is, per quem non stetit, quò minùs præstitum sit, quod fuerat promissum: nisi ad pœnam hôc quoque casu solvendam se obligâsset, *pr. cit.* Decius *in Reg. 1. in 6. n. 4.* Guttierez *de Jurament. p. 1. cap. 44. n. 3.* & Gabriel *Lib. 3. de Pactis, concluf. 2. n. 2.*

Quare melùs, arrhas tali casu non perdi sed patri repetenti restituendas, cum Socino *Vol. 1. Consil. 3. n. 9.* docent *citt.* Sanchez *disp. 26. n. 12.* & Perez *disp. 8. f. 2. n. 9.* quòd arrharum amissio habeat rationem pœnæ violationis fidei sponsalibus datæ: pater autem tali casu fidem datam nec violârit ipse, neque ejus violatæ à filia causa fuerit; ac proinde obnoxius non sit pœnæ, *arg.* Regulæ *l. Sancimus 22. C. de Pœnis*; cùm ista culpam præsupponat, juxta illud S. Augustini, *Omnis pœna, si justa est, peccati pœna est, Lib. 1. Retract. cap. 9. & l. Aliud 131. ff. de V. S.* cujus *pr. pœna Noxæ vindicta* nuncupatur

Dubium tertiò est, an dupli & quadrupli pœna à resiliente in conscientia debeatur ante judicis sententiam. Eam certè hâc non expectatâ & ante ipsam partis exactionem, Felinus *in c. 1. de Constitut. n. 46.* Decius *in c. cit. lect. 1. n. 73.* & Paludanus *in 4. dist. 27. q. 1. art. 2. n. 13.* &, saltem, si exigatur, solvendam, Covarruv. *de Sponsal. p. 2. cap. 6. §. 8.* & Molina *Tract. 2. de J. & J. disp. 79. n. 8.* defendunt: contra quos, à resiliente judicis condemnationem expectari posse, cum Navarro *Manual. cap. 23 n. 67.* sustinent Guttierez *Lib. 2. Q. Q. Canon. cap. 20. n. 13. citt.* Sanchez *disp. 37. n. 4.* & Palao *p. 12. §. 2. n. 4.*

75.

76.

Prioris Opinionis utriusque Sectatores, arrhas ad duplum, triplum & quadruplum auctas, ante sententiam deberi, desumunt Primò ex mente contrahentium, de duplicatis & quadruplicatis arrhis à resiliente restituendis convenientium sine ulla judicis aut judicialis sententiæ mentione, procul dubio, inquiunt DD. *citt.* ut vel impleantur sponsalia, vel restituantur arrhæ ad duplum vel quadruplum auctæ. Secundò; quia istas solvendi obligatio non imposita est à lege, sed contractu sive sponsalitia conventione: obligatio autem imposita contractu & contrahentium liberâ voluntate urget, etiamsi judicis sententia non accedat, ut liquet paritate voti pœnalis, cujus principali promissione violatâ apposita ei pœna in conscientia ante omnem sententiam debetur. Tertiò; quia à sponsalibus injustè re-

justè resiliens arrhas, quas accepit, restituere ante sententiam tenetur: eásque à sponsorum altero acceptas justè retinet alter, si ipsi data fides non servetur: licet earum amissio ex parte tradentis & à sponsalibus injustè resilientis rationem habeat pœnæ. Ergo etiam ante sententiam solvenda est pœna dupli vel quadrupli; cùm non sit ratio, cur ante sententiam una, & non etiam altera debeatur.

Posterioris Assertores ipsi quoque moventur Primò mente & intentione contrahentium, qui, si aliud non exprimant, dupli aut quadrupli pœnam apposuisse videntur; ut à fide sponsalibus data non recedant metu conventionis & per judicem faciendæ ad illam condemnationis; quia eam adjiciendò in dubio intentionem habuisse videntur conformem naturæ pœnarum impositarum à Jure, exigentium condemnationem; cùm in dubio actus gestus præsumatur secundum propriam ejus naturam, per tradita à Menoch. *Lib. 6. præs. 10. à n. 1.* Secundò; quòd, cùm dupli & quadrupli pœna multùm recedat ab æqualitate servanda in contractibus: &, si resiliant, alter ex contractu arrhas solùm traditas perdat: alter duplicatas aut quadruplicatas amittat, æquitas postulet; ut hæ non debeantur, antequam discutiatur & cognoscatur, an resiliendi causa verè injusta, ejúsque injustitiæ arrhæ multiplicatæ pœna commensurata vel justâ major sit, arbitrióque judicis temperanda & reducenda ad æqualitatem: quod Curiarum stylo receptum, & conventionalis pœnæ condemnationem non nisi, quatenus interest, fieri consueviſſe, testis est Guttierez *de Jurament. p. 1. cap. 36. n. 10.* Tertiò; quia in dubio pœnarum interpretatio benignior præferenda est rigorosæ, *l. Semper 56. ff. & c. Estote 2. de R. J.*

77. In hoc DD. dissidio & conflictu rationum censeo Primò, arrhas, acceptas ab eo, cui data fides non servatur, retineri in conscientia posse, judicis officiò non imploratò; cùm enim, si, quod arrhæ nomine accepit, ipsi in casum non servandæ fidei solummodo fuisset promissum, id per viam actionis exigendi habuisset jus, id sibi traditū Jure retinet; cùm, qui habet actionem, multo magis habeat exceptionem, *Reg. Invitus 156. §. 1. ff. & Reg. Qui ad agendum 71. in 6.* Secundò, arrham simplicem ab eo, qui accepit & injustè resilit, ante sententiam & ipsam etiam exactionem restituendam, cùm; quòd nullum habeat titulum & jus eam retinendi: tum verò; ne ex ejus iniquitate pars innocens & læsa damnum patiatur, contra Regulam *c. Cognoscentes 2. de Constitut. & c. Quæsivit 2. de His, quæ à majori:* & ipsi nocenti commodum inde accedat, unde pœnam potiùs merebatur, contra Regulam *c. Etsi 9. C. de Donat. inter vir. & uxor. & l. Itaque fullo 12. §. 1. ff. de Furtis.* Tertiò, arrhas etiam duplicatas, triplicatas & quadruplicatas ante sententiam debitas, quando; ut ita restituantur, inter contrahentes expressè convenit *arg. Reg. Contractus 85. in 6.* Quartò eo casu, quò hoc in sponsalium contractu expressum non est, arrharum ad duplum, triplum aut quadruplum auctarum pœnam etiam exactam non deberi censeo ante judicis condemnationem; propter rationes supra deductas pro sententia posteriori.

Neque eam ante judicis condemnationem ita restituendā evincit pro priori deductarum rationum prima; quia, de contrahentium mente contraria præsumendum, jam est dictum. Altera; quia verisimiliùs aliæ quoque pœnæ contractibus appositæ, quando, ut ante subeantur, expressè conventum non est, judicis sententiam exposcunt: licet ante debeantur adjectæ

adjectæ voto; quia istæ ita promissæ & à Deo acceptatæ eô ipsô intelliguntur; quòd plerumque nemo sit, qui pro iis Dei supremi omnium judicis nomine apud judicem humanum agat aut agere possit. Postrema; quia simplicium arrharum restitutionis faciendæ à resiliente, & retentionis permissæ ei, cui sponsalibus data fides servata non est, reddita jam est ratio, non militans pro restitutione ad duplum vel quadruplum auctarum.

78. Dubium quartò, & DD. in utramque partem magnô numerô tendentium maximâ contentione hodiéque agitata controversia est, an sponsalibus adjici valeat pœna, ex contrahentium conventione solvenda à resiliente; Eam enim saltem si notabilis sit, cum VV. fere omnibus Cynus *in l. Mulier 5. C. de Sponsal.* & Joan. Andr. *in c. Gemma 29. cit. n. 9.* &, si modica etiam sit, cum Bartolo *in l. Titia 134. ff. de V. O.* Ant. de Butrio & Panormit. *in c. Gemma cit. n. 8.* non tenere, volunt *citt.* Carerius *cap. 5.* Covarruvias *p. 2. cap. 3. §. 7. n. 5.* Sanchez *disp. 30. n. 11.* & Canisius *in c. cit. n. 2.* suam hanc opinionem fundantes *in c. Gemma cit.* quô relatũ Gregorii IX. celebre rescriptum est, *Cùm libera matrimonia esse debeant, & ideo talis stipulatio propter pœnæ interpositionem sit meritò improbanda: mandamus, quatenus eundem B. ut ab extorsione prædictæ pœnæ desistat, Ecclesiasticâ censurâ compellas.* Juri Ecclesiastico consonat Imperiale *l. Titia cit. & l. Mulier 5. in fine C. de Sponsal.* quarum *ll.* textibus pœna sponsalibus adjecta pariter indistinctè reprobatur, ex eadem ratione; quòd per eam matrimoniorum libertas impediatur aut minuatur.

Confirmatur hæc ratio; quia, sicut Imperiali *l. Mulier cit. V. Quæ omnia & V. fin.* sic & Canonicô Jure spectatô irrita est pactio de restituendis à resiliente arrhis ultra quadruplum auctis; cùm auctionem istam reprobans, & ex communi contrahentium placito quadrupli duntaxat pœnam permittens *l. cit.* à sacris Canonibus correcta non reperiatur; ut locus sit *arg. c. 1. & c. Cùm ex injuncto 2. de Novi oper. nunt.* Cùm ergo sponsalibus adjecta pœna Conventionalis matrimoniorum libertati non minùs officiat, quàm id, quod ex contrahentium consensu reddendum est ultra quadruplum, ultra hoc aliquid ex conventione reddendi prohibitione integrâ remanente, multò magis remanebit prohibitio Pœnæ conventionalis; quòd hæc in quantitate plerumque multò majori quàm Arrha soleat concedi, & conjugiorum libertatem magis lædat.

Sed neque hæc ratio ita efficax, ne- 79.
que illorum Jurium textus ita perspicui sunt; ut propositam VV. Opinionem indiscriminatim persuadeant Laimanno *cap. 1. cit. n. 8.* Pontio *Lib. 12. cap. 19. n. 8.* Palao *Tract. 28. disp. 1. p. 9. n. 3.* Perez *Disp. 7. s. 1. n. 7.* Dianæ *p. 3. tract. 4. resol. 21.* Haunoldo *Tom. 1. de J. & J. Tract. 4. n. 364.* & aliis RR. qui cum Gothofredo in *l. Titia cit. V. Inhonestum.* Suarez *Lib. 2. de Jurament. cap. 23. n. 5.* Vasquez *Opusc. de Testament. cap. 3. dub. 2. n. 28.* utuntur distinctione inter sponsalia, à quibus recessus Jure permissus est: & ea, à quibus non nisi cum alterius injuria, acproinde illicitè resilitur.

Et priori quidem casu, sive sponsa- 80.
libus, à quibus contrahenti, quòd vg. septenniô minor, aut si major est, ad pubertatis annos nondum pervenerit., vel Religionem ingredi velit &c. recessus Jure permissus est, adjectam pœnam esse nullam; ac proinde à resiliente non solvendam, haud ægrè concedunt; quòd hujusmodi pœna revera impediat à naturæ Auctore Deo indultam libertatem ma-

trimoniorum, & propterea meritò rejiciatur *c. & ll. citt.*

81. Posteriori autem casu, quò pœna adjicitur sponsalibus, à quibus licitè, sine alterius consensu vel injuria resiliri non potest, adjectam pœnam pro valida habent, ad eámque alteri exigenti solvendam resilientem condemnant. Ratio, quâ nituntur, unica, sed satis firma est; quòd hujusmodi sponsalibus pœna adjici nullo jure prohibeatur. Non Naturali, cùm; quia invitat ad actum honestum, ex Justitia debitum, & suppositis sponsalibus graviter præceptum eô Jure, datæ fidei violationem prohibente: tum verò;

82. quia non infringit libertatem ad nuptias aspirantibus indultam à Natura; cùm ista matrimonium ineundi, ab eóve abstinendi libertatem non concedat ei, qui propriæ & liberæ voluntatis electione ad id contrahendum alteri se obligavit. Non Divinô; quia, sicut ne ineantur sponsalia, sic & ne sponte initorum contractui roborando pœna adjiciatur, sacris Literis nuspiam cavetur. Neque etiam Ecclesiasticô; quia *c. Gemma cit.* cujus textu pœna indistinctè rejici, oppositæ sententiæ Assertoribus videtur, sermo est de ea apposita sponsalibus puellæ septenniô minoris; acproinde vel omnino invalidis ob defectum ætatis, *can. Unico 30. q. 2. c. Literas 4. &c. de Desponſ. impub. & c. Unico ibidem in 6.* requisitæ: vel talibus, à quibus puella, saltem pubes facta, justè poterat resilire, *c. De illis 7. de Desponſ. impub.* Quam recedendi licentiam, Jure permissam, cùm adjecta pœna adimat, vel multùm impediat, tanquam contraria libertati matrimonii, meritò rejecta est *c. Gemma cit.*

83. Confirmantur ista primò; quia conventio de Arrhis duplicatis, imò quadruplicatis, ab injustè resiliente restituendis Jure Imperiali permissa *l. Mulier 5. C. de Sponsal. & Arrhis*, licet resiliendi libertatem etiam ipsa, & aliquando non minùs quàm pœna infringat, sublata tamen non est *c. Gemma cit.* ut adversarii ultro fatentur. Secundò; quia à sponsalibus injustè recedens ad fidem servandam excommunicationis, omnium, quas Ecclesia habet, gravissimâ *c. Cùm non ab homine 10. de Judiciis*, aliisque pœnis Ecclesiasticis compelli solet, & de Jure potest, *c. Ex literis cit.* Tertiò; quia antiqua 84.
praxis plurium Germaniæ nostræ diœcesium est; ut injustè resilientes quandoque ad centum, mille aut plurium aureorum pœnam condemnentur; aut cum adversa parte inire cogantur ejusmodi compositionem, Gobat *Experient. Tract. 10. n. 179.* Quæ si matrimoniorum libertatem non diminuit, huic etiam non obstabit pœna, ex conventione solvenda ab injustè resiliente, ut idem rectè arguit cum DD. *citt.*

Non magis quàm *c. Gemma cit* adversantur *l. Titia & l. fin. cit. V. fin.* quia illâ sermo est de sponsalibus à parentibus contractis nomine liberorum non solùm impuberum sed etiam ignorantium: cujusmodi sponsalia non solùm obnoxia liberæ renuntiationi liberorum, sed omnino irrita sunt, *arg. l. Filiofamilias 11. ff. de Sponsal. & l. Nuptia 2. ff de Ritu nupt.* Gothofredus *in l. Titia cit.* istâ sive *l. Mulier cit. V. fin.* agitur de pœna Arrharum ultra quadruplum auctâ, ut ibi notat Glossa *fin.* & Haunold. *cit. Tract 4. à n. 369.*

Esto etiam *l. Titia & V. fin. citt.* ea, 85.
quam RR. tuentur, pœna rejiceretur, id tamen istorum doctrinæ non obstaret, quia, ut *citt.* Pontius *n. 9.* & Palao *n. 3.* rectè observant, antiquô Jure Romanorum non solùm resilire à sponsalibus, sed ab ipsis quoque matrimoniis legitimè contractis & consummatis divertere licebat, mo-

bat, modo resiliens vel divertens pœnam legibus statutam, scilicet Arrharum, dotis aut donationis propter nuptias amissionem subiret, *citt. l. 1. C. de Sponsal. l. Neque ab initio 14. C. de Nuptiis l. Divortium 2. &c. ff. de Divort. & Repud.* Quæ ita resiliendi divertendique legibus concessa libertas, ut non impediretur, cautum est; ne aliis pœnis constringerentur tam sponsalia *l. Titia l. Mulier citt.* quàm matrimonia *l. Si stipulatio 19. ff. de V O.* Aliter res se habet in lege Christiana, in qua, sicut matrimoniale vinculum omnino insolubile est, Matth. *cap. 19. v. 6.* sic sponsalitius contractus matrimonii ineundi parit obligationem: à qua, cùm contrahentium alterò invitò absque justa causa recedere sine peccato neuter valeat; ne temerè & cùm alterius injuria recedat, adjectâ pœnâ conventionali utiliter caveri videtur, & non prohibetur lege Divinâ atque Ecclesiasticâ: Recentiore autem & utrique huic legi magis conformi Jure Civili disertè permittitur *Constit. Novell. 18.* Leonis Imp. cujus Rubrica est, *Ut in sponsalibus constituta pœna exigatur*, quâ *l. Titia & l. Mulier citt.* antiqua dispositio est abrogata, ut *in l. Titia & Novell. citt.* Gothofredus adnotavit: vel potiùs ea, quâ *ll. citt.* jam antè derogatum fuit, Naturali ac Divino Juri magis consentanea & inter fideles passim recepta Consuetudo declarata & confirmata est, ut *cit. Novellâ* Imperator iteratò ac tertiò monet.

86. Neque istius Constitutionis vim infringit; quòd Novellæ Leonis, quatenus Romano Juri derogant, in Imperio Occidentali non sint receptæ, ut *Dissert. Proœm. n. 75.* est dictum; quia Juri huic non ipse Leo derogavit: sed solummodo ei contrariam Divinóque Juri consentaneam & fidelium moribus, in casu, quò à Romanis Evangelica lex divertit, passim receptâ Consuetudinem Imperiali authoritate approbavit ac roboravit, ut notat *cit.* Haunold. *n. 371.* & insinuatum est *n. 75. cit.*

Majorem difficultatem primâ fronte præsefert, sed æquò judiciò ponderatum exiguam in contrarium vim habet, ab augmento Arrhæ supra quadruplum desumptum argumentum; quia imprimis augmentum hoc idcirco potissimùm inhibitum videtur; quòd nimiam inæqualitatem constitueret inter sponsos; cùm, licet utriúsque, sponsalibus sine justa causa renuntiantis, temeritas sit par: eò tamen, à quo Arrha data est, si in fide non persistat, Arrham simplicem amittente, alter, si recedat, ad quantitatis ultra quadruplum auctæ restitutionem, adstringeretur. Deinde; quia tempore Leonis Imp. non invaluit legibus Arrhalibus contraria Consuetudo; cùm tempore editæ *Novell. 18. cit.* quâ ille consuetudinem pœnas conventionales permittentem roboravit, Arrhas solummodo duplicatas, & *l. Mulier cit.* præcipuè approbatas in usu fuisse constat. Demum, quia pœnâ conventionali permissâ satis occursum temerariæ sponsalium rescissioni, & pactionum nuptialium firmitati prospectum; ac proinde ab Arrhalibus quoque legibus recedendi necessitas aut utilitas nulla fuit, præsertim; cùm istæ Legi Evangelicæ magis sint conformes & Arrharum concessionem in quacunque quantitate non inhibeant, ut ex oppositæ sententiæ assertoribus defendunt, *citt.* Covarruvias §. 7. & Sanchez *disp. 35. uterque n. 9.* Ex hactenus deductis. 87.

Infertur primò, validum esse juramentum de pœna alteri solvenda ab eo, qui à sponsalibus injustè recedit; cùm de re Jure prohibita non sit; ac proinde ita resiliens ad eam alteri solvendam obliga- 88.

bitur, non solum Fidelitatis & Justitiæ, sed Religionis etiam virtute, ut docet Perez *cit. n. 6.* & ante eum Suarez *n. 5.* imò etiam Molina *Tract. 2. de I. & I. disp. 151. n. 22.* quantumvis, promissionem pœnæ simplicem irritam esse, velit.

89. Infertur secundò contra Alexand. de Nevo *in c. Gemma cit. n. 10.* & Molinam *l. cit.* invalidum esse juramentum de solvenda pœna, adjecta sponsalibus, à quibus resiliri Jure potest: quia est de re prohibita ob bonum publicum, scilicet matrimoniorum libertatem: quam conservari, publicè interest, & lædi, Leges & sacri etiam Canones vetuerunt, Unde juramentum istud bonis moribus adversari, & obligatorium non esse, juxta *c. Quantò 17. de Jurejurando & Reg. Non est 58. in 6.* cum *citt.* Suarez *n. 5.* Sanchez *disp. 32. n. 21.* & Gomez *Lib. 2. Var. cap. 14. n. 24.* rectè docet *cit.* Pontius *cap. 19. n. 7.*

Neque aliud eruitur ex decisione *c. Debitores 6. de Jurejurando*; quia lata disparitas est inter promissionem usurarum & pœnæ, eisque adjecta juramenta; quia pœnæ promissio irritata est ob favorem publicum: ob quem irritatis promissionibus adjecta juramenta nulla sunt, *c. Si diligenti 12. de Foro compet.* Palao *Tract. 14. disp. 2. p. 8. n. 11.* & Gobat *Experient. Tract. 10. n. 171.*

90. Infertur tertiò, dictam pœnam cum adjecto juramento invalidam etiam esse, si firmandis sponsalibus, à quibus de Jure resilire licet, adiiciatur à sponsorum parentibus & consanguineis, ut colligitur ex *l. Titia & c. Gemma citt.* textibus. Ratio est; quia etiam ab his adjecta obstat libertati matrimonii; cùm ab isto abstinere volentes impediat metus; ne, si non contrahatur, parentes aut cognati pœnæ exactioni obnoxii sint. Ita Glossa *in l. cit. V. Matrimonia* & *in c. cit.* Joan. Andr. *n. 9.* Ant. de Butrio *n. 7.* Panormit. *n. 9.* & Barbosa *n. 4.* & alii apud *cit.* Sanchez *disp. 30. n. 3.*

ARTICULUS V.

De Sponsalium Dissolutione.

SUMMARIUM.

91. *Sponsalia solvuntur morte sponsi aut sponsæ.*
92. *Utroque superstite I. Eorum mutuo consensu:*
93. *Etiamsi sponsalia jurata,*
94. *Et alicui voto promissa sint:*
95. *Alicubi tamen non sine authoritate Ordinarii ab iis receditur.*
96. *II. Dissensu unius adepti pubertatem.*
97. *III. Ordine sacro, Professione & Voto Religionis.*
98. *IV. Superveniente alio impedimento Nuptiali.*
99. *Sponsalia, superveniente matrimonio cum alia, cessare,*
100. *Eáque solummodo suspendi, asserentium Opinio verior.*
101. *Eadem, si impotentia ex parte utriusque.*
102. *Si affinitas ex copulâ illicita superveniat, ex innocentis:*
103. *Non etiam ex nocentis parte omnino cessant.*
104. *V. Fornicatione sponsæ:*
105. *Imò etiam sponsi,*
106. *Et ipsorum utriusque:*
107. *Uti & violenta corruptione sponsæ:*
108. *Non etiam sponsi, aut istius tactibus inpudicis.*
109. *VI. Lapsu unius in Hæresin.*

110. *VII.*

110. *VII. Superveniente notabili mutatione,*
111. *Seu defectu corporis aut animi,*
112. *Jacturâ bonorum, inimicitiâ &c.*
113. *Nisi defectus antè cognitus fuerit.*
114. *VIII. Deficiente conditione, sponsalibus appositâ.*
115. *IX. Lapsu termini: qui non solùm implendæ:*
116. *Sed finiendæ obligationi fuit præfixus:*
117. *Etiamsi sponsi mora culpâ vacet.*
118. *X. Sponso mutante domicilium.*
119. *Aut aliàs diu absente.*
120. *Ea de re notabilis differentia inter Jura,*
121. *Et Praxin, sponso absente, observanda.*
122. *Recessus à sponsalibus alicubi fere publicâ duntaxat:*
123. *Communi Jure spectato per se privata authoritate est permissus:*
124. *Ad eúmque aliquando sufficit semiplena,*
125. *Aliquando plena probatio necessaria est,*
126. *In foro saltem externo.*

91. SPonsalia, licet ad Matrimonii Sacramentum sint via, pactionis tamen & contractûs humani limites vix egrediuntur: &, ut contractus cæteri, ipsa quoque possunt dissolvi. Neque id solùm morte naturali, quæ, sicut rerum omnium fatum ac finis, sic peremptorius quoque terminus est sponsalitiæ obligationis & ipsius vinculi matrimonialis solutio, *Novell. 23. cap. 20.* sed & superstite utroque desponsatorum, & multis ex causis.

92. Et primò quidem, sponsalia contracta inter puberes eorum superstitum mutuo consensu dissolvi, ex *c. Præterea 2.* perspicuum & ratio solennis est; quia obligationes, quæ consensu contrahuntur, contraria voluntate dissolvuntur, *§. fin. Instit. Quibus modis toll. oblig.* & generaliter omnis res (solubilis, ut sponsalia: non etiam matrimonium, Matth. *cap. 19. v. 6.*) per quascunque causas nascitur, per easdem & dissolvitur, *c. 1. & l. Nihil 35. ff. de R. I.*

Atque hoc locum habet etiam in 93.
sponsalibus juratis; cùm enim invito beneficium non detur, *l. Invito 70. ff. de R. I.* omni Juramento, quod in favorem sive bonum & utilitatem hominis præstitum est, inest tacita conditio, *Nisi ab isto remittatur*, Felinus *in c. 1. de Jurejurando n. 6.* Suarez *Lib. 2. de Juram. cap. 34. n. 3.* & Barbosa *in c. 1. cit. n. 2.* Accedit; quòd juramentum sequatur naturam & conditiones actûs, cui est adjectum, *arg. Reg. Accessorium 42. in 6. & l. fin. C. de Non numerat. pec.* eámque ob causam, sicut simplex promissio matrimonii, sic etiam jurata, mutuo consensu valeat remitti, Panormit. *in c. Præterea cit. n. 2. ubi* Barbosa *n. 9.* & Gonzalez *n. 7.*

Quin etiam, si quis ob honorem 94.
Dei puellæ matrimonium juratus promisisset, istius suóque consensu sponsalia solverentur; quòd hujusmodi juramentum Deus non acceptet, nisi in utilitatem partis, scilicet puellæ: quæ, cùm promissionem non acceptare, & acceptatam remittere valeat, etiam tali promissioni, eique accessorio juramento inest tacita conditio, *Nisi ista matrimonium respuat, aut ejus promissionem acceptatam remittat*, Zabarella *in c. Præterea cit. n. 4.* Brunell. *de Sponsal. concl. 9. n. 2.* & Sanchez *Lib. 1. de Matrim. disp. 52. n. 8.*

Neque in contrarium facit; quòd *c. Præterea cit.* Innocentius vel potiùs Alexander III. ut observat Gonzalez *in c. cit.*

n. 1. sponsos jubeat admoneri; ut datam fidem servent: & talem sponsalium dissolutionem permittere videatur, tanquam malum ex duobus minus, cùm ait, *Ne fortè deterius inde contingat.* Non, inquam, hic textus in contrarium facit; quia imprimis Papa sponsos moneri jussit, non quòd mutuo consensu recedere Jure aliquo prohiberentur; cùm, id permissum, apertè insinuet ipse textus, sponsalia comparans contractui societatis: quam mutuo consensu dissolvi posse, nemo est, qui inficias eat: sed ad vitandam offensionem vulgi, ejusmodi recessum à sponsalibus, præsertim juratis tanquam fidei & juramenti violationem quandoque apprehendentis, Innocent. & Panormit. *in cit. c. n. 5.* Dein; quia sponsi, ut fidem sibi mutuò servent, monendi sunt, quando non habent rationabilem causam dissolutionis; ne præbeant ansam offensionis & materiam obloquiorum, ut notat Palao *Disp. 1. cit. p. 17. n. 3.* Imò, si nullâ rationabili causâ suadente ex mera animi levitate, vel ex ira subitò coorta, aliáve animi passione sponsalibus mutuò renuntient, dissolutionem culpâ non vacare, rectè docent Perez *Disp. 9. de Matrim. s. 1. n. 5.* & Gobat *Experient. Theolog. Tract. 10. n. 248.* quô proinde casu dissolutio, tanquam malum ex duobus minus, & post monitionem de fide sibi mutuò servanda, est permittenda.

95. Notanda hôc locô est Praxis quarundam Germaniæ nostræ diœcesium, in quibus ex consuetudine vel statuto sponsalium, coram Parocho & testibus initorum & aliorum publicè notorum, dissolutio sponsis non permittitur, nisi causâ prius ad Ordinarium delatâ & ab isto approbatâ, teste Laiman. *Lib. 5. Tract. 10. p. 1. cap. 2. n. 23.* & *cit.* Gobat *n. 260. & 264.* quæ Praxis, præsertim ad frænandam, sponsalia facilè ineundi, & initis renuntiandi, licentiam ac levitatem introducta, omnino laudabilis est, & à *citt.* DD. ipsóque Doctore Angelico *in 4. dist. 27. q. 2. art. 3.* & S. Antonino *p. 3. tit. 1. cap. 18. §. 1.* & aliis approbatur.

Secundò, ab impubere contracta, solô ejusdem, pubertatem adepti dissensu solvuntur, *c. De illis 7. de Desponsi. impub.* ad quam *Rubric.* hâc de re pleniùs agetur. 96.

Tertiò, susceptione Ordinis sacri; quòd istô initiatus ad matrimonium validè ineundum inhabilis sit, *c. 1. de Cleric. conjug. c. 1. & c. Ex literarum 2. Qui cleric. & vovent.* & Concil. Trident. *Sess. 24. can. 9.* uti & Professione Religionis, à sede Apostolica approbatæ, *arg. c. Verùm 2. & c. Ex publico 7. de Convers. conjug.* & votis Religionis simplicibus, post Novitiatûs biennium editis in Societate JESU; cùm, sicut professione, sic etiam votis istis homo efficiatur verus Religiosus & inhabilis ad matrimonium validè contrahendum, ex *Constitut.* Gregorii XIII. quæ incipit *Ascendente 8. Calend. 1584. editâ.* Imò & simplici voto ingrediendi Religionem, *c. Meminimus 3. Qui cleric. & vovent.* ad quam *Rubr.* has dissolutionis causas omnes ex instituto discutiemus. 97.

Quartò, contractis ab uno sponsorum de futuro cum alia sponsalibus de præsenti, sive matrimonio, *c. 1. de Sponsa duor.* uti etiam superveniente inter eos affinitate, propter admissam ab altero cum alterius consanguineo vel consanguinea in primo vel secundo gradu copulam carnalem, *c. Si quis sponsam, 27. q. 2. c. Ex literis 8. &c. de Eo, qui cognovit. &c.* junctô Concil. Trident. *Sess. 24. cap. 4. de Reformat. Matrim.* vel cognatione spirituali aut alio impedimento: de quorum singulis ad propriam cuique Rubricam 98.

bricam commodiùs agetur. Ubi

99. Dubium primò est, an sponsalia de futuro inita cum una, supervenientib⁹ cum alia sponsalibus de præsenti, ita solvantur; ut, etiam sponsâ de præsenti mortuâ vel ante nuptiarum consummationem ingressâ Religionem, priùs inita sponsalia de futuro implere sponsus non teneatur. Ista implere non teneri sponsam, nemo est, qui inficietur, propter fidei ipsi datæ violationem. Idem de sponso asserunt Guttierez *de Matrim. cap. 27.* Sanchez *cit. Lib. 1. disp. 48. n. 3.* & Laiman. *Lib. 5. Tract. 10. p. 1. cap. 2. n. 22.* eâ ducti ratione; quòd sponsalium de futuro initorum obligatio per inita de præsenti sit extincta, *c. Sicut 22. & c. Si inter 31.* cùm istorum sit obligatio fortior, quæ minùs fortem tollit, *c. Qui post 5. de Regular. in 6.* obligatio autem semel extincta amplius non reviviscat, *l. Qui res 98. §. 8. ff. de Solutionibus.*

100. Sed meliori ratione, sponsalia tali casu à sponso adimplenda, defendunt Coninch *Disp. 23. dub. 4. n. 32.* & in suis *Tractat. de Matrimonio* Pontius *Lib. 12. cap. 13. n. 4.* Perez *disp. 9. s. 7. n. 5.* Hurtadus *disp. 2. diff. 7.* & Palao *Tract. 28. disp. 1. p. 21. n. 4.* quòd obligationem, ex sponsalibus cum prima initis ortam, penitus extinguendi vim supervenientia sponsalia de præsenti non habeant ex Jure naturali; quia, hôc spectatô, obligatio illa consistere valet cum matrimonio, saltem quatenus respicit tempus istius per obitum dissoluti: eámque tali casu solummodo suspendi conveniens sit; ne fide, quam uni dedit, violatâ aliam ducens ex sua malitia commodum reportet, & pars læsa jure suo pro eo etiam casu privetur, quó ejus usum nihil impedit aut moratur. Neque ex Positivo; quia, sponsalia priora penitus extingui, non asseritur *cc. citt.* sed solummodo deciditur, matrimonium esse validum, eóque copulatos non separandos. Confirmatur hæc ratio exemplis Imprimis voti Religionis, quô ligatus, si Deo fidem frangat, ineátque & consummet matrimonium, voti obligatione non penitus liberatur; ut conjuge saltem vitâ functo illud adimplere & Religionem, si admittatur, ingredi teneatur, Deinde ejus, qui rem vg. equum uni venditum vendit ac tradit alteri; licet enim equi dominium emptor posterior consequatur, *l. Quoties 18. de R. V.* casu tamen, quô ab isto equus venditori redditur, eum priori emptori tradere tenetur. Cur non idem Juris sit in casu præsenti; cùm, ex propositis sponsalibus de futuro ortam obligationem, matrimoniô cum alia contractô, penitus extingui, nec ratio nec *cc. citt.* textus evincant.

Neque argumentum ad præsentem casum rectè ducitur à voto ingrediendi Religionem strictiorem, quod professione laxioris extingui, decisio est *c. Qui post cit.* quia votô simplici strictiorem, & solenni, laxiorem Religionem spectante, fides data non est diversis, sed eidem, scilicet Domino Deo: cui cùm actualis sui traditio, facta professione laxioris Religionis, gratius opus sit, quàm simplex promissio ingrediendi strictiorem, voti simplicis obligationem ex Dei voluntate cessare, Ecclesia Divini beneplaciti interpres *c. cit.* declaravit, eóve contractam obligationem Dei nomine remisit; ut Religionum pax eásque profitentium tranquillitas conservetur. In nostro autem casu fides data est sponsis diversis, uni Pactionis per verba de futuro, alteri Consensûs per verba de præsenti, quô prioris jus læsum quidem ac suspensum, sed neque perpetuò remissum ab ipso, neque ex natura rei vel ex Juris dispositione omnino extinctum constat.

101. Dubium secundò est, an, superveniente alio impedimento dirimente, sponsalium præcedentium obligatio omnino cesset. Qua in re certum est, hanc cessare, si superveniens impedimentum, ut vg. impotentia perpetua, conjugium dirimat jure Naturæ; cùm matrimonium jure impossibile evadat: impossibilium autem obligatio non sit, *Reg. Impossibilium 185. ff. & Reg. Nemo 6. in 6.* Eandem omnino cessare, si impedimentum sit Juris Ecclesiastici, ut vg. est fornicatio cum consanguinea sponsæ huic primò vel secundò gradu conjuncta; quòd, cùm conjugium etiam hoc casu jure impossibile sit, ex sponsalibus ortam obligationem cessare sit necesse.

102. Sed verisimiliùs *citt.* Coninck *n. 37.* Palao *p. 25. n. 2.* & Perez *s. 2. à n. 5.* distinguunt inter sponsos: & obligationem sponsalitiam cessare, ajunt, ex parte innocentis, *arg. c. Quemadmodum 25. pr. de Jurejurando:* ex parte nocentis autem sive ejus, qui impedimenti causa fuit, illam solummodo suspendi. Ratio prioris est; quòd ex parte nocentis superveniens notabilis mutatio innocenti justam causam præbeat à sponsalibus resiliendi, 103. *pr cit.* Posterioris verò; quòd æquum non sit; ut, qui impedimento causam dedit, ex sua malitia reportet commodum & liberetur ab obligatione contracta erga eum, in quem deliquit. Unde iste, impedimentò per dispensationem sublatò, fidem datam innocenti, si iste velit, adimplere & dispensationem super impedimento procurare tenetur; quòd, cùm nuptiis, ad quas obligatus erat, impedimentum voluntariè ponens sponsi sui jus læserit, ad læsionem tollendam & innocentis jus reparandum, si potest, obligetur: hoc autém reparare, ac læsionem tollere, impedimentò per dispensationis impetrationem remotò possit, *citt.* Palao *n. 4.* & Perez *n. 9.* rectè excipiens casum, quò dispensatio sine incommodo & damno multo graviori, quàm ex impedimento pars læsa patitur, non potest impetrari.

Neque obstat; quòd dispensatio sit favor & gratia Principis affinis privilegio, quò uti invitus nemo tenetur; quia, licet hoc per se ita sit, per accidens tamen ratione injuriæ & damni, quod intulit alteri, favore suo uti tenetur, si reparatio fieri aliter non possit.

104. Quintò sponsalia dissolvuntur fornicatione carnali alterius sponsi: quâ post sponsalia etiam iurata commissâ innocens à sponsalium obligatione liberatur, *c. Quemadmodum 25. pr. de Jurejurando:* licet ipso volente ad eorum impletionem obligetur nocens; ut ex iniquitate suâ ipse non referat commodum, & innocenti damnum ac præjudicium non generetur, contra *Reg. Quod ob gratiam 61 in 6. & l. Quod favore 6. C. de LL.* Brunell. *de Sponsal. concl. 8. n. 4.* & Covarruvias *p. 1. de Sponsal. cap. 5. initiò n. 2. & cit.* Sanchez *disp. 55. n. 2.*

105. Dico, *Alterius*, non *Solius sponsæ*; quia, licet *c. cit.* textus expresè loquatur de ista: ejus tamen dispositio locum habet etiam in sponso; ut, sicut iste sponsâ, hæc quoque, ipso fornicante, sponsalibus stare non teneatur, ut cum *citt.* DD. & Panormit. *in c. cit. n. 4.* tradunt Menochius *Lib. 2. de Arbitr. judic. casu 455. n. 5.* & Sanchez *cit. disp. 55. n. 4.* Ratio est; quia quoad hoc mas & fœmina ad imparia non judicantur. Neque id injuriâ; cùm quoad hoc eadem ratio sit utriusque; quòd enim fornicando alteri datam fidem frangat, & gravem injuriam inferat uterque, sicut post unius conjugis adulterium alteri, tam uxori quàm maritò, divertere, *can. Apostolus 32. q. 7.* sic post unius, tam sponsi quàm sponsæ

sponsæ fornicationem alteri à sponsalibus licebit resilire. Hæc satis certa.

106. Dubium autem & controversia est de casu, quô post sponsalia fornicatus est uterque; eô enim, quòd delicta mutuò compensentur, *arg. c. Intelleximus 6. de Adult. & stupr.* recessum à sponsalibus neutri, Bonacina *de Matrim. q. 1. p. 8. n. 8.* & Perez *de Matrim. disp. 9. s. 16. n. 2.* soli autem sponso eum permissum, crebriori suffragio volunt alii cum *citt.* Sanchez *n. 9.* & Pontio *Lib. 12. de Matrim. cap. 17. n. 3.* eâ persuasi ratione; quòd fornicatio sponsæ multò fædior sit, eámque viliorem reddat quàm sponsum; ut eruditè ostendit Tiraquellus *Connub. L. 1. n. 45.* & licet, hâc inæqualitate non obstante, perinde ut si paria delicta essent, ad effectum divortii mutuâ compensatione tollantur conjugum adulteria, *c. cit.* aliter tamen res se habeat in sponsis: quorum obligatio, quavis notabili mutatione superveniente aliisve modis, conjugum verò ad thorum & cohabitationem obligatio multò difficilius, & ex causis tantùm gravissimis tolli potest ac solet.

Ex duabus his Opinionibus licet posteriorem præferam priori, non parùm tamen arridet sententia Palai, in proposito casu recessum à sponsalibus utrique permittentis, *cit. disp. 1. p. 25. n. 10.* partim; quòd etiam sponsæ sufficiens causa detur diffidendi de observatione fidei conjugalis: partim verò; quòd casu, quô in sponsalium executione uterque culpabilis est, delicta non compensentur: sed à sponsalibus recessum utrique permittat communis sententia DD.

107. Dubium secundò est, an à sponsalibus resilire liceat ob fornicationem, sive copulam carnalem, vi extortam. Id sponso licitum, si ea vi extorta sit à sponsa, desumitur ex *can. Raptor 27. q. 2.* ubi violentus sponsæ non consentientis raptus à sponsalibus recedendi causam sufficientem sponso præbet. Cur non etiam stuprum? cùm hoc passa sponsa multò vilior reddatur sponso: cui, illam ab alio corruptam ducere probrosum simul ac periculosum est; ne prolē alienam alat pro sua. Ita *in c. Quemadmodum cit.* cum Glossa *V. Oculos*, Panormit. *n. 12.* Alex. de Nevo *n. 17.* Barbosa *n. 11.* & Interpp. ac DD. cæteri passim.

Pari modo, sponsô vi curruptô à 108.
sponsalibus resiliendi causam justam sponsæ præberi, cum Glossa *in can. Sic quippe 45. V. Quæritur, 27. q. 2.* vult *cit.* Guttierez *cap. 31. n. 3.* At revera paritas non est; quia ejusmodi violentia, cùm ferè nullam aut exiguam notam sponso afferat, nec probrosa nec periculosa est sponsæ; ideóque, recessum à sponsalibus huic propterea non permissum, censent *citt.* Sanchez *disp. 55. n. 8.* & Pontius *cap. 17. n. 3.*

Ob eandem rationem, licet resiliendi justam causam sponso præbeat sponsalitium contractum antecedens & ejus initi tempore ignorata fornicatio sponsæ, & post istum initum ab ista admissi tactus impudici, nihilominus neque propter illam ante sponsalia commissam, neque propter hos postea factos à sponso sponsalibus renuntiandi jus sponsæ adstruunt Molina *Tract. 1. de I. & I. disp. 27. n. 2. citt.* Sanchez *n. 5. & disp. 63. n. 3.* & Perez *s. 14. n. 3.* Nisi tamen hujusmodi tactus & similes actus alii exerciti post sponsalia, aut ista antecedens fornicatio frequentata futuri matrimonii statum multò difficiliorem, & sponsam meritò dubiā redderent de proniore in alias quàm in se affectu, fidéque conjugali non servanda; hoc enim casu etiam sponsæ resiliendi causam justam præberi, censent Coninck *de Ma-*

trim. disp. 23. dub. 7. n. 56. Laiman. *Lib. 5. Tract. 10. p. 1. cap. 2. n. 11.* & Perez *cit. f. 14. n. 1.*

109. Sextò sponsorum alterô lapsô in fornicationem spiritualem, sive Hæresin aut Apostasiam, *arg. c. fin. de Convers. conjug. & c. Quæsivit 2. de Divortiis*; cùm enim secundùm hos textus ejusmodi fornicatio justam causam præbeat conjugum divortio, etiam solvet sponsalia: quorum rescissio multò quàm divortium expeditior, & ob supervenientem quamvis notabilem mutationem est permissa, *c. Quemadmodum cit. pr.* Accedit; quòd ex conjugio & cohabitatione cum sponso sponsáve, in hæresin lapsa, salutis aliáque haud sanè levia pericula & incommoda immineant fideli, in eámque perfidi consortis probrum & infamia redundet, *citt.* Guttierez *cap. 31. n. 5.* Sanchez *disp. 55. n. 3.* & Palao *cap. 25. n. 11.*

110. Septimò, resiliendi justa causa est, ex parte alterius sponsalibus superveniens, vel postea primùm cognita circumstantia notabilis, hoc est, talis, quæ illum deteriorem & contractum matrimonii notabiliter difficiliorem reddit; ut, si ea ab initio extitisset vel fuisset cognita, prudentum judicio à conjugii ineundi promissione alterum meritò absterruisset: quod cum Tannero *Tom. 4. disp. 8. q. 1. n. 69.* Coninck *disp. 23. dub. 8.* Laiman. *cit. cap. 2. n. 18.* pro Regula tradit Gobat *Experient. Tract. 10. n. 293.* Ratio prioris partis, sive de circumstantia aut mutatione notabili superveniente est; quòd contrahentium intentio non præsumatur ad talem casum se extendisse: & propterea sponsalibus, quæ amplectendi statûs perpetui obligationem inducunt, & magnam libertatem in contrahentibus exigunt, uti & juramento iis adjecto ex dispositione Juris insit tacita conditio, *Si res in eodem statu permaneat*, vel, *Si res notabiliter non mutetur, c. Quemadmodum cit. pr.* ubi Ant. de Butrio *n. 13.* Sylvester *V. Sponsalia, q. 10. casu 17.* & alii, quos referunt & sequuntur *cit.* Sanchez *disp. 62. n. 3. & 4.* Barbosa *in c. cit. n. 3.* & Gonzalez *n. 2. in fine.* Posterioris, sive de circumstantia priùs existente, sed postea primùm cognitâ ratio est; quia in Jure paria sunt, non esse, & non apparere, *l. Duo sunt 30. ff. de Testament. tutel.* Gaill. *Lib. 1. observat. 105. n. 14.* & aliquid supervenire, & præcedere sed ignorari, *l. In lege 77. ff. de Contrah. empt.* Lessius *de I. & I. Lib. 2. cap. 42. n. 34.* Unde notabilis circumstantia primùm apparens perinde ut, quæ de novo supervenit, habetur; ut adeò sponsalibus, sicut hæc, *Si res in eodem statu permaneat*, sic illa quoque conditio insit, *Nisi notabilis & matrimonii statum notabiliter difficiliorem reddens circumstantia appareat.*

In specie autem notabilis, & à spon- 111.
salibus recedendi justam causam præbens circumstantia censetur Primò, superveniens alteri magna deformitas aut gravis infirmitas corporis: ut sunt vg. amissio unius vel utriusque oculi, aurium, nariúmve truncatio, lepra, paralysis, epilepsia, Gallicus vel alius contagiosus aut difficulter curabilis morbus: uti & graveolentia oris, quæ arte Medica superari non potest, per textum aut *arg. pr. c. Quemadmodum cit.* Ratio est; quia ejusmodi labes ac morbi magnum horrorem afferre, & cohabitationem valde molestam & propemodum intolerabilem reddere: aliquando etiam ipsos conjuges ad divortium inducere solent, *citt.* Sanchez *disp. 57. à n. 1.* & Pontius *cap. 17. n. 4.*

Secundò, superveniens, aut postea primùm cognitus defectus animi: ut sunt furor & amentia rediens per intervalla, magna

magna & præsertim inveterata propensio ad ebrietatem, scortationes, rixas, sævitiam &c. quia cum hujusmodi hominibus inita matrimonia difficillima, & tristibus atque infelicibus casibus obnoxia plerumque sunt, *citt.* Coninck *dub. 8. à n. 67. & cit.* Palao *p. 27. n. 7.*

112. Tertiò, gravis jactura famæ, ex ejusmodi vel alio turpi crimine, puta ex hæresi, veneficio, latrocinio, furto &c. orta, Guttierez *cap. 23. n. 63.* notabilis amissio bonorum, aut justus timor exhæreditationis, indéque proveniens aut metuenda paupertas ex parte alicujus honestæ conditionis sponsi: & multò magis sponsæ, si propterea futuro marito promissam & meritò expectatam dotem nequeat afferre: imò etiam ex parte utriusque; quia etiam hæc matrimonii contractum multò difficiliorem reddere & statum vitámque matrimonialem multùm affligere solent, *citt.* Laiman. *cit. n. 18.* & Gobat *n. 329.*

Quartò, graves inimicitiæ inter sponsos exortæ, vel metuendæ inter eorum parentes ac familias, præsertim si contrahentium alterius parentes & consanguinei matrimonio obstinatè contradicant; ut graves discordiæ & capitalia odia timeri meritò possint; quia eorum matrimonium utrique grave & magnis periculis expositum est, *citt.* Coninck *n. 68.* & Laiman. *n. 18.*

113. Rectè tamen hic Doctor observat, sponsum, si cognitâ aliquâ ex relatis vel aliâ simili à sponsalibus resiliendi justâ causâ, sponsam carnaliter cognoscat, juri suo renuntiare videri ferè, sicut ad conjugem, post compertum istius adulterium, voluntariè accedens ei injuriam remittere censetur; ut ad divortium amplius non admittatur: quod, saltem si sponsalia non ipso Jure nulla fuissent, cum S. Thoma *in 4. dist. 35. q. unica, art. 1.* etiam docent *citt.* Sanchez *disp. 66. n. 2.* & Pontius *cap. 18. n. 4.*

Octavò, sponsalia, etiam jurata, solvuntur deficiente vel non impletâ conditione, sub qua inita fuerunt; quòd ita deficiat consensus relatus in eventum conditionis, *c. De illis 3. de Condit. appos.* ad quam Rubricam hujus causæ plenior explicatio dabitur. 114.

Nonò, sponsalia solvuntur lapsu termini, matrimonio ineundo præfixi, *c. Sicut te 22.* Potest autem terminus sive dies certu præfigi, vel obligationi solummodo implendæ, sive ita; ut promissas nuptias usque ad præfixum diem, non ultra eum, liceat differre, sicut debiti pecuniarii solutioni præfigi solet: vel ei etiam finiendæ; ut, si nuptiæ usque ad statutum diem alterius culpâ non fuerint secutæ, sponsalitia obligatione alter non adstringatur, Gonzalez *in c. cit. n. 2.* 115.

Priori modò si terminus adjiciatur, eò lapsò sponsalia non solvuntur, sed ea implendi obligatio manet ex parte utriusque, *arg. c. Cùm dilecti 6. de Dolo & l. Celsus 23. §. 1. ff. de Recept. arbitr.* quia, ut in *c. cit.* Panormit. *n. 12.* advertit, sponsalibus ita initis insunt obligationes duæ: una ineundi matrimonium: altera istius contractum ultra præfixum diem non differendi: quarum posteriori, temporis lapsu deficiente, manet prior utpote principalis absoluta, & ab altera independens: sicut manet obligatio solvendi pecuniam, quæ statutò die non est soluta. Ita *in c. Sicut cit.* Panormit. *n. 11.* Alex. de Nevo *n. 18.* Sylvester *V. Sponsalia n. 1.* Brunellus *de Sponsal. conclus. 8. n. 4. citt.* Covarruvias *cit. cap. 5. pr. n. 8.* & Sanchez *disp. 53. n. 2.*

Posteriori modò sive finiendæ obligationi, si terminus adjectus & intra eum nuptiæ secutæ non sint, sponsus, qui ad has erat paratus, ac proinde per eum 116.

non stetit, quò minùs fuerint secutæ, sponsalium etiam juratorum obligatione liberatur, *c. Sicut cit.* Ratio clara est; quia promissio, eique firmandæ adjectum juramentum, non obligat ultra conventionem & contrahentium intentionem, *arg. Reg. Contractus 85. & Reg. Accessorium 42. in 6.* Alter tamen, cujus culpabili morâ matrimonium secutum non est; ad hoc ineundum manet obligatus, ut colligitur ex *c. Sicut cit.* quia æquum non est, ut ex iniquitate sua commodum reportet, Alexand. de Nevo *in c. cit. n. 20.* & Sanchez *disp. 53. n. 6.* Nisi sponsalibus terminus ita statutus esset; ut ultra eum ex quacunque causa nuptiæ secutæ non fuerint, neuter alteri velit obligari; hôc enim casu *arg. Reg. Contractus cit.* lapsô terminô utrumque deobligari, rectè monet Perez *disp. 9. s. 10. n. 2. in fine.*

117. Dubium hac in re est, an qui ad nuptias statutô die ineundas fuit paratus, ab obligatione etiam liberetur, quando alterius mora culpâ vacat. Quod cum Paludano *in 4. dist. 27. q. 1. art. 3. n. 20.* negant *citt.* Guttierez *cap. 24. n. 10.* Sanchez *disp. 53. n. 7.* & Pontius *cap. 16. n. 4. in fine*, eâ permoti ratione; quòd tempus non currat legitimè impedito, *c. Quia diversitatem 5. de Conces. Præb. & l. 1. §. fin. C. de Annali except.* legitimè autem impeditus utique sit is, cujus mora omni culpâ vacat; cùm per eum non stet, quò minùs nuptiæ celebrentur: quod, ad alterum ab obligatione eximendum, exigitur *c. Sicut cit.*

Verùm, quia per eum, qui ad nuptias paratus fuit, nullo modo stetit, quò minùs eæ sint secutæ: sed hujus causa se tenuit ex parte alterius, qui in mora etiam inculpabili fuit: & *c. cit.* textus ad aliquem à sponsalium obligatione eximendum plus non exigit, quàm ut per eum non steterit, quò minùs matrimonium fuerit secutum, abstrahendô, an alterius mora cum culpa conjuncta vel inculpata sit, in proposito casu eum, qui ad nuptias in tempore celebrandas paratus fuit, illô lapsô deobligatum, cum Navarro *Manual. cap. 22. n. 27. casu 11.* meritò defendunt *citt.* Coninck *disp. 23. dub. 6. n. 47.* Laiman. *cap. 2. cit. n. 17.* & Palao *p. 24. n. 8.* & alii: pro quibus facit *c. Sicut cit.* decisio, eum, per quem non stetit, quò minùs nuptiæ secutæ sint, ab obligatione liberum pronuntians, sine distinctione vel exceptione: uti & *l. Si convenerit 14. ff. Pro Socio*, ex cujus dispositione societati ob solum defectum conditionis, quâ illa contracta fuit, renuntians actione non tenetur. Rationem reddunt; quia ita convenit; acproinde, qui ad nuptias in tempore fuit paratus, si istô lapsô resiliat, defendetur *Reg. contractus cit.* quantumvis alterius mora culpâ vacet; quia Nuptiarum omissio illi non minùs incommoda, periculosa & damnosa est, quàm si mora culpabilis fuisset.

Neque aliud evincit ratio allata in contrarium; quia, esto legitimè impedito tempus non currat ad contrahendam pœnam Legalem aut Conventionalem, *arg. c. Quia & l. fin. citt.* currit tamen ad tollendam obligationem, si eô lapsô deficiat conditio, cui promissio est alligata, *c. Sicut & l. Si convenerit citt.* sicut contingit in sponsalibus, quorum obligatio, si intra præfixum tempus nuptiæ non celebrentur, ob defectum conditionis potiùs, quàm in pœnam cessat, ut notat *cit.* Palao *p. 24. n. 9.*

Decimò, sponsalia ex parte sponsæ 118.
solvuntur dissessu sponsi (& à fortiori dissessu sponsæ dirimuntur ex parte sponsi, Alexand. de Nevo *in c. De illis 5. n. 16*) in remotas terras, sponsâ insciâ aut invitâ, secundùm communem sententiam

Interpp.

Interpp. in *c. cit.* & DD. aliorum: Qua in re tamen locus, imò opus est distinctione inter duos casus.

Unum, quò discessus fit animò mutandi domicilium: de quo duntaxat *c. cit.* sermonem esse, perspicuum est ex verbis, *Et postèa dimittunt terram, ad alias partes se transferentes*, ut *ibi* notant Panormit. *n.* 2. Canisius *n.* 1. & Pontius *cit. Lib.* 12. *cap.* 15, *n.* 2. neque enim, qui studiorum aut alicujus negotii gerendi causâ aliò se confert, terram dimittit, *arg. l. Clam possidere* 6. §. *fin. ff de Adquir. vel amitt. poss. & l. Nec ipsi* 2. *C. de Incolis.* Ratio cur tali discessu sponsalia etiam jurata solvantur, est partim; quòd eô animô discedens iis ipsô factô videatur renuntiare: partim; quòd sponsa de futuro sponsum, domicilium mutantem, sicut uxor maritum, sequi non teneatur, Glossa *in c. cit. V. Recepta*, Tiraquell. *de Jure Mariti, Gloss.* 2. *n.* 24.

Alterum, quô discessus fit animô redeundi: de quo casu opus est altera distinctione; vel enim ita discedit eò, unde reditus facilis & non diu differendus judicatur, aut secus? Si prius, à sponsalibus recedendi justam causam non esse, sed sponsum expectandum facilè convenit
119. inter DD. Si posterius, & sponsus ita discedit eò, unde difficilis est regressus: vel etiam, si iste difficilis non est, sponsus ex alia causa diu non rediturus moraliter certò scitur, recessum à sponsalibus sponsæ permissum, contra Glossam *in c. cit. V. Liberum*, Joan. Andr. *n.* 6. Sylvestrum *V. Sponsalia, n.* 10. *casu* 4. & alios defendunt, Alexand. de Nevo in *c. cit. n.* 15. Alexand. Carerius *Lib.* 1. *de Sponsal. cap.* 15. Sanchez *disp.* 54. *n.* 6. alios referens & Perez *cit. disp.* 9 *f. & n.* 9. Non quidem propter *c. De illis cit.* textum, ut vult Sanchez, quia isto agitur de discessu sponsi, relictâ sponsâ aliò se transferentis & domicilium mutantis, ut jam est insinuatum: sed; quòd insciâ & invitâ sponsa discedens eò, unde difficulter, aut non nisi post longum tempus est rediturus, juri suo renuntiare, & ex ipsius parte data fides non, ut oportebat, servata, résque notabiliter mutata videatur: quam rationem reddit Perez *l. cit.*

Neque ad rem hodie facit Jure Ci 120.
vili hac de re prodita distinctio: vi cujus, quando causa absentiæ sponsi voluntaria, isque intra provinciam; biennio *l. Si is* 2. *C. de Sponsal.* & quando extra provinciam absens est, triennio *l. Liberum* 2. *C. de Repudiis*: si vero absentiæ causa necessaria vg. mors parentum, valetudo propria aut magni momenti negotium sit, quadriennio & ultrà, donec causa cesset, sit expectandus, *l. Sæpe* 17 *ff. de Sponsal.* Canisius *in c. De illis cit. n.* 2. & Bruneman. *in l. Si is cit. à n.* 2. Non, inquam, hæc distinctio ad rem hodie facit, aut afficit sponsalia fidelium; quia inter hos inita firma & liberæ renuntiationi obnoxia non sunt, etiamsi resiliens arrhas perdere vellet. Aliter res se habebat inter infideles, & de Jure Civili, secundùm quod biennio triennióve aut longiori tempore expectandum non erat; ut sponsalia licitè dissolverentur; quia Jure isto solvi poterant solo dissensu ac renuntiatione sponsæ, *l.* 1. *C. de Sponsal.* sed; ut ab iis recedens retinere posset arrhas datas à sponso, & huic, si in sponsalitiæ promissionis executione culpabilis non esset, restituendas, ut cum Pontio *cap.* 15. *n.* 4. rectè observat Palao *p.* 23. *n.* 2.

In praxi, ne absentiæ prætextu spon 121.
salia susque deque temere habeantur, hæc observanda sunt. Si sponsus quacunque ex causa absit sponsâ consentiente, huic ille, donec redeat, expectandus. Si vero, eâ invitâ aut insciâ, aliò se contulit animô domicilii mutandi, idque certum sit, eô

ne mo-

ne momentô quidem expectatô sponsæ, insuper habitis sponsalibus, ad alia vota liber transitus est concessus, *c. De illis cit.* quod huic etiam licet casu, quô certò constat, sponsum, absque domicilii transferendi animo procul absentem, diu non rediturum. Quod si de absentis intentione ac diuturnitate absentiæ ita non constet, à sponsalibus non illico resiliendum: sed absens per epistolam & nuntium; ut intra certum tempus redeat, requirendus, aut, si hoc loci distantia, non permittat, aut tempestivi reditûs certa spes non fiat, causa à sponsa deferenda est ad judicem Ecclesiasticum istiúsque, loci distantiam, absentiæ causam, qualitatem utriusque, & præsertim præsentem statum sponsæ aliásque circumstantias ponderantis prudenti arbitrio ac pronuntiationi relinquendum, an sponsalibus tacitè renuntiatum à sponso: an ex istius aut sponsæ, nuptiarum dilationem ægrè & cum incontinentiæ periculo sustinentis, parte notabiliter res mutata; & propterea sponsæ, quasi sponsalibus diremptis, ad alia vota liber transitus statim permittendus sit, aut adhuc aliquo & quanto tempore differendus, *citt.* Covarr. *p.* 1. *cap. 5. n. 7.* Palao *p. 23.* Gobat *Tract. 10. n. 353.* & Gonzalez *in c. De illis cit. n. 3.*

122. Dubium est, an, justâ causâ certò subsistente, à sponsalibus recessus communi Jure sponso permissus sit propria authoritate. *Communi*, inquam; quia speciali jure aliquando, saltem cùm sponsalia publica & notoria sunt, Ecclesiastici judicis authoritatem necessariam, jam monui *n. 95.* & de Mechlinienſi & Constantienſi diœcesibus perhibet Gobat *Experient. Tract. 10. à n. 260.* Speciali etiam jure secluso illius authoritatem necessariam ad sponsalium dissolutionem, existimat Innocent. *in c. De illis 7. de Despons. impub.* ductus istius textu. Sed malè; quia istô aliud non asseritur, quàm impuberem, si pubertatem adeptus coram Ecclesiastico judice reclamârit, à sponsalibus pronunciandum liberum ac separandum.

Minùs ad rem faciunt *can. Seculares 33. q. 2. & c. Duo pueri 12. de Despons. impub.* quia utroque hoc textu decreta pœna spectat eos, qui sine Ecclesiæ judicio sponsas de præsenti dimiserunt.

Quare meliùs cum Sylvestro *V.* 123. *Sponsalia q. 11.* in suis *Tract. de Matrim. citt.* Sanchez *disp. 69. n. 3.* Guttierez *cap. 35. n. 4.* & Pontius *cap. 18. n. 8.* justâ causâ certò subsistente, à sponsalibus recedenti judicis authoritatem per se necessariam esse, negant; quòd istius interventus nullo Jure præscriptus, & sponsalibus insit tacita conditio, *Si res in eodem statu permaneat, c. Quemadmodum cit. pr.* sive, si non superveniat justa Juréque approbata causa resiliendi; ut adeò, hujusmodi causa superveniente & conditione illa deficiente, sponsalium obligatio Jure cesset & recessus liber sponso sit permissus.

Dixi, *Per se & Causâ certò subsistente.* Prius; quia per accidens aliquando, cùm scilicet sponsalia publicè nota & dissolutionis causa occulta est, ab illis recedenti judicis authoritatem ad evitandum scandalum necessariâ esse, cum DD. *citt.* plerique agnoscunt. Posterius; quia, cùm causa, sive de Jure & quoad sufficientiam, sive de facto & quoad existentiam, dubia est, liber à sponsalibus recessus non permissus, neque facilè permittendus est sine judicis authoritate; quòd in dubio jure suo nemo sit privandus, meliórque sit conditio possidentis, *Regg. In pari 128. ff. & 65. in 6. citt.* Sanchez *n. 8.* Guttierez *n. 7.* & Perez *disp. 11. s. 3. n. 8.* Unde ulterius

Dubium est, quomodo de ejusmodi 124.
causa

cauſa debeat conſtare; ut à ſponſalibus receſſus ſponte ſit permiſſus. Et quidem, ſi diſſolutionis cauſa ſit impedimentum nuptiale, etiam impediens duntaxat, ad ſponſalium diſſolutionem decernendam judici ſufficere utriusque, imò unius tantùm ſponſi, qui matrimonium coaleſcere optat, confeſſionem, *arg. c. Atteſtationes 10. de Deſponſ. impub.* cum Menoch. *de Arbitr. jud. caſu 103. n. 2.* docent *citt.* Sanchez *disp. 71. n. 2.* & Guttierez *cap. 36. n. 18.* eodémque caſu impedimentum unius, etiam aliàs non idonei, jurati tamen teſtis depoſitione & fama publica ſufficienter probari, ex *c. Super eo 22. de Teſt. & atteſt. c. Præterea 2. hâc Rubr. & c. Super eo 2. de Conſang. & affinit.* liquet, & ratio eſt; quia hôc caſu agitur de peccato & animæ periculo vitando; atque idcirco minor probatio admittitur, juxta dicta *Lib. 2. tit. 19. n. 71.*

125. Si diſſolutionis cauſa matrimonium Jure non dirimat impediátve, ſed jus ſolummodo tribuat reſiliendi, ut vg. fornicatio eſt, unius teſtis depoſitionem aliámve ſimilem probationem ſufficere, vult Paludan. *in 4. diſt. 27. q. 1. art. 3. n. 17. in fine, arg. c. Super citt.* Sed malè; quia textus iſti procedunt favore animæ, cujus ſalus tali caſu non adducitur in diſcrimen, ſed de ſolo tertii præjudicio agitur. Quare hôc caſu duos teſtes omni exceptione majores aliámve probationem plenam meritò expoſcunt *citt.* Sanchez *disp. 71. n. 7.* Guttierez *n. 17.* & Perez *ſ. 4. n. 6.* ex generali Regula, talem probationem expoſcente; ut in tertii præjudicium aliquid decernatur, *c. In omni 4. c. Licet 23. l. Ubi numerus 12. ff. & l. Juris jurandi 9. C. de Teſtibus.*

126. Eædem probationes, quæ in externo, etiam ſufficiunt in interno ſive Conſcientiæ foro. Imò in iſto ad ſponſalium diſſolutionem unius, vg. de fornicatione ſponſæ deponentis, teſtimonium ſufficere, docent *citt.* Sanchez *disp. 73. n. 2.* Guttierez *n. 17.* & Perez *n. 7.*

ARTICULUS VI.

De Matrimonii Contractu.

SUMMARIUM.

127. *Origo nominis Matrimonij,*
128. *Et ejus ratio.*
129. *Definitio contractûs Matrimonialis,*
130. *Exigentis conſenſum in individuam ſocietatem vitæ,*
131. *Et in obligationem ad actus conjugales,*
132. *Saltem implicitum ac virtualem:*
133. *Qualis inter B. Virginem & S. Joſephum interceſſit,*
134. *Et neceſſarius eſt ex Divina inſtitutione;*
135. *Ut ſuppleri non poſſit ullâ humanâ poteſtate.*
136. *Idem de abſoluta Dei potentia affirmantium,*
137. *Et negantium vera Opinio.*
138. *Conſenſus Nuptialis debet eſſe Liber:*
139. *Verus non fictus.*
140. *Fictè in unam, in aliam verè conſentiens, conjux eſt poſterioris:*
141. *Nec priori copulari poteſt.*
142. *Cum una ſola fictè contrahens fictionem deponere tenetur,*
143. *Ratione ſcandali ac damni, aliàs ſecuturi:*
144. *Non ratione ſolius contractûs.*
145. *Idem conſenſus debet eſſe Mutuus, ſimultaneus & Expreſſus,*
146. *Verbis aut alio ſignis externis.*

147. *Idem consensus ex carnali copula præsumebatur,*
148. *Ante Tridentinum & hodie, ubi hoc non est publicatum,*
149. *Ad peccatum majus excludendum.*

127. QUantumvis sexu ac dignitate Pater Matre præstantior sit, *l. In multis 2. ff. de Statu hominum*, eorum tamen sacro prophanòque Jure approbata conjunctio sive legitimum conjugium non Patrimonii à Patre, sed à Matre Matrimonii nomen
128. sortitur, magnâ & in Divino Humanóque Jure fundatâ ratione; quia eorum conjunctio præcipuè spectat procreationem prolis & humani generis propagationem, ut colligitur ex *l. Liberorum 220. §. 3. ff. de V. S. & l. Si vicinis 9. C. de Nuptiis*, & ex ipsa Mundi nascentis Historia, in qua Deus, cùm à se procreatis masculo ac fœminæ &, ut essent duo in carne una, per copulam carnalem conjungendis, benedictionem impertiendô, conjugii finem exposuit, *Crescite*, inquiens, *& multiplicamini*, Genes. *cap. 1. v. 28.* Prolis autem certa parens est Mater, *l. Quia semper 5. ff. de In jus vocando:* Pater contrà incertus, *l. Filium 6. ff. de His, qui sui vel alieni jur.* & ex Nuptiis sola ostenditur Juris præsumptione, non verâ certáque probatione; cùm ista regulariter impossibilis reputetur, *l. Lucius Titius 83. ff. de Condit. & demonst.* Accedit; quòd Matris onus gravius sit, quàm Patris; cùm illa prolem in utero & extra istum sua substantia alat: atque, ut *c. fin. de Convers. Infidel.* textus habet, hæc ipsi antè onerosa, in partu dolorosa, & post hunc laboriosa esse noscatur, Tholos. *Syntag. Lib. 9. cap. & n. 1.*

129. Est autem Matrimonium legitima conjunctio viri & mulieris, individuam vitæ consuetudinem continens, *l. 1. ff. de Ritu Nupt. §. 1. Instit. de Patria potest. & c. Illud 11. V. Verùm, de Præsumpt.* à qua definitione, quoad sensum, non divertit ea, quâ Matrimonium à Perez *de Matrim. disp. 13. s. 10. n. 3.* duobus verbis esse dicitur Conjunctio maritalis; subintellige, maris ac fœminæ, cum Sanchez *Lib. 2. de Matrim. disp. 1. n. 1.* & Palao *Tract. 28. disp. 2. p. 1. n. 2.* sensus enim utriusque est, Matrimonium esse Contractum, quô mas & fœmina, nullo Jure impediti, se ad individuam vitæ Societatem & mutuam corporum traditionem, in ordine ad actus, ex se aptos ad generationem prolis, obligant.

Qui definitionis sensus & naturæ ma- 130.
trimonii explicatio, licetà præcipui nominis DD. magno consensu approbetur, admodùm tamen displicet Pontio, ab eóque variè impugnatur *Lib. 1. de Matrim. cap. 18. à n. 7.* contendente, ad matrimonii substantiam non pertinere contrahentium consensum, etiam implicitum duntaxat & virtualem, in obligationem alteri, si exigat, tradendi corpus suum ad actus conjugales, ex se aptos ad prolis generationem.

Impugnat autem illam primò authoritate S. August. *Lib. 3. de Bono Conjugij cap. 1. & Lib. 23. contra Faustum cap. 8.* matrimonium constituentis in sola animorum conjunctione amicabili, vitæque individua societate, etiam sine carnali corporum commixtione.

Secundò, argumentô desumptô ex ipsa matrimonii essentia, quam in diversi sexûs personarum mutua conjunctione ad individuam vitæ societatem, sine ordine ad carnalem copulam ex parte contrahentium, consistere, infert ex generali ratione contractûs, in quo traditio dominii fieri potest sine ordine ad usum; cùm enim usus rei vg. fundi ab ejus dominio separabilis sit, illiúsque dominium

Directum

Directum ſive proprietatis ſine Utili haberi poſſit, etiam in matrimonio mutua corporum traditio quoad dominium tantùm Directum ſeu proprietatis ſine Utili & ordine ad eius uſum & carnalem copulam ex parte contrahentium fieri poterit; ut id ſic contrahentes veri coniuges evadant.

Tertiò exemplis, Imprimis quidem B. Mariæ Virginis, inter quam & Virgineum eius Sponſum & Verbi incarnati Nutritium S. Joſephum verum matrimonium interceſſit, Matth. *cap.* 1. *v.* 20. & Lucæ *cap.* 2. *v.* 5. licet huic corpus ſuum in ordine ad actus coniugales traditum non ſit, nec tradi potuerit ab illa; cùm obſtricta fuerit votô Caſtitatis, ut cum S. Auguſtino *Lib.* 1. *de Virginitate*, SS. Patres & Doctores alii colligunt ex verbis eius, Archangelo Verbi Divini Conceptionem annuntianti, reponentis, *Quomodo fiet iſtud, quoniam virum non cognoſco?* Lucæ *cap* 1. *v.* 34. Deinde coniugii inter marem ac fœminam initi ſub conditione ſervandæ Caſtitatis, quod Jure conſiſtere, cum Abulenſi *in Lib. Numer. cap.* 30. *q.* 32. Paludanus *in* 4. *diſt.* 30. *q.* 2. *art.* 1. *concl.* 6. *n.* 6. & alii docent: licet eô mutuum dominium in corpus in ordine ad individuam vitæ ſocietatem duntaxat, non etiam in ordine ad coniugales actus transferatur. Demum duorum impotentium, à quibus coeundi impotentiâ cognitâ matrimonium validè iniri, cum Palud. *l. cit.* vult Medina *de Sacr. hom. Continentia Lib.* 5. *à cap.* 74. licet corpus ſuum ad actus coniugalas, ad prolis generationem ex ſe aptos, utpote ſibi impoſſibiles tradere etiam ipſi non poſſint, *arg. Reg. Impoſſibilium* 185. *ff. & Reg. Nemo* 6. *in* 6.

131. Sed iſta, quamcunque veritatis ſpeciê primô occurſu præſeferant, accuratiùs tamen ponderata eâ vi non pollent; ut receſſum perſuadeant à communi ſententia aliorum, aliter ſentientium & loquentium de contractu verè matrimoniali; quantumvis enim ad matrimonii ſubſtantiam neque copulam carnalem, neque actualem & formalem conſenſum in eam pertinere, etiam ipſi concedant: ad contractum tamen, ut verè matrimonialis ſit, ex parte contrahentium utriusque expoſcunt mutuam translationem iuris in corpus & conſenſum, ſaltem implicitum ac virtualem, non ſolùm ad individuam vitæ ſocietatem, ſed etiam in obligationem ad actus coniugales ex ſe aptos ad prolis procreationem. Rationem ſolidam reddunt; quòd matrimonialis conſenſus ferri ſaltem implicitè & virtualiter debeat in vinculum & obligationem coniugalem: vinculum autem hoc & obligatio eſſentialiter ſit non ad ſolam indiſſolubilem vitæ ſocietatem & cohabitationem, ſed etiam ad exhibendos, ſi exigantur, actus coniugales: ut planè liquet Imprimis ex ipſa matrimonii inſtitutione in Paradiſo, idque inſtituentis Domini DEI verbis, *Quamobrem relinquet homo patrem ſuum & matrem & adhærebit uxori ſuæ: & erunt duo in carne una*, Geneſ. *cap.* 2. *v.* 24. Deinde ex Apoſtolo, qui cùm finem coniugii & ex eius contractu ortam obligationem Corinthiis expoſuiſſet verbis, *Uxori vir debitum reddat: ſimiliter autem & uxor viro*, Epiſtol. 1. *cap.* 7. *v.* 3. eius rationem ſubjiciens ait, *Mulier ſui corporis poteſtatem non habet, ſed vir: ſimiliter autem & vir ſui corporis poteſtatem non habet, ſed mulier*, *v.* 4. quibus verbis S. Gentium Doctor clarè inſinuat, matrimoniali contractu debitum reddendi obligationem induci, eámque oriri ex mutuo contrahentium in illius reddendi obligationem conſenſu; ac proinde conſenſum, ſaltem implicitum & virtualem, in obligationem ad actus coniugales, ſi

exigantur, exhibendos ad nuptialis contractûs substantiam pertinere. Unde sacrum hunc textum utrumque præ oculis habens S. Augustinus *Lib. contra Adversar. Leg. & Prophet. cap. 11. Deus*, inquit, *masculum & fœminam propagandi generis causâ nuptiali castitate conjunxit*, ut refertur *can. Deus 31. q. 1.* Demum ex eo; quod, si vinculum & obligatio coniugalis essentialiter non respiciat actus coniugales, sed individuam duntaxat societatem vitæ, consensus verè coniugalis ipsúmque matrimonium inter patrem & filiam, matrem & filium, socerum & nurum &c. consistere posset; cùm non appareat ulla ratio, cur vinculum & obligationem ad individuam vitæ societatem subire non possint; cùm rationes, ob quas matrimonium inter eos nequit consistere, solùm vinculum & obligationem ad actus coniugales, non etiam ad individuam vitæ societatem excludant. Atque ita cum S. Thoma *in 4. dist. 28. q. unic. art. 4.* Durando *ibid. dist. 30. q. 2.* Soto *dist. cit. q. 2. art. 2.* & VV. aliis sentiunt Covarruvias *p. 2. de Sponsal. cap. 3. pr. n. 1.* Vasquez *in 3. p. disp. 125. cap. 7. n. 79.* Perez *de Matrim. disp. 13. s. 5. à n. 5.* Hurtad. *de Matrim. n. 7.* & Barbosa *in can. Institutum 27. q. 2. n. 6.*

132. Neque istam contractûs & consensûs nuptialis explicationem convellit Authoritas S. Augustini; quia S. Ecclesiæ Doctor solummodo vult, non solùm matrimoniô iam initô ac perseverante, abstinere coniuges posse ab eius usu & commercio carnali, sed etiam in ipso eius contractu necessarium non esse consensum ad eius usum & ipsam copulam carnalem: quod non adversatur communi sensui DD. cùm hi etiam non expressum & formalem, sed solummodo implicitum ac virtualem consensum in obligationem ad coniugales actus coniugi exigenti exhibendos requirant.

Eandem non infringit distinctio usûs rei ab eius dominio, istiúsque partitio in Directum & Utile, cùm; quia in matrimonio quoque dominium sive ius & potestas in corpus istiúsque usum respiciens obligatio ad actus coniugales ab eius usu & actibus coniugalibus distinguuntur, & cum istis non necessario coniunguntur: tum verò; quia in matrimonio corporis dominiũ Directum ab Utili, sive ius & potestatem in corpus ad individuam vitæ societatem à iure & obligatione ad actus coniugales separari non posse, patet ex ipsa matrimonii natura & Divina institutione.

Non maiorem vim habent exempla 133.
Posteriora quidem duo; quia matrimonium neque sub conditone servandæ Castitatis, neque á mare & fœmina impotentibus, aut à tali cum potente contrahi posse, *Tit. 5. à n. 43. & Tit. 15. à n. 30.* statuetur. Primum vero; quia, licet ter Beata illa Dei mater & Virgo non consenserit, neque etiam consentire potuerit in ipsum actum coniugalem, consentire tamen implicitè & virtualiter sine voti Virginitatis violatione potuit in individuam vitæ societatem, & in ipsam etiam obligationem corpus suum tradendi ad ejusmodi actus, si exigantur; quia hos à castissimo suo Sponso nunquam exigendos; ac proinde voti violandi ullum periculum non subesse, certa fuit ex revelatione ac dispositione Divina, teste Gratiano *can. Beata 27. q. 2.* cui Virginitatem suam committens non in copulam, ut idem loquitur, ipsamet: sed in individuam vitæ societatem, & in obligationem tantùm ad copulam, sive istius exigendæ juris in Sponsum translationem saltem implicitè & virtualiter consensit, ut ex mente SS. PP. & Angelici aliorúmque DD. sententia rem hanc explicant Laiman *Lib. 5. tract.*

§. *Tract.* 10. *p.* 2. *cap.* 1. *n.* 3. Palao *cit. p.* 1. *n.* 3. & Barboſa *in can. Beata cit. n.* 5.

134. Quare ad contrahendum matrimonium, prout defacto à maris & fœminæ conditore Deo in Paradiſo eſt inſtitutum, neceſſarius eſt contrahentium conſenſus, *l. Nuptias* 30. *ff. de R. I. can. Sufficiat* 28. *q.* 2. *c. Apud nos* 23. *c. Tua nos* 26. *hîc*, Concil. Florent. *in Decreto Unionis*, cujus §. *Septimum*, cauſa efficiens matrimonii eſſe dicitur conſenſus utriusque contrahentis, & Trident. *Seſſ.* 24. *cap.* 1. *pr. de Reformat. Matrim.* Quô conſenſu conjugium cum aliqua ineûs huic tradit perpetuum jus in corpus ſuum: séque illi obligat non ſolùm ad cohabitationem & individuam ſocietatem vitæ: ſed etiam ad exhibendos actus conjugales, ſive ex ſe aptos ad generationem prolis, & ad abſtinendum ab uſu alterius corporis in ordine ad hujusmodi actus: & viciſſim hujusmodi ſui traditionem ab altero ſibi factam acceptat, ut rem hanc explicant Palao *Tract.* 28. *diſp.* 2. *p.* & *n.* 5. Hurtad. *diſp.* 3. *de Matrim. n.* 11. & *cit.* Perez *diſp.* 14. *ſ.* 7. *n.* 7.

135. Talis autem conſenſus ad matrimonium ita neceſſarius eſt, ut ejus defectus nullâ, tam Eccleſiaſticâ quàm Seculari, poteſtate valeat ſuppleri, Sylveſter *V. Matrimonium* 2. *q.* 15. Covarruvias *p.* 1. *de Sponſal. cap.* 4. *pr. n.* 4. & alii, quos refert & ſequitur Sanchez *Lib.* 2. *de Matrim. diſp.* 27. *n.* 2. quòd eum ſupplendi facultas ulli humanæ poteſtati conceſſa non ſit: neque eam concedi fuerit conveniens; cum in matrimonio, ſi, mare & fœmina ignorantibus, non conſentientibus, & præſertim reluctantibus, quâcunque humanâ authoritate conſtitueretur, deficeret eô conjunctorum mutuus amor, maximè neceſſarius ad procreationem & rectam educationem prolis, obſervantiámque fidei conjugalis.

Non deſunt magni nominis DD. qui conſenſum illum ad matrimonium ita neceſſarium exiſtiment; ut matrimoniale vinculum ſine eo ne per abſolutam quidem Dei potentiam conſiſtere poſſit: eáque in re cum ipſis ſentiunt *cit.* Sanchez *diſp.* 26. *n.* 5. &, ad huic contradicendum aliàs valde pronus, Pontius *Lib.* 3. *de Matrim. cap.* 3. *n.* 4. Non tamen eandem uterque reddit rationem; iſte enim præcipuè movetur; quòd de matrimonii eſſentia ſit conjunctio animorum maris ac fœminæ ad individuam ſocietatem vitæ: ea autem animorum conjunctio ſine conſenſuum unione nec conſiſtere nec intelligi poſſit. Ille verè; quòd, ſi Deus mari & fœminæ traderet mutuum jus in eorum corpora, ut iſtorum uſus fornicationis culpâ vacaret, ea traditio utrique innoteſcere, ab iisque coëuntibus acceptari deberet & approbari: quô modò ſuprà deſcriptus ac mutuus utriusque conſenſus jam interveniret. 136.

Sed multò verius marem ac fœminam ita conjungi, & ad vitæ ſocietatem corporáque ad actus conjugales tradenda perpetuò obligari à Deo poſſe, cum Soto *in* 4. *diſt.* 27. *q.* 1. *art.* 2. *concluſ.* 1. Rebello *Lib.* 2. *de Oblig. Juſtit. q.* 10. *n.* 26. Coninck *diſp.* 24. *dub.* 5. *n.* 51. & aliis defendit *cit.* Palao *p.* 5. *n.* 2. ídque non levis momenti ratio perſuadet; quia, cùm Deus, ſicut cæterarum rerum creatarum, ſic etiam, humani corporis iſtiúsque membrorum ac facultatum abſolutum & multò perfectius dominium, quàm ſui quisque corporis habeat, non appareret ulla ratio, cur in viri & mulieris corpora ad vitæ ſocietatem & actus conjugales jus mutuum tradere ſibi ipſi: non etiam de abſoluta ſua potentia Deus poſſit: & non, ut ab illis ſibi, ſic à Deo ipſis mutuò facta corporum mutuíque in 137.

ista juris traditione conjugium inducatur. Hoc profectò non impediunt allatæ rationes.

Prior; quia essentia matrimonii non consistit in mutua conjunctione & amore: sed in traditione mutui juris in corpora: quæ, licet ex voluntate Dei conjugium instituentis à mare & fœmina sibi mutuò facienda sit, fieri tamen absolutè potuisset à Deo, ad perpetuam societatem vitæ & actus conjugales eis mutuam obligationem imponente, eorúmque mutui consensûs defectum supplente. Posterior; quia, traditionem illam quidem ad excludendum peccatum fornicationis mari ac feminæ innotescere: non tamen etiam ab his acceptari, est necesse; cùm Jure etiam humanô rei dominium quandoque acquiratur sine acceptatione: &, si acceptatio necessaria foret, non tamen traditi juris in corpus vg. fœminæ quasi ab ista, sed quasi à Deo utriusque corporis absoluto domino, & independenter à fœminæ traditæ consensu, facta à viro acceptaretur.

138. Porro consensus, quô matrimonium ex Divina institutione contrahi dictum est, non minùs, imò magis quàm sponsalitius esse debet

Primò Liber, *l. Libera 2. C. de Inutil. stipulat. c. Cùm locum 14. c. Gemma 29. &c.* propter arctissimam &, postquam ritè inita & præsertim carnali copula accedente perfecta est, non nisi morte naturali solubilem societatem: quam non nisi libero utriusque consensu contrahi, Divina humanáque Jura voluerunt. Unde, sicut sponsalia, sic & matrimonium ab infante, dormiente, ebrio, amente & extra dilucidi intervalli tempus à furioso contractum nullum est, *can. Neque furiosus 32. q. 7. c. Dilectus 24. hâc Rubr. & c. Literas 4. de Despons. impub.* propter defectum consensûs juxta dicta *n. 12.*

Secundò, Verus, non fictus & simulatus, *c. Tua nos 26. & l. Simulata 30. ff. de Ritu nupt.* Quam ob rem, si Titius post matrimonium, verbis quidem & aliis signis externis, internum consensum significantibus: at re ipsa sine isto, aut cum animo non contrahendi initum cum Bertha, adhibitô consensu verô matrimonium iniret cum Caia, propter priùs initi & in consensu deficientis nullitatem, Caiæ, non Berthæ cohabitare teneretur in Foro Conscientio interno, Laiman. *Lib. 8. Tract. 10. p. 2. cap. 6. n. 3. In interno*, inquam; quia aliter proceditur in foro externo, in quo in contractu matrimoniali, in Ecclesiæ facie coram Parocho & testibus juxta Decretum Tridentini *Sess. 24. cap. 1. de Reformat. Matrim.* celebrato, consensum internum intervenisse; ac proinde, prius matrimonium validum esse, Juris præsumptio tam vehemens est; ut contrarium etiam cum juramento asserenti fides non habeatur, *arg. c. Per tuas 10. de Probat.* nisi clarissimis indiciis & argumentis omnino indubitatis contrarium sive fictio probetur, propter maximum periculum; ne matrimonium validè contractum cum gravissimo ipsorum contrahentium periculo & injuria Sacramenti dissolvatur, Laiman. *l. cit.* & ex eo Gobat *Experient. Tract. 10. n. 420.* atque ipse etiam Doctor Angelicus *Quodlib. 1. art. 12.* inter dicta duo Fora illud discrimen statuens; quòd in Interno homini, simpliciter asserenti, pro se & contra se: in Externo autem non nisi contra se credatur. 139. 140.

Hôc tamen non obstante Titius, si fictionis, in matrimonio cum Bertha inito intervenientis, fidem Ecclesiastico judici facere nulla ratione valeat; & propterea eam pro legitima uxore habere, 141.

intentata

intentatâ excommunicationis pœnâ compellatur, Berthæ quidem, ut Eccleſiæ præcepto ſatisfaciat, aliquamdiu cohabitare: potiùs tamen ejusmodi Cenſuram, tali caſu animam non ligantem, humiliter ſuſtinere, quàm illi per carnalem & fornicariam copulam conjungi debet, ex Reſcripto Innocentii III. *c. Inquiſitioni 44. de Sent. excom.* Barboſa *in c. cit. n. 2. & 3.* Laiman. *l. cit.* Circa eandem fictionem

142. Dubium non levis momenti hôc locô reſolvendum eſt, an Titius, qui cum Bertha matrimonium iniit fictè, renovatô conſenſu cum ea verè contrahere obligatus fuerit, antequam ita contraheret cum Caia. Quod cum Tholoſ. *Syntag. Lib. 9. cap. 5. n. 6.* abſolutè affirmant Petr. de Ledesma *de Matrim. q. 45. art. 4. dub. 1. §. In hac* & Pontius *Lib. 2. cap. & n. 5.* negantium Opinionem omnino improbabilem reputantes, contra Guttierez *de Matrim. cap 46. n. 14. & cit.* Sanchez *Lib. 1. diſp. 11. n. 5.* Titium depoſitâ fictione verè contrahere cum Bertha determinatè non teneri, vel defendentes abſolutè, vel probabilitate non carere, exiſtimantes.

143. Qua in re diſtinctionis ope pugnantes DD. ſententiæ reducendæ in concordiam: aut, ſi hanc non admittant, dubitatio expedienda eſt; ut in Praxi quidem Titius, & quotquot fictè contrahunt, ad verè contrahendum obligentur, & in utróque foro compelli permittantur; partim propter graviſſimum & aliâ ratione vix evitabile ſcandalum: partim & fere ſemper propter damnum, quod ſummè injuriosâ deceptione alter patitur: & (hôc ipsô; quòd fictionis, propter difficillimam ejus probationem, fides Eccleſiæ fieri vix unquam poſſit, & propterea Caia vg. quæ verè conſenſit, ad alias nuptias tranſire prohiberetur: ſed vel ingredi Religionem, vel in ſeculo innupta manere cogeretur) aliter, quàm depoſitâ fictione verè conſentiendô tolli non poteſt. Nihilominus tanquam probabilis ſuſtineatur Opinio eorum, qui Titium deceptorem Berthæ ad eam verè ducendam obligari negant vi ſolius contractûs; quia iſte propter defectum conſenſûs fuit nullus, *arg. l. Nuptias & c. Tua nos citt.* &, licet ex parte Berthæ per ſui traditionem videatur impletus, ejus tamen traditionis ad individuam vitæ ſocietatem acceptatio & mutua ſui traditio ex parte Titii deſideratur, ut rectè advertit Palao *diſp. 3. p. 7. §. 1. n. 5.* & dictum ſupra *n. 20.* 144.

Tertiò, conſenſus eſſe debet Mutuus; ut uterque in corpus ſuum jus alteri tradat & acceptet, ut paulò ante diximus, & diſertè habetur *c. 1. de Sponſa duor.* ibi, *Fides conſensûs eſt, quando mutuò ſe concedunt unus alii, & mutuò ſe ſuſcipiunt.* 145.

Quartò Simultaneus, ſaltem moraliter; ut conſenſus unius plenè jam præſtitus ac præteritus, donec alter conſenſerit, neque expreſſè, neque etiam tacitè, vg. matrimonium contrahendô cum alia, ſit revocatus, *arg. c. fin. de Procurat. in 6.* ad quam Rubricam Matrimonii per procuratorem celebratio explicata eſt *à n. 26.*

Quintô, Expreſſus *c. 1. cit.* ibi *Corde & ore*, vel aliis ſignis, ut ſunt, nutus, ſcriptura &c. ut deſumitur ex *c. Cùm apud 23. in fine* & ex Concilio Florentino: cujus Patres dum in *Decreto Unionis* §. *Septimum*, Matrimonialem conſenſum *Regulariter* per verba exprimi dicunt, non obſcurè inſinuant, eum etiam aliis ſignis, conſenſum de præſenti denotantibus, exprimi poſſe. 146.

Neque obſtat *c. Tua 25.* textus, *Sed neceſſaria ſunt, quantùm ad Eccleſiam verba,*

verba, consensum exprimentia de præsenti. Unde non pauci à Sanchez *Lib. 2. disp. 31. n. 2.* relati desumunt, quòd, licet in mutis ac surdis sufficiant nutus aliáve signa: in iis tamen, qui linguæ & sermonis usum habent, ex præcepto Ecclesiæ verba formalia exigantur ad matrimonii valorem. Quam ob rem *cit.* Concilii *Decretô* voce *Regulariter* eos duntaxat, qui loqui non valent, denotari volunt. Sed cum *cit.* Sanchez *n. 5.* communis & certa aliorum sententia est, etiam ab iis, qui linguæ usum expeditum habent, matrimonium verbis solùm virtualibus, ut sunt nutus, scriptura &c. iniri posse; quòd formalium, sive ore prolatorum, verborum necessitas Jure non satis sit expressa; cùm ex una, relata *c. Tuæ cit.* verba non de necessitate ad substantiam seu valorem matrimonii exaudienda, clarè exprimatur ipsomet *c. cit.* textu: eóque disertè asseratur, Matrimonium in veritate contrahi per legitimum consensum viri & mulieris: sed intelligenda sint de sola necessitate ad probationem sive; ut de matrimonio inito Ecclesiæ meliùs ac faciliùs fides fiat, ut ibi notant Ant. de Butrio *n. 8.* Alexand. de Nevo *n. 15.* & Barbosa *n. 2.* ex altera verò parte, matrimonium etiam à mutis sine verbis formalibus validè contrahi, clarè habeatur *c. Tua cit.* & inferatur ex *c. fin. de Conjug. servor.* ubi conjugium à milite verè initum, negatur ex ea ratione; quòd *nec verbô nec factô* consenserit. Idem omnino indubitatum est ex *c. Unico, de Desponſ. impub. in 6.* cujus §. *fin.* puella tacendô, eáque taciturnitate paternum consensum approbandô matrimonium contrahit, secundùm D. Thomam *in 4. dist. 27. q. 1. art. 2.* ex *c. Veniens 15. & c. Is qui fidem 30.* ex quorum dispositione sponsalia de futuro, accedente solâ copulâ carnali cum sponsa, in matrimonium transeunt: & demum ex *c. Ad id 21.* quô textu, ex sola cohabitatione diuturna absque copula, consensus matrimonialis probatur. Unde dictione *Regulariter* non notantur soli muti: sed quicunque alii, consensum de præsenti aliter quàm verbis formalibus sufficienter exprimentes. Ita cum S. Thoma *cit. art. 2.* Sylvestro *V. Matrimonium 2. q. 7.* Navarro *Manual. cap. 22. n. 20.* Bellarmino *Lib. 1. de Matrim. cap. 8.* Covarruvia *p. 2. cap. 4. pr. n. 1.* & aliis *cit.* Sanchez *n. 5.*

147. Dubium hîc est, quomodo consensus in matrimonium sufficienter expressus Jure censeatur per copulam carnalem cùm sponsa, supervenientem sponsalibus cum ea contractis. Non quidem hodie in locis, ubi S. Synodi Tridentinæ decreta Reformatoria usu sunt recepta; in his enim matrimonium quodcunque aliter quàm coram proprio Parocho & duobus vel tribus testibus initum, irritum hodie est ex ejus decretô *Sess. 24. cap. 1. V. Qui aliter de Reformat. Matrim.*

148. Sed ante dictum Concilium, & hodie in locis, in quibus ejus decreta Reformatoria usu recepta non sunt. Quo tempore ubique & in his locis hodie quoque consensus de præsenti, adeóque matrimonialis, ex copula voluntariè habita præsumitur, *c. Veniens & c. Is qui citt.* ut probatio in contrarium non admittatur. Ratio præsumptionis à DD. ea reddi solet; quòd, illam ex affectu conjugali processisse præsumendô excludatur peccatum: cujus reos sponsos de futuro facit, qui carnalem eorum conjunctionem non ex conjugali, sed fornicario affectu judicat processisse, ut *arg. l. Meritò 51. ff. Pro socio l. Quintus 51. ff. de Donat. inter vir. & uxor. & c. Estote 2. de R. I.* cum Covarruvia *cap. 4. §. 1. à n. 2.* Guttierez *de Matrim. cap. 27. n. 4. &*

4. & aliis notat Barbosa *in c. Is, qui fidem cit. n. 2.*

149 Obstare quidem huic Juris præsumptioni, istiúsque rationi omnem vim adimere videtur Imprimis; quòd ex osculis, amplexibus & ipsa etiam carnalis copulæ attentatione legitimus consensus & matrimonium non præsumatur, *c. fin.* quantumvis ejus præsumptione peccatum non minùs excludatur inter desponsatos. Deinde; quòd ipsâ etiam affectûs conjugalis præsumptione in copula peccatum non excludatur; cùm tali etiam affectu admissa inducat matrimonium Clandestinum, Jure Ecclesiastico graviter prohibitum ante Concilium Tridentinum, & hodie etiam, ubi Reformatoria Concilii decreta in usum deducta non sunt, ut ex *can. Nullus, 30. q. 5.* & ipso etiam *cap. 1. cit pr.* est indubitatum.

At revera neutrum obstat. Prius; quia multò major causa est Matrimonialem affectum præsumendi ex ipsa copula, quàm ex istius attentatione & similibus actibus; cùm propter majorem gravitatem culpæ & injuriæ in illa, quàm ista intervenientis: tum verò; quòd per illam consummatam fiat traditio usûs corporis, non etiam per attentatam, Barbosa *in c. Is, qui fidem cit. n. 6.* Posterius; quia idem Interpres *in c. cit. n. 5.* ipsò Doctore Angelico allegatò, sponsos affectu conjugali clam conjunctos à peccato excusat: dummodo consuetas Ecclesiæ solennitates, matrimonium postea publicè contrahendò, observare constituerint; quòd, si hoc constituerint, eos contra Ecclesiæ prohibitionem non agere, velit & desumat ex decisione Alexandri III. *c. Quod nobis 2. de Clandest. desponſ.* ita clam inita conjugia iis, quæ ante carnale commercium in facie Ecclesiæ contracta sunt, æquiparantis, dum ait, *Verùm, si personæ contrahentium hoc voluerint publicare, ab Ecclesia recipienda sunt & comprobanda tanquam ab initio in Ecclesiæ conspectu contracta.* Si hoc non probetur, & peccaminosum etiam ita clam initum conjugium asseratur, locus nihilominus est allatæ rationi, & in ista fundatæ præsumptioni; quia in dubio, sicut non præsumitur delictum, sic etiam ex duobus delictis, cùm utrumque excludi non potest, præsumendum est minus, per ea, quæ *arg. l. Si præses 32. ff. de Pœnis* tradit Soncinus *in l. Cùm quæritur 26. ff. de Reb. dub.* ac proinde in copula desponsatorum potiùs conjugalis Ecclesiasticæ, quàm fornicarius & Naturali Divinæque legi contrarius affectus est præsumendus, Barbosa *cit. n. 8.*

ARTICULUS VII.

De Matrimonii Sacramento.

SUMMARIUM.

150. *Matrimonium est Novæ Legis Sacramentum:*
151. *Ad cujus dignitatem à Christo Domino est elevatum.*
152. *Sacramenti Matrimonii definitio:*
153. *Materia, tam Proxima quàm Remota, & Forma.*
154. *Minister ejus non est sacerdos, sed ipsi contrahentes.*
155. *Matrimonium aliud Legitimum, aliud Ratum, aliud Consummatum est.*
156. *Legitimum latè & impropriè:*
157. *Fidelium Ratum propriè dictum,*
158. *Et unum Sacramentum est, afficiens conjugem utrumque:*
159. *Etsi, id Sacramentum esse, uterque ignoret.*

160. *Matrimonium fidelium contractum merè Civilem esse posse, affirmantium,*
161. *Idque negantium verisimiliter Opinio.*
162. *Matrimonium Sacramentum est, quando initur.*
163. *Non etiam quando consummatur.*
164. *Quod fidelis contrahit cum infideli, Sacramentum non est,*
165. *Etiam ex parte fidelis.*
166. *Infidelium baptizatorum conjugium Sacramentum esse, quidam asserunt.*
167. *Melius alii negant.*

150. MAtrimonium non contractum duntaxat Civilem, sed Novæ quoque & Evangelicæ legis Sacramentum esse, atque, ut Sacramenta cætera, Trident. *Sess. 7. can. 6. 7. & 8. de Sacrament.* obicem non ponentibus ipsam, quam ex Christi Domini institutione significat, Sanctificantem gratiam ex opere operato conferre, Orthodoxa veritas est, ab Oecumenicis Conciliis Florent. *in Decreto Unionis §. Quintò* & Trident. *Sess. 24. can. 1.* definita. Quod jam pridem agnovit S. Ecclesiæ Doctor Augustinus, cùm, *In Ecclesia*, inquit, *nuptiarum non solùm vinculum, sed etiam Sacramentum commendatur, Lib. de Fide & Operib.* juxta illud Apostoli, de Conjugio dicentis, *Sacramentum hoc magnum est: ego autem dico in Christo & Ecclesia*, ad Ephes. *cap. 3. v. 32.*

151. Sicut autem Matrimonium in ratione Contractûs sub ipsum Naturæ conditæ exordium in voluptatis adhuc innocentis Paradiso à Domino Deo est institutum, Genes. *cap. 1. v. 6.* juncto *cap. 2. v. 24.* ut insinuatur *can. Jus Naturale 7. dist. 1. c. Bigamis & c. Unico V. Nos igitur, de Voto in 6.* sic ad statum & dignitatem Sacramentalem elevatum, & contrahentes ritè dispositos sanctificandi vim consecutum est à Naturæ restauratore & Humani generis Redemptore Christo, cùm Repudii libellô antiquatô id, sicut ab initio fuit, insolubile in posterum esse jussit verbis, *Quod Deus conjunxit, homo non separet*, Matth. *cap. 19. v. 7.* ut ex Trident. *Sess. 24. pr. & §. Hoc autem* cum Soto *in 4. dist. 26. q. 2. art. 2.* & aliis colligunt Sanchez *Lib. 2. de Matrim. disp. 4. n. 5.* & Palao *Tract. 28. disp. 2. p. 1. n. 4.*

Est autem Matrimonium, pro Contractu simul & Sacramento sumptum, Conjunctio maritalis, Spiritualis gratiæ collativa, sive Contractus maremac fœminam, nullo Jure impeditos, ad individuam vitæ societatem & corporum ad actus conjugales mutuam traditionem obligans, iisque ritè dispositis conferens gratiam sanctificantem. Ita quoad sensum Toletus *Summæ Lib. 7. cap. 5.* Palao *disp. cit. p. 1. n. 7.* & Gobat *Experient. Tract. 10. n. 387.* 152.

De ejus Materia & Forma variæ sunt DD. sententiæ. Probabilior & cæteris expeditior est eorum, qui Materiam Remotam, circa quam Sacramentum versatur, constituunt ipsa utriusque contrahentis nullo Jure impediti corpora: Proximam, sive Materiam, ex qua ipsum matrimonii Sacramentum constituitur, ejusmodi corporum actualem & mutuam traditionem, atque acceptationem: Formam demum esse, ajunt, utriusque in eam traditionem & acceptationem consensum, verbis aliisve signis externis expressum. Ita Vasquez *disp. 3. de Matrim. cap. 4.* Hurtadus *disp. 3. de Matrim. n. 79.* & Palao *Tract. 28. disp. 2. p. 2. n. 2.* Quorum hac de re sensus verisimilis redditur ex eo; quòd hujus 153.

Sacramen-

Sacramenti eadem Materia & Forma sit, quæ est matrimonialis Contractûs; cùm iste à Christo non mutatus, sed relictus sit sub dispositione humanæ potestatis: & id solum, quod inter homines legitimus matrimonii Contractus est, ab ipso elevatum sit ad statum ac dignitatem Sacramenti, ex opere operato gratiam conferentis, ut communis DD. sensus & assertio est. Materia autem Remota sive, circa quam versatur nuptialis contractus, ejusmodi corpora: Proxima traditio & acceptatio: Forma autem sit contrahentium utriusque in traditionem & acceptationem mutuam consensus: sicut in Nominato vg. Emptionis, Venditionis, & in Innominato contractu Permutationis Materia Remota res, circa quas alteri ab altero dandas tradendásve versantur: Proxima in Emptione Venditione mercem pro pretio & vicissim hoc pro illa tradendi obligatio, rerúmque mutua traditio in Permutatione. Forma verò sunt mutuus consensus in obligationem aut traditionem, per verba aliáve signa externa expressus.

Neque hæc explicatio aliena est à Concilio Florentino asserente, Sacramenta omnia constare rebus, velut Materiâ, & verbis, velut Formâ, ut à nonnullis DD. sed malè refertur; quia ejus incorruptus tenor est, *Omnia Sacramenta tribus perficiuntur, videlicet rebus tanquam materiâ, verbis tanquam formâ & personâ ministri conficientis Sacramentum cum intentione faciendi, quod facit Ecclesia.* Quô locô sacra Synodus, non verbô, *Constare*, sed *Perfici* utendô, insinuavit, non omnia Sacramenta necessariò rebus tanquam Materia intrinsecè constitui, ut rectè adnotatur ab Hurtado & Palao *l. citt.*

154. Minister hujus Sacramenti non, ut Canus *de Locis Theolog. Lib. 8. cap. 5. ad 5.* voluit, est Sacerdos, ejus celebrationi assistens & conjugibus impertiens benedictionem nuptialem: sed ipsi contrahentes, ut iterum colligitur ex Concilio Florentino *cit. Decreti §. Septimum*, causam matrimonii efficientem statuens mutuum consensum, expressum regulariter per verba de præsenti: qui consensus hôc modô non à Sacerdote, sed ab ipsis contrahentibus exprimitur: & ex Tridentino *cit. Sess. 24. cap. 1. de Ref. Matrim.* hoc, sine Parocho & testibus celebratum, antè validum tam in Sacramenti quàm in Contractûs ratione fuisse, apertè supponente, dum id sine his initum primùm irritavit. Ratio aperta solidáque est; quia Sacramenti Minister est, qui ponit ejus materiam & formam: quod sibi mutuò ipsi contrahentes, non Sacerdos, præstant, Sotus *cit. q. 2. art. 3.* Bellarminus *Lib. 1. de Matr. à cap. 6.* oppositam Cani Opinionem temerariam vocans, *cit.* Sanchez *disp. 6. n. 2.* & Pontius *Lib. 1. Matr. cap. 8. n. 3.*

Dubium nunc est, an omne aut 155.
quodnam Matrimonium sit Sacramentum. Est autem matrimonium triplex. Legitimum, Ratum, Consummatum. Legitimum, licet dici valeat, atque etiam sit quodcunque Jure non reprobatum, propriè tamen sive Legitimum tantùm id solummodo nuncupatur, quod secundùm leges humanas inter infideles, Paganos aut Judæos initur, & legitimo eorum consensu constat. Ratum sive Ecclesiæ ratificatione approbatum, quod secundùm Novæ Legis Divinas & Ecclesiasticas Sanctiones contrahitur à Fidelibus seu baptizatis: inter quos tamen, post id contractum, nondum intercessit commercium seu copula carnalis. Consummatum, quod per hujusmodi copulam est perfectum, Covarruvias *p. 2. de Sponsal. cap. 1. §. Unico, n. 4.* & Sanchez *cit.*

Lib. 2. disp. 1. n. 7. Quâ distinctione præmissâ.

156. Convenit inter Orthodoxos DD. primò, Sacramentum propriè non esse matrimonium Legitimum; quòd simplici conventionis, seu contractûs solùm naturali vinculo constet: & licet, quòd signum sacrum & conjunctionis Christi cum Ecclesiâ figura aliquô modô sit, *c. Gaudemus 8. de Divortiis*; & propterea in larga significatione Sacramentum etiam ipsum nuncupetur *c. cit. & c. fin. de Transact.* veri tamen & propriè dicti Sacramenti rationem non habeat; ut patet ex *cit.* Concil. Florent. §. *Quintò* & Trident. *Sess. 24. pr.* §. *Cùm igitur & can. 1.* id à Christo Domino institutum & Novæ Legis Sacramentum esse, disertè asserentibus. Ratio est; quia Paganorum & Judæorum conjugia deficiunt in virtute conjuges sanctificandi: eáque contrahentes, quòd sacrô Baptismi lavacrô regenerati non sint, veri ac propriè dicti Sacramenti sunt incapaces, per textus *c. Veniens 3. pr. de Presbyt. non baptiz. & c. Per Cathechismum 2. de Cognat. spirit. in 6.* quibus Baptismus Sacramentorum omnium fundamentum ac janua vocatur: & per characterem, eô ânimæ impressum, homo illorum receptivus efficitur, sicut loquitur S. Thomas *3. p. q. 55. art. 3.* Neque perfectè significant prædictam conjunctionem Christi cum Ecclesia, *c. Debitum 5. de Bigamis*, propter suam solubilitatem, favore Fidei ac Religionis Christianæ, ab infidelitate conversis aliquando indultam, 1. Corinth. *cap. 7. v. 15. c. Quantò 7. & c. Gaudemus 8. de Divortiis.*

157. Convenit inter eos secundò, verum & propriè dictum Sacramentum esse Matrimonium à Fidelibus contractum & propterea Ratum, ex doctrina S. Gentium Ephes. *cap. 3. v. 32.* & S. Ecclesiæ Doctoris *de Fide & Operib. cap. 3. & cap. 7.* uti & *Lib. de Bono Conjug. cap. 4.* Ratio est; quia spiritualem & sanctificantem gratiam contrahentibus confert, ex definitione S. Synodi Trident. id impiè negantium temeritatem anathemate ferientis *can. 1. cit.* eáque præcipuè Novæ Legis matrimonium veteribus Judæorum ac Paganorum connubiis præstare, asserentis, §. *Cùm igitur cit.* Præter quam fideles, id dignè ineuntes & gratiæ obicem non ponentes, sanctificandi vim, à fidelibus contractû & Ratû matrimoniû ex Divina institutione continet significationem conjunctionis Dei cum anima justa per Charitatem & Gratiam sanctificantem, *c. Debitum cit. pr.* cùm, sicut matrimonii Rati vinculum Religiosâ unius conjugis Professione, *c. Verum 2. & c. Ex publico 7. de Convers. conjug.* & Apostolicâ etiam dispensatione, ut *Tit. 6. n. 25.* statuemus, sic inter Deum & animam justam intercedens unio peccatô mortali valeat dissolvi.

Neque, ut matrimonium Ratum verum Sacramentum sit, interest, an à viro & muliere præsentibus vel absentibus, per se vel per procuratorem aut epistolam, initum sit; cùm enim inter absentes ita initum validum & perfectum sit in ratione Contractûs, *c. fin. de Procurat. in 6.* tale quoque erit in ratione Sacramenti, ut arguimus, cùm de conjugio per Procuratorem inito ageremus *Lib. 1. Tit. 38. n. 34.*

158. Convenit inter melioris notæ DD. tertiò, à duobus fidelibus initum matrimonium esse unicum Sacramentum. Ratio est; quia eorum unicus est contractus, & unicum conjugale vinculum, ad individuam vitæ societatem & actuum conjugalium exhibitionem obligationem inducens ex parte utriusque. Ergo etiam unicum Sacramentum, eam, quam significat,

significat, gratiam sanctificantem conferens utrique contrahenti, ritè disposito & obicem non ponenti; quia ad statum & dignitatem Sacramenti elevatus est inter fideles initus contractus matrimonialis, Petr. de Ledesma *disp. 19. de Matr. q. 42. art. 1. dub. 3. cit.* Sanchez *disp. 10. n. 5.* & Perez *disp. 19. de Matr. s. 5. n. 4.*

159. Convenit inter eos quartò, etiam matrimonium fidelium, ejus elevationem ad statum Sacramentalem ignorantium, verum Sacramentum esse: dummodo intentionem habeant faciendi, quod faciunt cæteri fideles id contrahendò; quia ita id, quod facit Ecclesia, facere & ipsi intendunt, ut nihil desideretur ad rationem Sacramenti, ut cum S. Thoma *Addit. q. 51. art. 2.* observant *citt.* Sanchez *n. 6.* & Perez *s. 10. n. 3.*

160. Dissensio autem inter eos & controversia prima est, an Sacramentum etiam sit conjugium, ab iisdem initum cum intentione Sacramentum excludente, sive celebrandi contractum merè Civilem quod cum Scoto *in 4. dist. 26. q. unic. §. Sed qualiter* negant Vasquez *Tom. 2. in 3. p. disp. 138. cap. 5. n. 63.* Rebellus *de Oblig. Justit. p. 2. lib. 2. q. 5. concl. 1.* Pontius *cit. Lib. 1. cap. 9. n. 3.* & RR. alii: qui, licet Matrimonii Sacramentum sine contractu consistere posse, inficientur, hunc tamen etiam inter fideles, quin Sacramentum sit, iniri posse, sustinent & moventur Primò; quòd contractûs matrimonialis substantia tota haberi valeat sine intentione conficiendi Sacramentum: imò cum intentione hoc excludente; cùm ea sine hujusmodi intentione haberi potuerit, antequam Contractus elevaretur ad statum Sacramenti: per elevationem autem istam legitimus contractus quoad substantiam non fuerit mutatus. Secundò; quòd contractum matrimonialem, sine ejusmodi intentione initum à Christo irritatum, neque à Conciliis aut SS. Patribus expressum: neque ex DD. & fidelium sensu constet. Imò DD. non pauci matrimoniũ, à fidelibus per procuratorẽ aut epistolã inter absentes initum, Contractum duntaxat; non etiam Sacramentum esse docuerint cum Cano *de Loc. Theolog. Lib. 8. cap. 5.* Cajetano *Opusc. de Matrim. q. 1.* & Victoria *Summæ n. 244.* Tertiò; quòd matrimonium Jure Naturali validum pro tali habendum sit, donec id Divino vel Ecclesiastico Jure irritatum reperiatur, *Extravag. Antiquæ Joan. XXII. de Voto.* Quartò demum; quòd, cùm conditiones de facto aut Jure impossibiles & turpes, prolis & fidei bono & conjugii insolubilitati non adversantes, contractus matrimonialis valori non obstent, *c. fin. de Condit. appos.* huic etiam non officiat conditio, excludens rationem Sacramenti.

Hæ tamen rationes, etsi minimè 161.
leves, ejus tamen efficaciæ non sunt; ut inter fideles matrimonii à Sacramento separabilitatem propugnantium persuadeant Opinionem, & prævaleant oppositæ, quam cum Petr. de Ledesma *de Matrim. q. 42.* & *cit.* Sanchez *Lib. 2. disp. 10. n. 6.* defendunt Coninck *disp. 24. dub. 6. concl. 4.* Palao *cit. disp. 2. p. 2. num. 5.* Illsung. *Theolog. Pract. Tract. 6. disp. 7. n. 37.* quibus contrarium persuasit primò; quòd inter fideles initi matrimonii essentia consistat in matrimonii Contractu à Christo Domino ad Sacramenti dignitatem elevato; & propterea ex Divina institutione à legitimo Contractu matrimonii Sacramenti esse separabile non sit; ut inter fideles legitima intentio contrahendi matrimonium sit legitima intentio sibi mutuò administrandi & suscipiendi Sacramentum: & eos, qui matrimonialem Contractum volunt, etiam Sacramentum velle: &, qui matrimonii Sacramentum

volunt, etiam matrimonialem Contractum velle, sit necesse. Secundò definitiones conciliorum Oecumenicorum Florent. §. *Quintò & §. Septimum citt.* & Trident. *Sess. 24. can. 1. de Sacram. Matrim.* fidelium conjugium verè ac propriè Sacramentum esse, asserentium indefinitè sine distinctione & exceptione; ac proinde comprehendentium omnia matrimonia, quæ à fidelibus validè ineuntur. Tertiò, quia, si matrimonii Contractus non-Sacramentalis celebrari à fidelibus validè posset, non apparet ulla ratio, cur ab ipsis Sacramenti ratio separari & excludi licitè non possit, cùm; quia istius ab illo separatio, si fieri queat, ullô tam Divinô quàm humanô Jure vetita non reperitur: tum verò; quia à sponsis in peccati mortalis statu constitutis, matrimonium non-Sacramentale celebrandô, excludi posset Sacramenti administratio & susceptio sacrilega, cujus vitiô procul dubio infecta esset, in eo statu attentata matrimonii celebratio Sacramentalis.

Pro separabilitate rationis Sacramenti à contractu matrimoniali deducta non ad modum urgent. Primum; quia eô ipso; quòd matrimonium fidelium ad Sacramentalem statum elevatum sit, necessaria ad ipsius contractum est Sacramentum administrandi & suscipiendi intentio, saltem virtualis seu faciendi, quod facit Ecclesia, vel, quod faciunt alii fideles, matrimonium celebrantes: ultra quam intentionem circa contractum matrimonialem à Christo Domino nihil requisitum est vel immutatum, sed ille totus Ecclesiæ dispositioni est relictus.

Secundum & tertium, partim; quia ejusmodi intentionem ad matrimonii valorem exigi, satis liquet ex allegatis Conciliis, quæ fidelium matrimonium esse Sacramentum definiendô, ad illius valorem Sacramentum administrandi & suscipiendi intentionem necessariam esse, definivisse intelliguntur: partim verò; quia matrimonium, per procuratorem initum, Sacramentum esse, negantium Opinio rejecta jam est *Lib. 1. tit. 38. n. 34.*

Postremum; quia, dictâ matrimonii elevatione suppositâ, sicut conditio prolis & fidei conjugalis bono & conjugii insolubilitati repugnans, sic etiam rationem Sacramenti à fidelium matrimoniis excludens matrimonii substantiæ adversatur; ut, si fideles illud contrahentes nullô modô velint Sacramentum, cum isto excludant validum Contractum: &, si hunc efficaciter, & absolutè velint, in erroneo judicio separabilitatis Sacramenti à fidelium contractu fundata voluntas non administrandi & suscipiendi Sacramentum, inefficax evadat, & efficaci atque absolutæ voluntati celebrandi Contractum cedat; ut matrimonium tam Sacramenti rationem habeat quàm Contractûs, ut rectè observant *citt.* Sanchez & Palao uterq; *n. 6.*

Controversia secunda est de matri- 162.
monio Consummato. Quod etiam, ac proinde Fidelium matrimonium, non solùm in fieri, sive ipsum ejus contractum, sed post hunc jam initum, Eucharistiæ instar, Sacramentum esse & permanere volunt Sanchez *disp. 5. cit. n. 7.* & Laiman. *Lib. 5. Tract. 10. p. & cap. 2. n. 4.* suam hanc Opinionem fundantes in matrimonii significatione; cùm eô ipsô; quòd fidelium matrimonium omnimodam insolubilitatem pro tota conjugum vita sortiatur, juxta illud, *Quod Deus conjunxit homo non separet*, Matth. *cap. 19. v. 6. c. Ex publico cit. in fine*, ex institutione Divina pro tota vita significet admirabile & insolubile conjugium, sive unionem Christi cum Ecclesia, per Incarnationis mysterium contractam: de qua S. Joannes, *Verbum*, inquit, *caro factum est & habita-*

habitavit in nobis, cap. 1. v. 14. & c. Debitum cit.

163. Sed ratio hæc speciosa magis quàm solida est; quia hanc significandi vim matrimonio non confert Sacramentum; cùm aliàs unio illa significaretur matrimoniô fidelium Ratô: sed conjugii ab ipsis initi consummatio; cùm eam vim etiam habeat matrimonii antè initi consummatio, facta post baptismum: licet tale matrimonium Sacramentum non sit. Quare verius, Matrimonii solum contractum propriè dictum Sacramentum esse, defendunt Coninck *disp. 24. dub. 2. n. 11.* & Palao *cit. disp. 2. p. 2. n. 3.* Ratio est; quia Sacramentum ex divina institutione est gratiæ signum Practicum, ex opere operato sanctificans suscipientem, ut colligitur ex *cit.* Concil. Florent. §. *Quintò* & Trident. *Sess. 7. can. 6. 7. & 8.* conjugibus autem matrimoniô utentibus gratiam sanctificantem istiúsve augmentum ex opere operato conferri, communissima DD. sententia negat.

164. Controversia tertia est de conjugio, à fideli ex Apostolica dispensatione inito cum infideli, ut quondam à S. Monica cum Patricio & à S. Clothilde cum Clodoveo Francorum Rege, viris Ethnicis factum. Id enim etiam Sacramentum esse, Sotus *cit. art. 3.* & Universitatis nostræ singulare decus & Orthodoxæ veritatis adversus Novatorum errores acerrimus propugnator Joan. Ecchius *Homil. 73. de Sacrament.* quondam voluêre, permoti illo, *Sanctificatus est vir infidelis per mulierem fidelem, & sanctificata est Mulier infidelis per virum fidelem*, 1. Corinth. *cap. 7. v. 14.* Id ipsum suadetur ratione; quòd conjugium tale sit verus matrimonialis Contractus, cui à fideli inito Christus contulit vim ac dignitatem Sacramenti.

165. Cæteri tamen & moderni præsertim DD. plerique, id etiam ex parte fidelis Sacramentum esse, negant; quòd, sicut in utroque unus numero Contractus, obligans utrumque, unum quoque & contrahentium utrumque simul afficiens sit Sacramentum; ut adeò, vel in utroque vel in neutro Sacramentum esse debeat: sicut vel in utroque vel in neutro est Contractus. Cùm ergo secundùm omnes Sacramentum non sit ex parte infidelis, utpote ejus ante Baptismum susceptum incapacis, *c. Veniens & c. Per Cathechismum citt.* tale etiam ex fidelis parte non erit. Quare ad statum ac dignitatem Sacramenti elevatus est solus contractus initus inter fideles, ex doctrina *citt.* Guttierez *cap. 42. n. 4.* Sanchez *disp. 8. n. 2.* Vasquez *disp. 2. de Matrim. cap. 4. n. 10.* Neque alia mens fuit Apostoli; cùm sanctificatio, quam in infidelem redundare, ait *cit. V. 14.* non sit Sacramentalis; partim quia hæc in infidelem non cadit: partim; quia *V. cit.* agitur de eo, qui post conjugium cum infideli jam initum suscepit Baptismum: non de fideli cum Pagano vel Judæo post susceptum baptismum matrimoniũ ineunte: sed est conversio infidelis ad fidem, quæ ex cohabitatione & conversatione cum fideli conjuge speratur, *citt.* Ponti[9] *cap. 6. n. 8.* & Perez *disp. 19. s. 12. n. 4.*

166. Controversia quarta est de matrimonio, post quod in infidelitate contractum, conjuges suscipiunt Baptismum. Id enim in Sacramentum transire, Opinio est complurium magni nominis DD. in eo tamen dissentientium; quòd aliqui cum *citt.* Guttierez *cap. 42. n. 5.* & Sanchez *disp. 9. n. 5.* id fieri velint ipsâ Baptismi susceptione: alii vero cum Bellarmino *Lib. 1. de Matrim cap. 5. in fine* & Laiman *cap. 3. n. 6.* hanc secutâ & verbis aliisque signis externis expressâ renovatione pristini consensûs. Quorum hi & illi pro se allegant D. Thomam *in 4. dist. 39. q. unica, art. 3. ad 1.* Infidelium conjugium

Sacra-

Sacramentum esse asserentem, non actu, sed habitu, quasi diceret, non, dum actu id contrahunt, sed statim ac baptizantur, aut saltem post baptismum renovant consensum, Sacramentum effici; ne otiosa sit potentia nunquam reducibilis in actum. Rationem reddunt; quòd infidelium conjugium susceptô Baptismô ratum & insolubile evadat: & Christi cum Ecclesia conjunctionem non minùs perfectè significet, quàm initum & consummatum à baptizatis. Unde, sicut initum à baptizatis, sic & à Judæis & paganis contractum matrimonium ipsâ Baptismi susceptione aut hanc secutâ consensûs renovatione in Sacramentû transire, inferunt.

167. Sed ejusmodi conjugium in Sacramentum unquam transire, cum *cit.* Ledesma *q. 59. art. 2.* & Vasquez *cit. disp. 2. cap. 10.* meritò negant *citt.* Coninck *disp. 23. dub. 2. concl. 7.* Pontius *cap. 9. n. 8.* Perez *s. 11. n. 5.* Diana *p. 3. Tract. 4. resol. 253.* & alii. Ratio est; quia matrimonium Sacramentum non est, nisi quando celebratur & existit ejus contractus; cùm ad Sacramenti statum elevatus sit ejus contractus, secundùm Leges humanas perfectus, sive traditio & acceptatio mutua corporum ad individuam Societatem vitæ & actus ex se aptos ad generationem prolis. Cùm ergo, neque susceptî Baptismi, neque post hunc renovati consensûs tempore, contractus nuptialis actu sit, infidelium conjugium neutro tempore verum novæ Legis Sacramentum evadet. Hoc profectò non asseruit Doctor Angelicus; quia *art. cit.* Sacramenti nomen non strictè, pro signo Practico gratiæ sanctificantis: sed pro merè Speculativo, unionem Christi cum Ecclesiâ repræsentante, accepit: quæ repræsentatio secundùm ipsum infidelium matrimonio actu non convenit, nisi post Baptismi susceptionem, *cit.* Perez *n. 7.*

Neque susceptione aut renovatione illâ conjugium in verum Sacramentum transire, & ex opere operato conferre gratiã, persuadet ratio; quia omnimodam insolubilitatem & unionis illius perfectam significationem infidelium conjugium non consequitur ex eo; quòd evadat Sacramentum: sed partim ex eo; quòd dissolutionis à Deo aliquando permissæ causa, scilicet Christianæ Religionis favor, cesset: partim verò ex matrimonii consummatione: post quam, neque ingressu Religionis, neque Apostolicâ dispensatione, solvi potest.

ARTICULUS VIII.

De Matrimonii Impedimentis generatim.

SUMMARIUM.

168. *Impedimenta alia Impedientia, alia Dirimentia sunt.*
169. *Utraque enumerantur.*
170. *Etiam dirimentium quædam prodita Jure Humano,*
171. *Sine mutatione Materiæ aut Formæ Sacramenti Matrimonij,*
172. *Determinatè requisita à Christo Domino,*
173. *Istius contractum subjiciente dispositioni Ecclesiæ:*
174. *A qua mutatus est, introductis variis impedimentis,*
175. *Omnes, etiam Principibus infidelibus subjectos,*
176. *Et solos fideles afficientibus.*
177. *Pro infidelibus subditis suis infideles,*
178. *Et fideles etiam Principes impedimenta Nuptialia statuere possunt.*

179. Pro-

179. *Pro fidelibus ea neque infideles,*
180. *Neque etiam fideles Principes Seculares:*
181. *Neque ipsi etiam Episcopi statuunt:*
182. *Nisi Apostolica authoritas accedat.*
183. *Consuetudinem circa ea aliquid posse, quidam negant:*
184. *Nisi ejus violatio generet scandalum:*
185. *Vel expressè approbetur à Papa.*
186. *Verius est, etiam eâ Impedimenta introduci posse,*
187. *Et abrogari:*
188. *Nisi sit irrationabilis, vel non legitimè præscripta.*

168. UT maris ac fœminæ ad prolis generationem conjunctio sanctior firmiórque & Reipublicæ utilior foret, eam non temerè, sed delectu & circumspectione maximâ iniri, Jura voluerunt, positis non paucis Matrimoniorum obstaculis sive, ut vocamus, Impedimentis: quorum tamen non eadem omnium vis est: sed quædam nuptiarum Justitiæ duntaxat & Honestati: alia etiam Valori obstant, & illas reddunt inutiles, dirimúntque. Istorum sive dirimentium omnino septendecim enumerantur & cogi solent in sequens
169. tetrastichon, memoriæ subsidio potiùs quàm tractationis aut Decretalium ordini accommodatum.

Error, Religio, triplex Cognatio, Crimen,
Cultûs disparitas, Vis, Ordo, Ligamen, Honestas,
Raptus, Clandestina fides, Impos coëundi,
Ætas, Affines solvunt connubia cuncta.

Quorum primô locô relatus Error non eum solùm, qui circa personæ contrahentis substantiam, ut loquuntur, sive individuum: sed illum etiam, qui circa contrahentium alterius conditionem servilem versatur, comprehendit. Conjugium solum impedientium plenam dodecadem aliqui recensent. Alii, nec malè, ea complectuntur quinariô, redactô in versum,

Interdico, Dies, Votum, Sponsalia, Crimen.

Quò nonnulli omissum, & addendum existimant Catechismum. An rectè aut secus, planum fiet *Tit. 16.* quô locô, Voto ac Sponsalibus jam præmissis, hæc impedimenta vocabuntur ad examen.

Priorum, sive dirimentium, tria, Errorem circa personam, Vim seu metum, & Honestatem publicam sive istius Justitiam ad præsentem: reliqua ad sequentes hujus Libri Rubricas, Gregorianam compilationem secutus, discutiam, exceptô, & ad Librum V. rejectô Raptu: cujus nuptiale impedimentum spectantes textus istius *Tit. 17.* sunt subjecti. Priusquam autem singulorum explicationem aggrediamur, de iis agendum generatim: & origo saltem seu causa efficiens impedimentorum est perquirenda.

Et ea quidem non omnia Naturali 170.
aut Divinô: sed quædam, imò potiora, Humanô & Ecclesiasticô Jure introducta, patentius est, quàm ut inficiari quis ausit, vel opus sit demonstratione.

An etiam, quæ istô introducta sunt, conjugiorum valori obesse possint, in dubium & quæstionem vocari sine nota temeritatis, imo Hæreseos crimine, amplius non potest, postquam ea res à S. Synodi Tridentinæ PP. est definita *Sess. 24.* cujus Canon. IV. est, *Si quis dixerit, Ecclesiam non potuisse constituere impedimenta, matrimonium dirimentia, vel in iis constituendis errâsse, Anathema sit.*

Ante hanc autem sacræ & Oecumenicæ Synodi definitionem, ea de re non pauci ambigebant: & ex ipsis illius PP. Episcopi omnino quadraginta aliique DD. non pauci in ea sententia initiò fuerunt; ut Nuptialia hujusmodi impedimenta constituendi potestatem penes Ecclesiam non esse, assererent.

171. Neque, in speciem saltem, levis momenti ratio fuit, quâ ad eam potestatem huic negandam sunt inducti; quia fidelium Matrimonium non solùm contractum, sed insuper unum ex septem Novæ Legis Sacramentis, à Christo Domino institutis, esse, ab eadem S. Synodo *Sess. cit. can.* 1. est definitum: ab Ecclesia autem sicut novum institui, sic à Christo institutа Sacramenta, eorum Materiam aut Formam, huic aut illi aliquid addendò vel detrahendò, mutari non posse, dogma est ejusdem, *Sess. 21. de Communione cap.* 2. declarantis, *Hanc potestatem perpetuò in Ecclesia fuisse, ut in Sacramentorum dispensatione; sed non nisi salvâ illorum substantiâ* statueret &c. Ex quibus verbis, circa Materiam & Formam, ad Sacramentorum substantiam vel maximè pertinentes, aliquid novi statui & mutari ab Ecclesia non posse, indubitatè desumitur; ac proinde sicut, ut aqua Baptismi, Panis aut Vinum Eucharistiæ Materia: verba *Ego te baptizo &c. Hoc est enim Corpus meum*, illorum Sacramentorum Forma non sint: ita etiam; ut persona vg. servilis aut in conjugis mortem machinata, quæ ad matrimonium contrahendum antè habilis: consensus seu contractus vg. clandestinus, qui antè legitimus aut sufficiens erat, jam tales non sint, Ecclesia efficere non posse videtur; cùm ita non minùs Matrimonii, quàm Baptismi aut Eucharistiæ, Materia aut Forma variarentur.

172. Sed inconcussa manet Veritas Catholica & firmâ fide tenendum est, introduci ab Ecclesia posse impedimenta, conjugium non solùm impedientia, sed etiam dirimentia, personas aliquas ad id contrahendum reddendò inhabiles, aut ipsum matrimonialem contractum sine certa solennitate, vg. aliter, quàm propriò Parochò & duobus vel tribus testibus præsentibus, celebratum, irritandò; quia Ecclesia hoc faciendò Materiam & Formam Matrimonii, à Christo determinatè institutam, non mutat, sed utramque relinquit invariatam; quantumvis enim id statuendò in personis aut ad contractum exegerit aliquid, quod ad conjugii valorem requisitum antè non fuit: hoc tamen agendò non fecit, ut legitimus sive 173.
inter personas Jure Humano approbatas, & modò, eôdem præscriptò, celebratus contractus non sit, maneátque secundùm Divinam institutionem determinata Materia & Forma Sacramenti Matrimonii: sicut, qui aquam, panem aut vinum corrumpit, non mutat materiam & formam Sacramentorum Baptismi & Eucharistiæ à Christo Domino institutas, ut rectè advertunt Sanchez *Lib. 3. de Matrim. disp. 4. n. 7. & 10.* Laiman *Lib. 5. Tract. 10. p. 2. cap. 4. n. 2.* & Palao *Tract. 28. disp. 2. p. 13. §. 2. n. 4.*

Confirmantur ista primò; quia Sa- 174.
cramentum Matrimonii incipit ab istius contractu inter homines legitimo, hoc est à personis ad eum celebrandum Jure Humano habilibus, & cum solennitatibus eôdem approbatis initò: quem dum Christus ad Sacramenti dignitatem elevavit, quæ personæ ad illum habiles, quæve in eo solennitates observandæ sint, reliquit arbitrio Humanæ & Ecclesiasticæ potestatis: quæ proinde, sicut ad cæteros, sic etiam ad Matrimonialem contractum celebrandum personas habilitare vel reddere inhabiles, eíque celebrando formam & solen-

& solennitates præscribere potest, prout ad Reipublicæ Christianæ bonum & rectam gubernationem Fidelium expedire judicârit.

Confirmantur secundò antiquissimâ praxi Ecclesiæ, irritantis Matrimonium extortum gravi & injusto metu, *arg. c. Cùm locum 14. c. Veniens 15. &c. de Sponsal. & Matr.* inter eos, qui in alterius conjugis mortem sunt machinati, *can. Si quis vivente, 31. q. 1. c. Super eo 3. De eo, qui duxit &c.* inter servum & liberum, illius conditionem ignorantem, *c. Proposuit 2. & c. fin. de Conjug. servor.* initum, & clandestinum, *cit. Sess. 24. cap. 1. V. Qui aliter, de Ref. Matr.*

175. Dubium nunc est primò, quinam legibus & impedimentis nuptialibus afficiantur. Et Divini quidem ac Naturalis Juris impedimentis omnes planè homines affici; atque idcirco inter patrem & filiam, matrem & filium & cum conjugato inita matrimonia infidelium, cùm ad Christianam fidem convertuntur, dissolvenda, res est omnino explorata. Ecclesiasticô autem Jure introductis fideles sive baptizatos omnes, etiam infidelibus Principibus subjectos, eósque solos: non etiam infideles affici, cum Soto *in 4. dist. 42. q. 2. art. 2.* & VV. aliis tradunt Tannerus *disp. 8. de Matrim. q. 4. dub. 1. n. 20.* Laiman *cit. Tract. 10. p. 4. p. 1. n. 3.* Pontius *Lib. 7. de Matrim. cap. 1. n. 7.* & *cit.* Palao *disp. 4. p. 1. n. 3.* Ratio de fidelibus est; quia Ecclesiastici legislatoris per totum Orbem diffusæ potestati fideles indiscriminatim omnes subjiciuntur; & propterea, sicut cæteris Ecclesiæ universalibus, sic & Connubialibus ejus legibus adstringuntur, *arg. can. Enim verò 4.*
176. *can. Nulli 5. dist. 19. c. 1. & c. fin. de Constitut.* De Infidelibus autem; quòd, cùm per Baptismi januam Ecclesiam ingressi non sint, Constitutionibus Canonicis non arctentur ex rescripto Innocentii III. relato *c. Gaudemus 8. de Divortiis*, uti & S. Gentium Doctoris *1. Corinth. cap. 5.* cujus *v. 12. Quid mihi*, inquit, *de iis, qui foris sunt judicare?*

Dubium secundò est, an impedimenta conjugium dirimentia introducere valeant Principes & similes Magistratus Infideles. 177. Pro subditis infidelibus illa statui ab his posse, S. Thomæ *in 4. dist. 39. q. unic. art. 2.* Navarri *Manual. cap. 22. n. 48.* Sanchez *Lib. 7. disp. 3. n. 5.* & aliorum sententia communis, ratióque expedita est; quia infidelium conjugia non sunt Sacramenta, sed contractus merè Civiles; atque idcirco, sicut contractus alii, subjecta potestati legislativæ Principum ac magistratuum suorum; ut hi pro communi bono Reipublicæ, sicut aliis contractibus præscribere certam formam & solennitates, ad eósque celebrandos personas quasdam vg. prodigos aut pupillos reddere inhabiles, sic idem valeant respectu contractûs nuptialis; cùm ipsorum subditi infideles, sicut quoad alios, sic etiam quoad nuptialem contractum Ecclesiasticis legibus non subjiciantur, *v. 12. & c. Gaudemus citt.*

Simili modo pro infidelibus, in territorio Ecclesiæ temporali degentibus, ut 178. subditis suis Papa, & Christiani Principes alii pro iisdem, in regnis ac provinciis suis commorantibus, leges connubiales irritantes ferre possunt; ut contra has inita ab infidelibus conjugia perinde, ut quæ à talibus contra Principis aut magistratûs sui Gentilis, aut à fidelibus contra sacros Canones ea irritantes contrahuntur, viribus ac valore destituantur; cùm enim infidelium conjugia, ubicunque ineantur, non sint vera & propriè dicta Sacramenta, sed contractus merè Civiles ac Politici, sicut cæteri eorum contractus, non ad finem supernaturalem, sed ad bo-

num duntaxat temporale Reipublicæ humanæ ordinati, sic & contractus nuptiales à Principibus & magistratibus temporalibus sibi promulgatis legibus Connubialibus subjiciuntur; ut adeò, sicut contractus cæteri vg. alienatio rerum immobilium, sic etiam nuptiæ contra leges irritantes ab ipsis promulgatas celebratæ, irritæ sint, ut cum S. Thoma *cit. dist. 39. q. unic. art. 1.* Glossa *in can. Si quis ancillam 3. V. Et legibus, 29. q. 2.* Steph. Gaëta *in can. Ad limina, 30. q. 1. art. 4. n. 435.* observant Navarr. *cit. cap. 22. n. 48.* Bellarminus *Lib. 1. de Matrim. cap. 21. & 22.* & Sanchez *cit. disp. 3. n. 7.*

175. Dubium tertiò est, an Principes infideles leges Nuptiales condere possint pro fidelibus suæ jurisdictioni subjectis. Ratio dubitandi est; quòd ejusmodi leges sint justæ, & ab habente potestatem latæ circa contractum suæ potestati subjectum: eáque potestas restricta non sit lege Divinâ, neque etiam Ecclesiasticâ, de contractu nuptiali disponendi facultatem Ecclesiæ reservante; cùm hujusmodi lege Ecclesiastica non ligentur, hôc ipsô; quòd Ecclesiam ingressi non sint per Baptismũ, *v. 12. & c. Gaudemus citt.* Quæ ratio apud *cit.* Sanchez *n. 7.* & Perez *disp. 21. s. 5. n. 3.* tantùm potuit; ut contra infidelis sui Principis legem irritantem à fidelibus eorum subditis inita conjugia, perinde ut ea, quæ contra tales illius leges à subditis infidelibus, & à fidelibus aliis cum Juris Ecclesiastici impedimento contrahuntur, pro irritis habeant.

Sed ratione multò meliori Principi infideli eam potestatem respectu fidelium, temporali ipsius jurisdictioni subjectorum, competere, hósque Connubialibus illius legibus affici, cum Soto *in 4. dist. 42. q. 2. art.* negant Tannerus *de Matrim. thesi 137.* Laiman *cit. cap. 1. n. 3.* Pontius *cit. cap. 1. n. 7.* Hurtad. *de Matrim, disp. 12. n. 7.* & *cit.* Palao *disp. 4. p. 1. n. 3.* quòd, sicut personæ & res consecratæ ipsâ consecratione, sic etiam contractus fidelium matrimonialis ipsâ ad statum & dignitatem Sacramentalem elevatione potestati Ecclesiasticæ fuerit subjectus; ut de eo tanquam de re spirituali & ipsa ad statum illum elevatione à Christo Domino ad finem supernaturalem & animæ salutem ordinatâ, disponere solius Ecclesiasticæ sit potestatis, *arg. can. Certum 3. dist. 10. can. Si Imperator 11. dist. 96. c. Decernimus 2. c. Quanto 3. de Judiciis &c.* Confirmatur hæc ratio; quia fideles, sicut in cæteris ad spiritualem animæ salutem ordinatis, sic etiam in contrahendis matrimoniis adstringuntur legibus Ecclesiasticis; ut ab ipsis, quôcunque locô degentibus, contra sacros Canones inita conjugia invalida, & contrà valida sint, quæ secundùm eos coalescunt. Unde consequens est, eos non affici impedimentis nuptialibus promulgatis à Principe infideli; quia aliàs huic adstruenda esset potestas irritandi conjugia à fidelibus inita secundùm sacros Canones, & viciſſim contra hos, cum clausula irritante promulgatos, inita validandi; ac proinde circa fidelium, temporali suæ jurisdictioni subjectorum, conjugia Principis terreni & pagani potestas major quàm Ecclesiæ foret

Ex his planè evanescit ratio dubitandi; quia nuptialis fidelium contractus Principis infidelis, impedimenta proponentis, potestati ipsâ ejus ad sacramentalem statum elevatione subtractus & Ecclesiæ est subjectus. Unde

Dubitationis quartæ, de Principum 180.
fidelium circa impedimenta matrimonialia potestate moveri solitæ, satis expedita resolutio est, post elevationem illam Divinâ authoritate factam, impedimenta, nuptiarum valori & honestati obstantia,

pro fide-

pro fidelibus introduci ab ipsis ulláve aliâ, præterquam Ecclesiasticâ, authoritate non posse, ut cum Ant. de Butr. *in c. 1. n. 12.* Panormit. *ibid. n. 9.* Felino *n. 10.* Alex. de Nevo *n. 21.* Turrecremata *in can. 1. Causa 30. q. 3. art. 6. ad 1.* Gaeta *in can. Ad limina cit. §. 4. n. 299.* & VV. aliis docent Sylvester *V. Matrimonium q. 8. d. 1.* Sotus *cit. q. 2. art. 2. ad 2.* Covarruvias *de Sponsal. p. 2. cap. 6. §. 10. n. 16.* Bellarmin. *Lib. 1. de Matrim. cap. 32. citt.* Pontius *cap. 2. n. 3.* Palao *n. 3.* & Fagnanus *in c. Utrum 1. de Cognat. Spirit. n. 22.* in eam rem & meritò allegans D. Thomam *in 4. dist. 42 q. & art. 2. ad 4.* ubi disertè ait, *Prohibitio legis humanæ non sufficit ad impedimentum matrimonii, nisi interveniat authoritas Ecclesiæ, quæ idem etiam interdicat:* cujus rationem præmisit; quòd Sacramenta Ecclesiæ, sicut est matrimonium, humanis legibus non subdantur. Cujus ratio ulterior est; quia fidelium matrimonium ipsâ ad Sacramentalem statum elevatione contractus politicus ac civilis esse desiit, & cæpit esse sacer ac spiritualis; ac proinde Ecclesiæ subject9, *c. Decernimus c. Quanto citt. c. Si judex 12.* ibi *Quia de re spirituali est, de Sent. excom. in 6. &c.* ut, sicut §. *Hinc colligitur*, post *can. Euphemium 2. q. 3.* Gratianus ait, post elevationem illam *Matrimonia fidelium regantur Jure Poli, non Jure Soli*, & Princeps eique similis Magistratus secularis, sicut de persona, ante sacram Ordinationem vel Religiosam professionem ipsi subjecta, post Ordinationem & professionem illam, sic etiam post elevationem illam de fidelium conjugiis legali aliáve ordinatione decernere nihil amplius possit, *arg. can. Si Imperator cit. c. Ecclesia 10. de Constitut. c. Quamquam 4. de Censibus, in 6. Auth. Cassa, C. de SS. Eccles. &c.*

Non parùm roboris huic rationi addit decretum S. Synodi Tridentinæ *Sess. 24. cap. 1. de Ref. Matrim.* cujus *pr.* de fidelium matrimoniis agens, ea clam inita rata & vera matrimonia fuisse affirmat, quamdiu ea Ecclesia irrita non fecit: & Anathemate damnat eos, qui eadem, uti & à filiisfamilias sine consensu parentum contracta, irrita esse, & parentes ea rata vel irrita facere (cujuscunque secularis statuti vigore) posse, affirmant. Quod ulteriùs confirmatur ex eo; quia de causis matrimonialibus, inter fideles exortis & deductis in judicium, cognoscere nequit curia secularis, ex rescripto Honorii III. *c. Tuam 3. de Ord. cognit.* Alexandri III. *c. Causam 7. Qui filii legitimi* & Synodali definitione Trident. *Sess. cit.* cujus *de Sacramento Matrimonii* Canon. 12. est, *Si quis dixerit, causas matrimoniales*, inter fideles exortas, *non spectare ad judices Ecclesiasticos, Anathema sit.* Cujus Dogmatici canonis ratio est; quia ipsâ ad statum Sacramentalem elevatione fidelium matrimonium istiúsque causæ subtractæ fuerunt seculari, & Ecclesiasticæ jurisdictioni subjectæ; ut de ejus causis cognoscere & definitivè pronuntiare nequeat potestas & Curia secularis. Ergo multò minùs matrimoniis inter fideles contrahendis ponere leges & impedimenta constituere eadem potestas & curia valebit; cùm recepta & Magistralis Regula sit, *Cujus quis in aliquâ materia non sortitur forum, ejus etiam legibus non ligatur, arg. c. fin. de Constitut. in 6. & l. fin ff de Jurisdict.* quam cum Joan. Andr. *in c. Per venerabilem 13. Qui filij legit. V. Imperator autem*, Ant. de Butr. *in Rubr. de Consuet. n. 7.* & Socino *Lib. 4. consil. 79. n. 9.* tradit Fagnanus *cit. n. 22.* quia legem in aliqua materia ferendi potestas major est, quàm potestas de causis, in ea materia exortis, co-

tis, cognoscendi & pronuntiandi; cùm hæc ab illa tanquam fonte dimanet, in eáque includatur; ut locus sit Regulæ, *Cui licet, quod est plus, licet utique, quod est minus*, quæ est *53. in 6.* Unde non apparet, quâ ratione laicis, qui de matrimoniorum inter fideles initorum valore & honestate cognoscendi ac pronuntiandi potestate carent, adstrui valeat potestas promulgandi leges, matrimonia aliàs valitura irritantes.

Dubium quartò est, quibus in Ecclesia competat potestas, impedimenta conjugium dirimentia introducendi. Et Romano quidem Pontifici tanquam supremo Ecclesiæ Legislatori eam competere, Orthodoxorum nemo est, qui in
181. dubium & quæstionem vocet. De Episcopis autem aliisque Prælatis, jurisdictionem quasi Episcopalem in certi territorii clerum ac populum obtinentibus, dubitandi ratio minimè levis est; quòd isti in sua quisque diœcesi possint omnia, quæ in Christiano Orbe toto potest Papa, nisi aliqua ab isto suæ dispositioni specialiter sint reservata: quod post Abulensem in Matth. *cap. 16. quæst. 87.* Regulæ instar statuunt Sotus *Lib. 10. de Justit. q. 1. art. 3.* Gambara *de Offic. Legati Lib. 10 à n. 466.* Sanchez *Lib. 1. disp. 61. n. 3.* & alii: à Papa autem potestatem illam inferioribus Prælatis ademptam, & sibi specialiter reservatam, nuspiam expressum reperiatur.

Sed Regulam hanc nullo Jure esse fundatam, jam ostensum *Lib. 1. Tit. 30. à n. 81.* eámque, nisi variè limitetur, omnino falsam, præter alios pronuntiat Suarez *Lib. 6. de LL. cap. 14. n. 6.* & multis comprobat Fagnanus *in c. Perniciosam 1. de Offic. Ordin. n. 29. & à n. 55.* quia, ut iste prolixâ deductione *à n. 31.* ostendit, Episcopi jurisdictionem suam immediatè accipiunt à Romano Pontifice: à quo in partem sollicitudinis, non in potestatis plenitudinem vocantur, *can. Qui se scit. 2. q. 6. & c. Ad honorem 4. de Auth. & Usu Pall.*

Quare impedimentorum conjugia 182.
irritantium introductio Romano Pontifici, non solùm ex Apostolicis constitutionibus vel Conciliorum Oecumenicorum decretis, aut perantiqua & universali Ecclesiæ consuetudine, ut cum non paucis Interpp. & DD. volunt Covarruvias *de Sponsal. p. 6. cap. 6. §. 10. n. 16.* & *cit.* Sanchez *Lib. 7. disp. 1. n. 10.* sed, hac & illis seclusis, ipsi soli etiam competit; quòd inferiorum Ecclesiarum Prælatis eam generaliter concessam, Jure expressum non reperiatur, ut cum Anchorano *Consil. 239. n. 1.* docent Fagnan. *in c. cit. n. 63.* Perez *de Matr. disp. 21. s. 5. n. 7.* & Card. de Lugo *Lib. 1. Resp. Moral. dub. 45. à n. 1.* ubi super facto Archiepiscopi, ad promovendam observantiam decretorum Conciliorum Lateranensis *c. fin. pr. de Clandest. desponsat.* & Tridentini *Sess. 24. cap. 1. §. Cui malo, de Ref. Matrim.* non præmissis denuntiationibus celebranda conjugia in sua diœcesi irritantis, consultus, eum potestatis suæ limites egressum, ab eóque propositum decretum irritans valore destitui, respondit. Ratio est; quia ea potestas Episcopis non competit ex sua Ordinatione; cùm ex ista præcisè actualem jurisdictionem in aliquod territorium aut subditos non habeant, ut patet in Episcopis merè Titularibus: sed eam immediatè accipiunt à S. Petri successoribus, Pontificibus Romanis: à quibus, dum in partem sollicitudinis vocantur, ejusmodi impedimenta introducendi potestatem ipsis communicari consuevisse, non constat: neque propter rei gravitatem publicè expediebat.

Neque hanc nostram doctrinam evertit; quòd, impedimenta quædam, etiam irritantia, olim ab Episcopis & à Conciliis

Conciliis Provincialibus vel Nationalibus introducta, perhibeantur à Pontio *cit. n.* 12. quia ab his introductorum aliqua à Sede Apoſtolica rejecta & exploſa, idem fatetur: alia verò impedimenta, ejusdem ſummæ Sedis authoritate vel ratificatione accedente, conſtituta ſunt aut approbata. Quô modô impedimentorũ matrimonia dirimentium introductionem Epiſcopis competere, in dubium nemo vocat.

183. Dubium quintò & non magis expeditæ Reſolutionis controverſia eſt, an impedimenta matrimonium dirimentia introducendi vim aliquam habeat Conſuetudo. Huic certè eam negat Gloſſa *fin. in c.* 1. *de Cognat. Spirit.* Joan. Andr. & Anchoranus *in c. Quod ſuper* 5. *de Conſang. in fine*, Gaëta *cit.* §. 4. *n.* 269. & alii, eâ perſuaſi ratione; quòd conſuetudo, ſi ejusmodi impedimenta nova introducendi, ea etiam ab Eccleſia conſtituta abrogandi vim obtineret; cùm ei, ſicut Jus novum introducendi, *can. Conſuetudo* 5. *diſt.* 1. & *l. De quibus* 32. *ff. de LL.* ſic etiam ab humana, tam Eccleſiaſtica quàm Seculari, poteſtate conſtitutum abrogandi, eíve derogandi vis adſtruatur, *c. fin. de Conſuet. & l. De quibus cit.* Suarez *de LL. Lib.* 7. *cap.* 18. *n.* 2. & Salas *de LL. diſp.* 19. *ſ.* 10. *n.* 78. ab Eccleſia autem conſtitutorum impedimentorum dirimentium aliquod abrogandi vis ipſi non obſcurè adempta videatur *c. Quod ſuper cit.* ubi intra gradus Jure prohibitos conjugium permittens Conſuetudo, tanquam corruptela, diſertè reprobatur. Accedit; quòd, licet *c. Super eo* 3. *de Cognat. Spirit.* Conſuetudini ejusmodi vis adſtruatur, hæc tamen ei non competat, niſi ex Matrimoniis contra eam contractis, ſive ex conjunctione perſonarum, quas ea ad matrimonium inhabiles reddit, ſcandalum pullulet, juxta *c.* 1. *cit.* ibi, *Niſi conſuetudo Eccleſiæ, quæ ſcandalum generat, aliter ſe habere noſcatur:* ex quibus verbis *c. Super eo cit.* interpretationem petendam, in illius textum cum Gloſſa *V. Conſuetudo*, notant Panormit. *n.* 4. Ant. de Butrio *in fine*, & Alexand. de Nevo *à n.* 18. 184.

Majorem quidem vim in propoſita materia Conſuetudini adſtruunt alii: qui tamen cum *cit.* Pontio *Lib.* 6. *cap.* & *n.* 6. & Fagnano *in c.* 1. *cit. n.* 18. ad eam, ut conjugiorum valori obſtans impedimentum inducat, inſuper exigunt conſenſum ſummi Pontificis, ſive expreſſam iſtius approbationem, cùm; quòd eadem poteſtas exigatur ad legis abrogationem, quæ neceſſaria eſt ad ejus conſtitutionem, *arg. c. Cùm jam dudum* 18. *de Præb. & dignit.* tum verò; quòd *c. Super eo cit. & c. Quòd dilectio* 3. *de Conſang. & Affinit.* allegatæ Conſuetudines ab Alexandro & Cæleſtino utroque ejus nominis Papa III. expreſsè ſint approbatæ: eáque approbatione tranſierint in naturam Conſtitutionis, ſecundùm Hoſtienſ. *in c.* 1. *de Sponſa duor. n.* 1. & Turrecrem. *in can. Placuit* 13. *diſt.* 32. *art.* 2. 185.

Sed malè; cùm ſpecialis hujusmodi conſenſus non intervenerit in conſuetudinibus *c. cit.* quia matrimonia ſecundùm ipſas, ante memoratorum ſummorum Eccleſiæ Antiſtitum approbationes contracta, ab his pro validis habentur: tum verò; quia *c. fin. l. De quibus citt. & l. fin. C. Quæ ſit longa conſuet.* generaliter approbata eſt omnis conſuetudo, quæ congrua eſt rationi & legitimè præſcripta. Unde Legislatoris conſenſum, qui per conditos ab eo canones & leges Conſuetudinarias habetur, ad conſuetudinem ſufficere, Panormit. *in c. fin. cit. n.* 13. Rochi de Curte *Tract. de Conſuct. ſ.* 4. *n.* 14. *cit.* Suarez *cap.* 13. *à n.* 6. &

6. & aliorum primi nominis & notæ Interpp. ac DD. communis est sensus.

186. Quare Consuetudini, etiam à Papa specialiter non approbatæ, dummodo ea juxta *c. fin. cit.* rationabilis & legitimè præscripta sit, nova ejusmodi impedimenta introducendi vim cum Navarro *Manual. cap. 22. n. 83.* generaliter & meritò tribuunt *citt.* Suarez *cap. 19 n. 26* Sanchez *disp. 4. n. 11.* Palao *Tract. 6 disp. 3. p. 4. § 2. n. 11.* Perez *disp. 21. sect. 6. n. 5.* & Gonzalez *in c. 1. hâc Rubrica n. 22.* partim propter textum *c. 1. cit.* junctâ Glosâ *V. Lege & c. Super eo cit.* ubi, an personæ aliquæ conjungi valeant, aut secus, Metropolitanæ & vicinarum Ecclesiarum consuetudo, quæ viget: non etiam, an ista à Sede Apostolica approbata, vel ejus violatio cum scandalo conjuncta sit, inquiri jubetur; partim verò; quòd consuetudine, quæ rationi congrua & legitimè præscripta est, antiquum Jus abrogari & novum introduci posse, generalis Regulæ instar desumatur ex *c. fin. cit.* eáque novum Festum, Jejunium, inhabilitatem ad beneficium introduci posse, passim receptum sit apud DD. Cur non etiam nova impedimenta, obstantia valori conjugiorum? cùm huic non adversetur; quòd ea constituendi potestas Sedi Apostolicæ reservata, vel soli immediatè concessa sit à Christo; quia reservatio & concessio ista solummodo excludit potestatem legislativam Secularem & Ecclesiasticam, Papali inferiorem. Non etiam Consuetudinem rationabilem & legitimè præscriptam: cui ea vis *c. cit.* satis stabilitur.

187. Non majorem vim habet contra eam allata ratio; quia eidem consuetudini, sicut Festum aut Jejunium, sic etiam impedimentum Matrimoniale tollendi vim cum Innocentio *in c. 1. cit. in fine*, haud ægrè Sanchez *cit. disp. n. 14.* & alii concedunt, permoti partim *arg. c. 1. c. Super eo & c. fin. citt.* in iisque fundatâ Regulâ generali: partim verò; quòd ejusmodi impedimenta tolli valeant: imò aliqua sublata aut restricta sint lege Ecclesiasticâ, *c. Non debet 8. de Consang. & Affinit.* & à Trident. *Sess. 24. cap. 3. & 4. de Ref. Matr.* quam, quæ rationabilem reddunt, novæ causæ & circumstantiæ, rationabilem etiam reddere valent consuetudinem, per tradita à Sylvestro *V. Consuetudo, q. 1. n. 2.* & Rocho de Curte *l. cit. s. 2. n. 15.*

Neque admodum urget *c. Quòd super cit.* textus; quia intelligendus est de Consuetudine, non congrua rectæ rationi, vel non legitimè præscripta, ut probè advertit Palao *cit. §. 2. n. 5.* cùm, quæ ita præscripta & rationabilis est, habeat vim legis, *c. fin. cit.* & pro ista suscipiatur, *can. Consuetudo cit.* Gonzalez *in c. Quod super cit. n. 2.* 188.

ARTICULUS IX.

De valore Conjugiorum, cum Juris Ecclesiastici impedimento initorum ab Hæreticis.

SUMMARIUM.

189. *Invalidè hi contrahunt cum Naturalis & Divini,*
190. *Voti solennis,*
191. *Et secundùm multos cum quovis Ecclesiastici Juris impedimento:*
192. *Quorum inita pro validis alii habent,*
193. *Vi Consuetudinis,*
194. *Legitimô tempore præscripta,*
195. *Et non deficientis in consensu legislatoris,*
196. *Vel rationabilitate,*

197. *Ai-*

197. *Atque Orthodoxorum moribus recepta:*
198. *Hæreticos tamen Ecclesiæ Obedientiæ non subtrahentia,*
199. *Et non adversantis Juri Naturali vel Divino.*
200. *De illis sensum Authoris.*

189. EX proximè propositæ dubitationis Resolutione lucem non modicam accipit, sub seculi decimi sexti finem & superioribus annis lapsi decimi septimi initium moveri cæptum dubium ingens, maximíque momenti & usûs in provinciis Septentrionalibus frequentis controversia de valore conjugiorum cum dirimente, sed Juris merè humani, impedimento contractorum ab & inter Hæreticos. *Cum Humani*, inquam sive Ecclesiastici; quia cum Naturalis & Divini Juris impedimento ab ipsis inita, perinde, ut quæ ita contrahuntur ab Orthodoxis, irrita nullâque esse, nemo, est, qui in dubium & quæstionem vocet.

190. Ea etiam, quæ à Religione & Ordine sacro Apostatæ ad hæreticos transeuntes cum seductis & secum abductis Catholicis vel cum Acatholicis fœminis sacrilegè ineunt, viribus ac valore destitui, DD. Orthodoxorum olim hodiéque constans & certa doctrina est; quòd, ut alia omittam, eis non suffragetur ulla Consuetudo; cùm ejusmodi Apostatarum ad Ecclesiæ gremium reversorum conjugia semper, itáque dissolvantur; ut non solùm ipsi statim abstrahantur à consortio uxorum: sed his quoque ad Catholica sacra redeuntibus vel transeuntibus nova conjugia cum aliis viris permittantur, luculentô indiciô nullitatis matrimoniorum, antè cum Apostatis initorum; cùm, si ista fuissent valida, mulieribus ad alia & meliora vota transitus permitti, viris, quibus ante copulatæ fuerunt, viventibus, non potuisset, *arg. c. Accepisti 2. c. fin. de Sponsa duor. c. Quantò 7. c. Gaudemus 8. de Divortiis &c.*

Quare dubitatio & quæstio solummodo est de valore conjugiorum, quæ inter hæreticos cum aliis, Juris merè Ecclesiastici & in eorum terris non receptis, impedimentis dirimentibus coalescunt. Quam quæstionem etiam, postquam Hæresis in Germaniæ compluribus & circumjectis provinciis Septentrionalibus plenè invaluit, resolvere, imò lucubratione aliqua attingere, nemo ausus est ante Leonardum Lessium. Hunc etiam secuti DD. inter se non parùm discordes, de ea satis ambiguè, miráque varietate sentiunt & loquuntur.

191. Et ejusmodi quidem Conjugia valore omnino destitui, cum eodem Lessio *in Auctario Lib. 2. de Præscript. casu 1.* sentit Busenbaum *Medullæ Lib. 6. Tract. 6. cap. 3. dub. 1. in fine* & latè defendit Gobat *Experient. Tract. 9. n. 49.* & Appendic. *15. à n. 88.* pro sua hac Opinione allegans judicium Facultatis Theologicæ Celeberrimæ Universitatis Viennensis, ad quæstionem ab Archiducali Regimine Austriæ 18. Maij 1655. de iis sibi propositam, ea esse invalida, respondentis.

Ratio, quâ eorum valor impugnatur, præcipua est; quia Hæretici, hôc ipsô, quòd per Baptismi lavacrum Ecclesiam ingressi sint, istius jurisdictioni subiiciuntur, ejúsque legibus adstringuntur: suáque in erroribus pertinaciâ & recessu ab obedientia ab earum obligatione non eximuntur, ex doctrina Bellarmini *de Justificat. Lib. 4. cap. 1.* & Suarez *Lib 4. de LL. cap. 19. n. 2.* & cùm non appareat ratio, cur Connubialibus minùs, quàm aliis ejus legibus adstringantur, contra eos ab ipsis inita

conjugia valore destituentur. Quæ ratio

Confirmatur; quòd Hæreticos à legibus Ecclesiæ Connubialibus non eximat ipsis contraria Provinciarum Consuetudo; quia ad hanc, ut Ecclesiæ Legibus prævaleat eisve deroget, necessarius est Principis, sive supremi ejusmodi legum Conditoris consensus, Panormit. *in c. fin. de Consuet. n. 13.* Sylvester *V. Consuetudo q. 3.* & *cit.* Suarez *Lib. 7. cap. 13. n. 1.* qui in Consuetudinem ab Heterdoxis introductam, & Sanctionibus Ecclesiasticis contrariam consentire præsumi nullâ ratione potest; cùm enim illi sint subditi Ecclesiæ rebelles, ullum istius favorem & in Consuetudinem, suis illarum legum transgressionibus introducendam, consensum non merentur. Cui confirmationi non parùm roboris addit declaratio S. Congreg. Cardd. Tridentini Interpp. Episcopo Tricariensi, Sedis Apostolicæ ad Belgas Legato 19. Januarii 1605. inter alia disertè rescribentis, *Hæreticos quoque*, ubi Decretum *Sess. 24. cap. 1. de Ref. Matrim.* est publicatum, *Teneri talem formam observare: & propterea etiam ipsorum Matrimonia absque forma Concilii, quamvis coram Ministro Hæretico vel Magistratu loci, contracta, nulla atque irrita esse.* Cùm ergo non sit ulla ratio, cur irrita potiùs sint conjugia, quæ ab Hæreticis contra *cit. cap. 1.* Decretum, quàm quæ contra alias Sanctiones Ecclesiasticas, clausulâ irritante munitas, contrahuntur: sicut, quæ aliter, quàm coram proprio Parocho, sic etiã quæ cum alio Juris Ecclesiastici impedimento contrahuntur, irrita erunt, *arg. c. Translato 3. de Constitut. & l. Si libertam 28. C. de Nuptiis.* Ita isti. Contra quos,

192. Proposita Heterodoxorum conjugia valida esse, defendunt Petr. Marchantius *Tom. 3. Tribunal. Sacrament. Tract. 1. tit. 6. concl. 4.* Bonagratia *Summa QQ. Regular. discept. de Matrim. Hæret. §. 8.* qui tamen propter Cardinal. declarat. in contrarium in sua Opinione firmus non est & Henricus Mair *de Matrim. Sacram. n. 67.* pro se allegans Simonem Felicem Moralis scientiæ eximium Doctorem. Pro eorundem valore, teste *cit.* Gobat *n. 32.* non obscurè stant Tannerus *Tom. 4. disp. 8. q. 3. n. 122.* Laiman. *Lib. 5. Tract. 10. p. 2. cap. 4. n. 7.* & Dicastillo *de Matrim. disp. 3. dub. 10.* dum valida esse docent conjugia ab Hæreticis, absente loci parocho Catholico contracta.

Fundamentum DD. istorum præci- 193.
puum & fere unicum est; quòd sanctionibus Ecclesiæ Connubialibus, quoad vim irritandi matrimonium, moribus sive contrariô non-usu & Consuetudine non hæreticorum duntaxat, sed Orthodoxorum quoque sit derogatum, & Consuetudinarium jus inducentium conditionum jam nulla desideretur: & imprimis cum actuum frequentia diuturnitatem temporis concurrere, exploratum omnino sit; cùm in Germania nostra & cæteris provinciis Septentrionalibus non decem tantùm & longissimô quadraginta annorum spatiô, imò seculô integrô & longiori tempore matrimonia cum Ecclesiastici 194.
Juris impedimentis absque nullitatis existimatione suspicionéque liberè ineantur ab hæreticis: & inita ex iisque susceptæ proles legitimæ ab ipsis quoque Catholicis habeantur: & quamvis Nobiles & Equestres præsertim familiæ, ne à sequiori & cum illegitimè natis inito connubio labem accipiant, sollicitè caveant, nullô tamen ejus metu conjugia ineant cum iis, quorum parentes & majores alii contra sacrorum Canonum præscriptum fuêre copulati: similíque modô, licet injustis

justis nuptiis procreati ab officiis honorificis & publicis muneribus, à beneficiis Ecclesiasticis, & Metropolitanarum Cathedralium & quarundam etiam Collegiatarum Ecclesiarum dignitatibus & Canonicatibus magnô rigore arceantur, ad hæc tamen & illa facilè admittantur, quorum parentes, insuper habitis Ecclesiastici juris impedimentis, conjugia inierunt. Neque in eo, quod DD. isti propugnant Jure consuetudinario Principis sive legislatoris consensus aut rationabili-
195. tas desideratur. Ille quidem; quia ad consuetudinem necessarius non est Principis consensus Personalis, sed sufficit Legalis sive Juridicus, qui per leges & canones consuetudinarios habetur, ut cum Panormit. *cit. n. 13.* Rocho de Curte *in c. fin. cit. f. 4. n. 14.* docent *citt.* Suarez *cap. 13. à n. 6.* & Sanchez *Lib. 7. disp. 4. n. 11. & 15.* & dictum est *Lib. 1. Tit. 4. n. 27.* quibus contrarius & sanctionibus Ecclesiæ connubialibus quoad irritationem deroganti consuetudini vim adimens Papæ consensus ullô jure non est
196. expressus. Ista verò sive rationabilitas; quia, sicut solennitatem aliquam ad rei Ecclesiæ immobilis alienationem Jure præscriptam, vg. Capituli subscriptionem, longissimo tempore non observatam, tandem tolli, eáque non interveniente, celebratam alienationem subsistere, juxta dicta *Lib. 3. Tit. 10. n. 13.* sic eodem tempore in aliquibus provinciis Septentrionalibus continuatô non usu merè Ecclesiasticorum canonum nuptias irritantium vim, ex iisque provenientem conjugiorum nullitatem cessare, non alienum à ratione & publicè expediens videtur non solùm; quòd eorum, ex quibus ista provenit, canonum observantia sperari jam non possit: sed vel maximè; quòd eorum quoad irritandi vim cessatio conferat ad conservationem pacis & tranquillitatis publicæ inter Acatholicos & Orthodoxos, & illorum ad Ecclesiæ gremium faciliorem reductionem: quarum illa sæpe adduceretur in discrimen, & ista multò difficilior foret, si ea, de quibus sermo est, hæreticorum conjugia pro incestis & inutilibus, ex iisque procreatæ proles pro spuriis & illegitimis, officiorum & munerum publicorum in seculari, dignitatum aliorúmque beneficiorum & sacræ Ordinationis incapacibus in Ecclesiastica Republica haberentur.

Atque huic suæ rationi non leve ro- 197.
bur addunt allegatione Praxis observatæ in Palatinatûs aliarúmque Germaniæ nostræ provinciarum ad ovile Christi reductione: in qua desudantes clericos Seculares & Regulares de dissolvendis aut impetrata dispensatione renovandis ejusmodi conjugiis laborâsse, aut multùm sollicitos fuisse, non constat: quantumvis non pauca à reductis, dum Lutheri aut Calvini dogmata sectarentur, cum diversis Ecclesiastici Juris impedimentis contracta fuisse, extra omne dubium sit.

Neque rationem hanc convellit aut 198.
infirmat Primò; quòd secundùm eam Hæretici ab Ecclesiæ obedientia exempti planè essent in omnibus, in quibus ejus legibus & Constitutionibus stabiliter contraveniunt; quia illatio hæc in multis, & imprimis quidem in eo peccat; quòd ex mente DD. eam deducentium, legibus Ecclesiæ Connubialibus derogatum, supponat etiam quoad obligationem, quam DD. illi relinquunt intactam. Deinde; quia ab una vel pluribus particularibus Ecclesiæ legibus ad omnes illata assertio generalis communibus Juris & ipsius etiam Dialectices Regulis adversatur, eíque minimè locus est in materia Legali; quòd, per viam Consuetudinis sicut unam vel plures, certum aliquem actum spectantes, Canonicas & Legales sanctio-

nes abrogari eísve derogari, ex *c. fin. & l. De quibus citt.* exploratum eſt, ſic omnes ejusmodi ſanctiones tolli poſſe, uno ore omnes inficientur; cùm ullius Conſuetudinis ac præſcriptionis vi ſubditos ab Obedientia eximi, nec Jus *c. Cùm non liceat 12. de Præſcript.* nec ratio permittat; ne evacuatis legibus omnis diſciplina evaneſcat & Eccleſiaſtica terrenáque Reſpublica in nihilum redigatur, *c. Cùm inter 5. de Conſuet.* Demum; quia illatione illa impetita conſuetudo particularis quoad conjugiorum valorem & ex iis ſuſceptarum prolium legitimos natales firmata eſt moribus usúque ipſorum Orthodoxorum, illa pro juſtis & iſta pro legitimis habentium in provinciis, in quibus hæretici Catholicis permixti degunt.

199. Neque ſecundò; quòd Conſtitutionibus Eccleſiaſticis ſcienter controvenientium conſuetudo irrationabilis ſit; cùm ea Naturali & Divino juri adverſetur. Non, inquam, etiam hoc deductam rationem infirmat; quia, eſto legitimi ſuperioris ordinationi cum pertinacia reſiſtere Juri illi utrique: neutri tamen immediatè repugnat nuptiarum cum impedimento, Jure ſolùm Eccleſiaſtico dirimente, initarum valor, & ipſe etiam contractus hôc ipsô; quòd impedimentum Jure humano proditum ſit: &, ſi hujusmodi valor & contractus Juri illi ita repugnaret, omnis actus contra legem humanam irritantem geſtus ejúsque valor Naturali & Divino Juri adverſaretur: humanæque legi contraria Conſuetudo quæcunque tanquam juribus illis contraria penitus excluderetur, contra *c. fin. & l. De quibus citt.* textus & communem ſenſum DD.

Neque tertiò eam convellit; quòd contrarii mores utentium debeant eſſe rationabiles: tales autem hæreticorum mores non ſint, cùm; quia ad Conſuetudinem contra legem eáque inductam nullitatem non exigitur; ut actus, quorum ſtequentatione introducitur, bonâ fide & ſine peccato ſint continuati, per tradita *Lib. 1. Tit. 4. à n. 35.* tum verò; quia propoſitam conſuetudinem ipſa ejus ad faciliorem hæreticorum converſionem pacísque & tranquillitatis publicæ conſervationem conducentia ſatis rationabilem reddit. Alia, quæ deductæ rationi apponuntur: facilè diluuntur ex Juris non-ſcripti principiis *cit. Tit. 4.* traditis, in quæ pleraque impingunt.

Ne autem ita roboratæ poſteriori Opinioni pro priore allata obſtent, ea DD. illius aſſertores variè enervant: & imprimis hæreticos ſuo quidem in errorem lapſu pertinaciáque & in Chriſti Vicarium inobedientia pœnas potiùs quàm favorem aliquem promeritos, etiam ipſi pronuntiant: miſeratione tamen non-indignos cenſent; quòd ipſi magnam partê hodie, ſe errare & Eccleſiæ jurisdictioni ac legibus ſubjectos, inculpabiliter ignorent.

Deinde hæreticos, ſicut à cæterarum, ſic etiam à Connubialium Eccleſiæ legum obligatione non eximunt: ut, ſicut antiquo Jure contrahentes matrimonia clandeſtina, licet iſta ſubſiſterent, ſecundùm Trident. *Seſſ. 24. cap. 1. pr. de Ref. Matrim.* ſic etiam hæretici contra ſacrorum canonum præſcriptum copulati, ſeclusâ obligationis ignorantia peccent: licet ipſorum conjugia vi Conſuetudinis ſubſiſtant. Valorem autem iſtorum & ex iis ſuſceptarum prolium legitimitatem non hæreticis magis quàm rei Orthodoxæ favorabilem, ajunt hoc ipſo; quòd eô ſtabiliatur publica tranquillitas, & illorum ad Catholica ſacra reductio expeditior reddatur.

Præterea ad ejusmodi conſuetudinem ne-

nem necessarium Principis sive legislatoris Ecclesiastici consensum saltem tacitum non desiderari, asserunt; quòd is per sacros canones, rationabilem & legitimè præscriptam consuetudinem, etiam quæ Juri Positivo derogat, generaliter approbantes, satis habeatur: & non extet Constitutio Apostolica, quæ sanctionibus Ecclesiæ connubialibus deroganti Consuetudini specialiter resistat.

Demum relatâ Cardinalium declaratione, etiamsi ea in forma authentica exhiberetur, plus non evinci volunt, quàm *cap. 1. cit.* decretô in provinciis, in quibus publicatum est, affici hæreticos: non etiam Consuetudini ademptam efficaciam ipsi aut aliis sanctionibus Canonicis in aliquibus provinciis derogandi, sicut eis derogatum est in Gallicanis.

200. Ex duabus his Opinionibus, licet probabilis ac tuta utraque, & posterior, ratione Jurisque principiis generalibus spectatis, potior videatur, Controversiæ tamen decisionem Apostolicam, quâ ea propter rei gravitatem & casuum frequentiam dignissima est, humiliter expectare, quàm de ea certi aliquid statuere consultum reor.

ARTICULUS X.

De Matrimonio inito Errore, Dolóve obtento.

SUMMARIUM.

201. *Errore inita conjugia irrita sunt;*
202. *Propter defectum consensûs:*
203. *Qui in inito sub conditione impossibili,*
204. *Et præsumpto matrimonio non desideratur,*
205. *Et omnino necessarius est.*
206. *Non omnis error dirimit matrimonium:*
207. *Sed versans circa individuum personæ:*
208. *Propter quem initiô nullum fuit conjugium Patriarchæ Jacob cum Liæ:*
209. *Etsi uterque à culpa valeat excusari.*
210. *Talis error conjugium dirimit Jure Naturali:*
211. *Etsi non obstet valori Benedictionis,*
212. *Aliorum Sacramentorum,*
213. *Et Contractuum.*
214. *Error Qualitatis in personam redundantis,*
215. *Non alterius, conjugium dirimit.*
216. *Disparitas inter conjugium initum Errore & Metu:*
217. *Inter illud & Sponsalia,*
218. *Caterósque contractus.*
219. *Consensus alligatus qualitati, hanc exigit.*

ERrore Matrimonium dirimi, sicut 201.
certa omnium sententia, ita communi DD. ferè omnium calculô approbata ratio est; quòd Matrimonium solo consensu contrahi pronuntiatum, Alexandri III. *c. Cùm locum 14. de Sponsal. & Matrim.* & Juris Regula sit, *Nuptias non concubitus, sed consensus facit, l. Nuptias 30. ff. de R. J.* Errantis autem, ac proinde conjugium Error 202.
contrahentis, nullus sit consensus nec voluntas, *l. Cùm testamentum 8. & l. Non idcirco 9. C. de J. & F. Ignorant.*

Hujus tamen, quantumvis gravissi- 203.
mæ, rationis vis non parùm infringi videtur decisione *c. fin. de Condit. apposit.* cujus *V. Licet*, Gregorius IX. apertè stat pro valore conjugii, initi sub conditione impossibili:

possibili: sub qua contrahens non consentit; quia non aliter consentit, quàm si evenerit conditio: quæ per rerum naturam evenire non potest; cùm id, quod impossibile est, necessariò nunquam sit eventurum, secundùm Aristotelem *Lib. 2. de Interpret. cap. 3.*

204. Cum eadem ratione & necessitate consensûs non obscurè pugnat altera non minùs celebris decisio ejusdem Papæ *c. Is qui fidem 30.* & ante ipsum Alexandri III. *c. Veniens 15.* pronuntiantium pro conjugio ejus, qui sponsam de futuro carnaliter cognovit: quantumvis se in conjugium non consensisse, imò se dissensisse probare velit, ut cum Panormit. in *c. Is qui cit. n. 5.* observant Alciatus *de Præsumpt. pr. 2. n. 8.* Covarruvias *de Sponsal. p. 1. cap. 4. §. 1. n. 3.* & Menoch. *de Arbitr. Jud. casu 103. n. 8.*

At revera decisiones istæ rationis illius vim non infringunt, sed relinquunt intactam; quia *V. Licet cit.* sub impossibili conditione initum conjugium, non cùm eam seriò adjectam constat: sed eô solùm casu pro valido habetur, quô, an ea seriò jocóve aut alia intentione adjecta sit, dubium est: & propterea matrimonialis contractûs favore consensus ei non alligatus, sed absolutus ac legitimus interveniſſe præsumitur, *arg. c. Licet 47. de Test. & Attest. & c. fin. de Sent. & rejudic.* ut ad *Tit. 5. à n. 18.* plenius tradetur.

Minùs urgent decisiones *c. Is, qui fidem & c. Veniens citt.* quia etiam ipsæ nituntur præsumptione legitimi consensûs in matrimonium, antecedentis commercium carnale ferè: sicut consensus in conjugium spirituale præsumitur ex gestatione habitûs & aliis actibus propriis Professorum, *c. Vidua 4. & c. Ex parte 22. de Regular.* Barbosa *in c. Is, qui fidem cit. n. 3.*

205. Firma igitur manet ratio illa, eáque stabilita Matrimonii errore initi nullitas ex defectu consensûs: quem per textus initiò *citt.* error tollit: & necessariò exigit valor matrimonii, per *can. sufficiat 27. q. 2.* ubi Nicolaus Papa: *sufficiat*, inquit, *consensus eorum, de quorum conjunctionibus agitur: qui solus, si deficiat, cætera frustrantur, c. Cùm locum cit. c. Tuæ 25. de Sponsal. & Matrim.* & alios passim obvios textus: quibus consonant Concilia Oecumenica Florentinum in *Decreto Fidei, de Sacramentis §. Septimum:* ibi, *Causa efficiens Matrimonium est consensus utriusque contrahentis*, & Tridentinum *Sess. 24. cap. 1. de Ref. Matrim.* Id ipsum persuadet ratio; quia Matrimonium initur mutuâ traditione corporum ad actus conjugales: quæ traditio contrahentium consensum ita exigit; ut ejus defectus nullâ, tam Ecclesiasticâ quàm seculari, potestate suppleri possit, ut cum Sylvestro *V. Matrimonium 2. q. 15.* Covarruvia *cit. p. 1. cap. 4. initio n. 4.* & aliis notat Sanchez *Lib. 2. de Matrim. disp. 27. n. 2.*

206. Quoniam verò consensum non omnis error tollit, non, quæcunque eô inita sunt, conjugia valore destituuntur. Quæ autem talia, aut errore non obstante valida sint, statuendum est beneficiô distinctionis inter errores, qui sicut in cæteris, sic etiam in Connubiali contractu intervenire possunt & non rarò solent.

207. Primò enim intervenire in isto potest error circa substantiam, ut loquuntur, sive ipsum individuum personæ, quacum matrimonium initur: sicut accidit, si Titius contrahere volens cum Bertha, id ineat cum Caja, per errorem existimans esse Bertham. Cujusmodi errore consensum excludi, patet ex initiò *cit. & l. Si per errorem 15. ff. de Jurisdict.* & matrimonium dirimi disertè habetur *can. Unico, 29. q. 1.* ibi, *Error personæ conjugij consen-*

consensum non admittit; sicut enim, sine consensu in conjugium, hoc non datur, ita sine consensu in certam & determinatam personam, quacum ineundum est, nullum cum ea conjugium est: qui autem errat circa personam, non consentit in eam, quacum errore contrahit; cùm ejus consensus totus feratur in personam absentem, quam per errorem existimat esse præsentem: non in eam, quæ revera est præsens; ut proinde cum ista conjugium propter defectum consensûs non
208. detur. Unde, ut *can. cit.* non malè declaratur, inter Jacob Patriarcham & Liam Labani filiam, pro Rachele illi suppositam, verum conjugium nunquam intercessisset: nisi cognito errore consensus in individuam vitæ societatem cum illa fuisset subsecutus, S. Thomas *in 4. dist. 30. q. & art. 1. ad 4.* & Brunellus *de Sponsal. conclus. 32. n. 1.*

209. Neque tamen propterea fornicarius Patriarcha fuit: quia ipsum excusavit ignorantia & affectus conjugalis. Liam etiam, licet adulterii & incestûs ream censeat Cornelius á Lapide *in Genes. cap. 29. v. 24.* ab utroque crimine illo cum laudato Doctore Angelico absolvunt Ystella *in Genes. cap. cit. n. 17.* & Perez *cit. disp. 24. s. 1. n. 12.* quòd lege primogenitarum & paternis imperiis, se illi legitimè copulatam, existimârit; quia natu majorem primò nuptui tradi illius temporis, à Labano prætensâ consuetudine, receptum fuit, ut notat Glossa *in can. cit. V. Primogenitarum.*

210. Hoc quidem Jacob cum Lia commercium verè conjugale fuisse, & errore circa ipsum personæ individuum interveniente conjugia validè iniri, evincere videtur paritas, imprimis cum Benedictione: quam eidem Patriarchæ, maternis consiliis ad repræsentandam Esau primogeniti personam inducto, ab Isaaco, licet error circa personam interveniisset, validè impensam, indicant istius sacro textu relata, verba, *Benedixíque ei, & erit benedictus* Genes. *cap. 27. v. 34.* Deinde cum cæteris Sacramentis omnibus, quorum valori personæ error non obest; cùm Baptismus, Absolutio Sacramentalis &c. validè conferantur, quantumvis Sacramenti minister circa baptizati, absoluti &c. personam erret: & Cajus sit, quem esse Titium existimat. Et demum cum Emptione, Venditione cæterísq; Contractibus, qui regulariter validè celebrantur, licet vg. venditor Cajum emptorem errore deceptus pro Titio habuerit.

Sed firma manet nostra de isto Patriarchæ & aliorum quorumcunque, etiam infidelium, erroneis conjugiis sententia; cùm enim circa personæ individuum intercedens error excludat consensum, ad conjugium ritè ineundum requisitum Jure Naturali, hoc ipso Jure illud Patriarchæ, & quæcunque, etiam infidelium, tali errore celebrata conjugia irrita sunt.

Neque aliud evincunt: imò nec sub- 211.
sistunt pro istorum valore allatæ paritates.

Prima; quia Benedictio illa, vel ab Isaaco directa fuit in personam filii præsentis, seu primogeniti: qui jam non Esau venator, sed Jacob censebatur, ut cum Tostato in Genes. *cap. 27. q. 7.* Cornelius *ibid. v. 33.* vel, ut alii cum SS. Augustino *de Civitate Dei cap. 37.* & Theodoreto *in Genes. q. 79.* volunt, cùm initiò ob Errorem personæ fuisset invalida, postea subjectis verbis, *Et erit benedictus*, à Patriarcha, ita cognitæ divinæ dispositioni se conformante, fuit confirmata.

Altera; quia in Baptismi, Pœnitentiæ aliorúmque Sacramentorum administratione non spectatur hæc vel illa, sed ferè solummodo præsens persona; cùm baptizantis, absolventis &c. & ipsorum 212.

etiam

etiam Sacramentorum non interſit, an hæc vel illa baptizetur, abſolvatur &c. & propterea in Baptismo, Abſolutione &c. conferentis intentio ſolùm in perſonam præſentem dirigi ſoleat: &, ſi non in præſentem, qualiscunque ea ſit, ſed certam & determinatam aliquam dirigeretur, ſi præſens iſta non eſſet, Baptismus & Abſolutio invalidè conferrentur: ſicut contrà validum foret matrimonium, ſi id contrahens cum perſona præſenti, qualiscunque ea ſit, contrahendi haberet intentionem, *citt.* Guttierez *cap. 89. n. 2.* Sanchez *disp. 18. à n. 12.* & Perez *n. 10.*

213. Poſtrema; quia vendens rem, vg. equum, hunc præcisè tradere: & iſtum emens præcisè pretium vendenti tradere intendit, quisquis ſit, cui ille rem, vel pro re pretium iſte tradit. Aliter res ſe habet in Matrimonio: in quo contrahentis intentio fertur in perſonam, non quamcunque, ſed certam & determinatam: quacum id inire ſpecialiter intendit. Ratio hujus tam luculentæ diſparitatis eſt; quia, an equus huic vel illi emptori, & viciſſim pretium huic aut alteri venditori obveniat, plerúmque parùm intereſt venditoris & emptoris; cùm ab utroque ferè ſola æqualitas inter datum & acceptum, equum & pretium ſoleat attendi. Contrà in Matrimonio, quod individuam vitæ ſocietatem inter contrahentes inducit, horum utriusque plurimùm intereſt, quocum ineatur. Unde in eo contrahentium intentio dirigi cenſetur in perſonam, non qualemcunque præſentem: ſed in eam, quæ cognita & ſpecialiter electa eſt; acproinde, ſi ea, quæ præſens eſt, per errorem judicatur eſſe alia, quæ electa & abſens eſt, matrimonium cum præſente initum, invalidum erit; quia actus agentium ultra eorum intentionem non operantur, *l. Non omnis 19. ff. de Reb. credit.* Ita cum S. Thoma *cit. diſt. 30. q. & art. 1.* Alexand. de Nevo *in c. Propoſuit 2. de Conjug. Servor. n. 9.* & aliis DD. *citt.* Guttierez *n. 2.* & Sanchez *Lib. 7. disp. 18. num. 12.*

214. Secundò, Error verſari poteſt circa qualitatem quidem, ſed in ipſum perſonæ individuum redundantem: ſicut contingit, cùm qualitas, circa quam ille verſatur, eſt omnino ſingularis, & certum individuum denotans, vg. quòd is, quocum matrimonium initur, ſit certi Regis vel Principis filius, aut filia primogenita: vel, cùm qualitas aliqua eſt unicus finis Matrimonii cum aliquâ contrahendi ita; ut hoc unicè eligatur, tanquam medium ad finem ſeu qualitatem illam obtinendam; quòd perſona, quâcum matrimonium initur, illâ prædita eſſe judicetur vg. ſi juvenis opibus præpollens, ſed non nobilis, ad familiam aliunde adſcito ſplendore ornandam, attollendámque, affinitatem cum illuſtribus familiis quærat, & unicè eò fine inducatur ad matrimonium cum puella, quæ ſe illuſtri ſanguine procreatam dolosè mentitur: cujusmodi mulieb ris impoſturæ illuſtre exemplum ex Caramuele refert Gobat *Experient. Tract. 9. n. 114.* Atque hujusmodi errore, quantumvis circa qualitatem ſit, matrimonium dirimitur; ac proinde quod Caia cum certi Regis aut Principis primogenito, vel Titius cum ſola puella illuſtri inire vult, irritum nullúmque eſt, ſi ab illa cum ſecundò vel tertiò genito, & ab iſto cum ignobili per errorem ſit contractum: ſicut de priori, cum D. Thoma *1. p. q. 29. art. 1.* & communi aliorum ſententia Sanchez *disp. cit. n. 26.* de poſteriori, cum eodem Caramuele *Fundament. Theolog. fund. 70. §. 2.* docet Gobat *cit. 114.* Ratio de utroque eſt; quia in iis deſideratur legitimus conſenſus; hic enim non ferebatur in perſonam, niſi ut prædictam qualitate primogenituræ, aut nobilitatis: ad quam

ad quam obtinendam matrimonium tanquam medium unicè fuit electum.

215. Tertiò, intervenire error potest circa qualitatem, in substantiam sive individuum personæ non redundantem, vg. si idem Titius matrimonium contrahat cum Caia, quacum id inire intendit, non parùm deceptus; quòd eam nobilitate, opibus, formâ, modestiâ, aliáve dote præstare falsò existimârit. Cujusmodi errore, licet ad ineundum matrimonium inductus sit, hoc tamen contractum, si ejusmodi dotis seu qualitatis existentiæ contrahentis intentio alligata non fuit, Jure subsistere, cum Glossa *in c. Cùm dilectus 6. V. Ad fatuitatem, de Iis, quæ vi metúsve &c.* & Panormit. *ibid. n. 13.* docent *citt.* Sylvester *V. Matrimonium 8. q. 1. cit.* Covatruv. *p. 2. cap. 3. §. 7. n. 3.* Gutierez *cap. 89. n. 3.* & Sanchez *disp. cit. n. 18.* Moventur partim decisione Urbani III. *c. Cùm in Apostolica 18. hâc Rubr.* pro valido habentis conjugium, cui dolosum mendacium & subreptio causam dedit: partim ratione; quia hujusmodi error non tollit consensum in personam, ad matrimonii valorem requisitum, & in traditione juris in corpus personæ consistentem, manentémque, licet ista existimatâ qualitate prædita non sit. Accedit; quòd, si talis error matrimonialem consensum tolleret, plurima matrimonia, magnô prolium maximóque Reipublicæ damnô & publicô scandalô, dissolverentur, ut rectè observant *citt.* Perez *s. 3. n. 8.* & ex eo Gobat *n. 17.*

216. Neque Resolutionem hanc convellit; quòd irrita sint conjugia inita gravi & injusto metu, *c. Cùm locum 14. c. Veniens 15. & c. consultationi 28.* qui tamen voluntario & libero consensui non magis obstat, quàm hactenus declaratus error & dolus; quia metus multò faciliùs probatur, quàm dolus; & propterea ad cavendas multas difficultates & lites judiciales Ecclesia non, sicut metu, sic etiam dolo, & ex hoc orto errore circa qualitatem, in substantiam vel individuum personæ non redundantem, inita matrimonia irritavit, Laiman *Lib. 5. Tract. 10. p. 4. cap. 6. n. 2.* Accedit; quòd metus minuat voluntarium circa substantiam personæ: non etiam dolus & error circa ejusmodi qualitatem, Perez *cit. disp. 24. s. 3. n. 16.*

Neque etiam; quòd sponsalia: imò 217.
etiam alii bonæ fidei contractus, quibus dolus, indéque ortus error causam dedit, vel irriti sint ipso Jure, vel saltem obnoxii rescissioni, *l. Eleganter 7. pr. ff. de Dolo & l. Si dolo 5. C. de Rescind. vendit.* Quia, utcunque ista se habeant, alia, quàm eorum, ratio est contractûs matrimonialis; cùm, præterquam, quòd sponsalia & cæteri contractus naturâ suâ solubiles, matrimonium autem insolubile sit, ex illorum irritatione, sive à 218.
Jure, sive per sententiam inducatur, tam gravia mala & scandala non sequantur, quàm errore circa qualitatem in personæ substantiam non redundantem, contracti matrimonii irritatio afferret, Palao *Tract. 28. disp. 4. p. 6. n. 4.*

Si tamen ejusmodi qualitatis ex- 219.
istentiæ intentio alligaretur, sicut contingeret, si à Titio matrimonium cum Caia contraheretur sub expressa conditione, *Si Virgo, Nobilis aut Opulenta sit,* matrimonium cum eâ, hujusmodi dote, vel qualitate carente, initum irritum foret; cùm in eo consensus clarè desideraretur, *citt.* Laiman. *num. 2.* & Perez *s. 3. num. 4.*

ARTICULUS XI.

De Matrimonio & Sponsalibus, Metu extortis.

SUMMARIUM.

220. *Matrimonium irritat Metus;*
221. *Non quidem levis:*
222. *Neque etiam gravis à Naturali,*
223. *Vel à libera causa justè incussus:*
224. *Sed exigitur injustus,*
225. *Aut justi modum excedens:*
226. *Præsertim, si ad extorquendum matrimonium*
227. *Etiam ab aliquo tertio,*
228. *Aut ad id cum una ex pluribus obtinendum sit incussus.*
229. *Injusto metu aliò fine illatò obtentum pro valido habentium,*
230. *Idque irritum esse, asserentium Opinio verior,*
231. *Jurisque decisionibus,*
232. *Et rationi magis consentanea est.*
233. *Etiam cùm metus solùm materialiter injustus,*
234. *Et sine mali inferendi animo est illatus.*
235. *In dubio favorabile non est matrimonium coactum.*
236. *Non valet matrimonium initum intuitu liberationis, à metum inferente,*
237. *Et ab alio etiam promissa:*
238. *Nisi illa ab isto debita Jure non fuerit.*
239. *Coacta conjugia in foro externo,*
240. *Et in interno quoque irrita sunt.*
241. *Eadem secundùm aliquos irrita sunt Naturali Jure:*
242. *Verius Ecclesiasticò duntaxat,*
243. *Eóque Decretalibus antiquiore,*
244. *Consensum ab injusta vi liberum exigente.*
245. *Infidelium conjugia metu extorta valent.*
246. *Secundùm aliquos etiam Fidelium, si sint jurata:*
247. *Quod alii meritò negant:*
248. *Licet olim sponsalia,*
249. *Et fortassis ipsum quoque matrimonium metu initum substiterit.*
250. *Conjugia metu inita sponte admissâ copulâ carnali,*
251. *Et ita diu continuata cohabitatione convaluerunt ante:*
252. *Non etiam post Concilium Tridentinum.*
253. *Metum inferentem eum passo ad nuptias obligari, asserentium,*
254. *Et negantium Opiniones:*
255. *Eáque de re sensus Authoris.*
256. *Sponsalia coacta hodie quidam irrita:*
257. *Verius alij, ea valida esse, defendunt;*
258. *Quòd neque Naturali,*
259. *Neque Positivo Jure reperiantur irritata.*
260. *Non semper locus est argumento à Matrimonio ad sponsalia:*
261. *Quæ ad nuptias obligant cessante metu,*
662. *Illas non irritante, nisi metus interveniat in contractu.*

COntractus Matrimonialis non solùm Voluntarius, sed ferè etiam Spontaneus, hoc est, non vi metúve extortus esse debet, *c. Cùm locum 14.* ubi relatum Alexandri III. ad Episcopum Papiensem rescriptum est, *Cùm locum non habeat consensus, ubi metus vel coactio intercedit, necesse est; ut* 220.

ubi assensus cujusquam requiritur, coactioni

actionis materia repellatur. Matrimonium autem solo consensu contrahitur: & ubi de ipso quaritur, plenâ debet securitate gaudere, cujus est animus indagandus; ne per timorem dicat, sibi placere, quod odit, & sequatur exitus, qui de invitis solet nuptiis provenire. Consonant decisiones *c. Veniens 15. c. Consultationi 28. hâc Rubr. & c. Significavit 2. de Eo, qui duxit in matr. &c.* Quòd sicut omnino certum, sic indubitatum est, matrimonia non dirimi Metu quocunque. Quô autem id fiat, planum erit, si inter Metum gravem levémque, à causa Naturali & libera, justè injustéque, ad Matrimonium extorquendum & aliô fine sive intentione incussum distinguamus.

221. Et primò quidem matrimonium non irritari metu solùm levi, à quocunque etiam ad conjugalem consensum extorquendum incusso, non obscurè desumitur ex *c. Veniens cit.* quô relatus idem Alexander Papa ad conjugii nullitatem exigit metum, qui cadat in constantem virum. Neque id immeritò; quia metûs levis, sicut exigua est vis; ut facilè superari queat: sic exigua consideratio & ratio in Jure habetur, *c. Cùm dilectus 6. de Iis, quæ vi metúsve causa, l. Metum 5. & 6. ff. Quod metûs causa & l. Vani 184. ff. de R. J.* etiam in matrimonio; quia aliàs plurima conjugia nulla & dissolvenda essent; cùm metu levi frequentissimè contrahantur, Glossa *in c. Veniens cit. V. In virum* Panormit. *in c. Consultationi cit. n. 4.* Sylvester *V. Matrimonium 8. q. 11. dicto 2.* Covarruvias *de Sponsal. p. 2. cap. 3. §. 4. pr.* & Sanchez *Lib. 4. disp. 17. n. 3.*

222. Secundò, sicut cæteros, sic etiam matrimonialem contractum, metu etiam gravi, à causa Naturali, vg. metu mortis ex humorum abundantia alicui imminentis, incussô non irritari, omnes facilè concedunt; quòd tali metu contrahens non patiatur injuriam: metus autem, sicut cæteros actus, sic etiam matrimonium non irritet, nisi cum injuria sit conjunctus, ut mox statuetur.

Tertiò, matrimonium etiam non irri- 223.
tari metu etiam gravi justè inclusô, sive ab eo, cui Jure competit, grave malum, nisi illud contrahatur, inferre, cum Hostiensi in *c. Veniens cit. ad finem* & *ibi* Joan. Andr. *n. 8.* Anchorano *n. 6.* Panormit. *n. 8.* Sanchez *cit. disp. 17. n. 3.* & Perez *de Matrim. disp. 17. s. 8. n. 2.* satis concors & certa sententia est aliorum præcipui nominis Interpp. ac DD. pro validis habentium conjugium. Primò à reo ærumnoso carcere justè detento liberationis sibi promissæ intuitu initum cum filia detinentis, sive matrimonium à detento sub liberationis conditione filiæ ultro oblatum, sive acceptatum sit. Secundò à reo, ob homicidium perpetratum ad mortem vel triremes condemnato, ad vitam & libertatem conservandam initum cum uxore, filia vel consanguinea occisi vel etiam cum meretrice. Tertiò ab eo, qui bellô justè sibi illatô ad angustias redactus vel in arce obsessus sub pacis obtinendæ vel solvendæ obsidionis conditione duxit filiam hostis, à quo bellô impetitus est vel obsessus. Quartò excommunicationis vel alterius gravis pœnæ à judice Ecclesiastico intentatæ metu initum cum puella, cui præviis sponsalibus de matrimonio contrahendo data fides, quæve nuptiarum spe & promissione decepta & corrupta ab ipso fuit. Quintò à juvene initum cum puella, quacum ipsi in flagitio deprehenso deceptæ parens, si eam non ducat, accusationem est minitatus, *arg. l. Continet 3. §. 1. ff. Quod metûs causâ gest.* quô relatum Ulpiani responsum est, passo vim metúmve, qui non contra bonos, sed jure licitô sive justè illatus est, Jura non subvenire. Ratio est partim, quòd talis me-

lis metus illatus censeatur non tam à judice vel parente, quàm à lege, aut ab ipsomet eum patiente, suâ culpâ faciente id, propter quod nuptias sub tali comminatione ab eo exigi, Jura permiserunt, juxta *l. Mulier* 21. ibi, *Quia hunc sibi metum ipsa infert, ff. Quod metûs causa gest.* par-
224. tim verò; quòd conjugia metu extorta irritentur non præcisè; quòd is perfectam & ad consensum spontaneum requisitam libertatem tollat: sed quòd hanc tollat injustè, sive modô Jure non permissô; cùm, ut rectè arguunt *citt.* Covarruv. §. *6. n. 5.* & Sanchez *disp. 13. n. 3.* metus, qui alios contractus rescissioni non obnoxios, Matrimonialem ipsô Jure irritum non reddat. Cùm ergo ob metum, incussum justè, actus & contractus cæteri non rescindantur, *arg. l. Continet & l. Mulier citt.* quia rescinduntur ratione injuriæ, casu, quô metus justè incutitur, cessantis: etiam conjugia, eô inita, irrita non erunt, ut cum Hostiensi *in c. Veniens cit. in fine* Joan. Andr. *ibid. n. 8.* Guttierez *de Juramento p. 1. cap. 57. n. 5.* iidem docent.

225. Neque obstat; quòd *c. Veniens cit.* suâ culpâ metum passo nullitatis matrimonii declaratione subveniatur; quia, ejus culpâ non obstante, metus fuit injustus; cùm juvenis à puellæ patre ad matrimonium cum ista ineundum coactus fuerit, non comminatione accusationis ipsi permissæ, sed mortis vel alterius mali, quod inferre privato non licebat, ut cum Reginaldo *Prax. Pœnit. Lib. 31. n. 79.* advertit Barbosa *in c. cit. n. 3.* & non obscurè innuit ipse textus, loquens de metu cadente in constantem virum: cujusmodi non est, qui secundùm Jus intentatur, *arg. l. Continet cit.* cùm eum passus sibi ipse inferre censeatur, faciendô rem eô dignam, *l. Mulier cit.* ut eruditè ostendunt *citt.* Covarr. § *4. n. 12.* & Sanchez *n. 3.*

Quartò matrimonium, gravi & à causa libera ad id extorquendum injustè 226.
incusso metu contractum, invalidum esse, ex *c. Cùm locum c. Veniens &c. citt.* planè liquet & convenit inter omnes. Quômodô extortum irritandi ratio urgentissima fuit; quòd matrimonium, cùm individuam & perpetuam vitæ societatem inducat, majorem quàm cæteri contractus merè Civiles exigat libertatem; cùm isti authoritate judicis rescindi: illius autem, saltem carnali commerciô consummati, vinculum nullâ humanâ potestate, sed solâ conjugum alterius morte dirimatur, juxta illud. *Quod Deus conjunxit, homo non separet,* Matth. *cap. 19. v. 6.* Unde invalidum est matrimonium Primò carceris, privationis officii, gravis damni in rebus aut alterius vexationis injustæ metu, ad nuptialem consensum extorquendum incusso à quocunque obtentum, *c. Cùm locum &c. citt.* Secundò à Virgine cum juvene, quem aversabatur, contractum ex mera reverentia in parentes, cum indignationis, exprobrationum, duræ tractationis & similium incommodorum verisimili existimatione conjuncta, juxta dicta *Lib. 1. tit. 40. n. 20.* Tertiò à muliere initum cum filio medici, qui ex officio & justitia debitam curationem illi, si nuptias respueret, se subtracturum est minitatus. Quartò à juvene contractum cum puella, quacum ipsi in flagranti deprehenso pater, si illam filiam suam non ducat, mortem vel mutilationem est minitatus, *c. Veniens cit.* Quintò à juvene horrore & ærumnis carceris extortum cum puella, ad quam nullâ matrimonii promissione vel spe stupratam, ducendam ipsum judex obligavit, & donec duceret, incarceravit; cùm enim ad stupratam ducendam vel dotandam alternativè solùm teneatur, ut *arg. c. Pervenit 2. de Adult. & stupro* ibi, *n. 15.* ostendetur, determi-

determinatè ad illam ducendam obligari & carceris ærumnis compelli, Jure non potuit, ut cum *citt.* Sanchez *disp. 13. n. 7.* rectè observat Pontius *de Matrim. Lib. 4. cap. 18. n. 13.*

227. Quintò hujusmodi injustus metus matrimonium irritat, sive is gravis mali intentatione ab eo, quocum istud est contractum, sive ab alio ad extorquendas nuptias fuerit incussus, ut desumitur ex *c. Veniens cit.* decisione, quâ irritum declaratur matrimonium, mortis aliàs inferendæ metu initum cum puella: licet mortem non ista, sed ejus parens fuerit minitatus. Ratio est partim; quia metu gesti contractus & actus alii ad illum passi instantiam rescinduntur: licet metus non eorum, quibuscum actus gesti sunt, sed alicujus tertiæ personæ injuriâ fuerit illatus, *l. Si cum exceptione 14. ff. Quod met. causâ gest.* metus autem, qui contractus & actus alios infirmos & obnoxios rescissioni, matrimonium ipsô Jure irritum reddit, ut cum Præposito *in c. Cùm locum cit. n. 6.* & aliis observant Navarrus *Consil. 36. hâc Rubr. n. 10.* & Covarruvias *p. 2. de Sponsal. cap. 3. §. 6. n. 4.* partim verò; quia metu, à tertio ita incusso, gravis injuria infertur contrahenti eum passo & libertas consensûs minuitur non minùs, quàm si incussus fuisset ab eo, quocum matrimonium est contractum, *citt.* Sanchez *disp. 13. n. 19.* & Pontius *cap. 14. n. 15.* Hæc satis certa.

228. Dubium autem est primò de valore matrimonii, à Titio initi cum Bertha, unâ ex tribus sororibus, ad quarum unam ducendam gravi & injusto metu fuit coactus. Id certè cum Præposito *in c. Cùm locum cit. n. 8.* Felino *in c. In præsentia 8. de Probat. n. 37.* & Jasone *in l. Titia 134. ff. de V. O. n. 6. in fine* pro valido habet Azor *p. 1. Instit. Lib. 1. cap. 11. q. 11. in fine*, ductus aut veriùs deceptus paritate cum electione, celebratâ de una ex tribus personis, ad quarum aliquam eligendam injustè coacti sunt electores: cujusmodi electionem cum Panormit. *in c. Cùm terra 14. de Elect. n. 4.* DD. *citt.* validam esse, ajunt, ab eâque, tanquam spirituali matrimonio inchoato, *c. fin. §. Si vero pr. Ut lite non contest.* argumentum transferunt ad matrimonium carnale; nam & hoc ita initum Jure subsistere, indeetiam desumunt; quòd ad contrahendum cum Bertha Titius non fuerit coactus, sed eam duabus ejus sororibus liberæ ac spontaneæ voluntatis determinatione prætulerit instar electorum, ad aliquam è tribus personis propositis eligendam injusto metu coactorum.

Verùm hac in re locus non est argumento, ad carnale matrimonium ducto ab electione, partim; quia electio, ejúsque de aliquo celebratæ acceptatio eô ipsô; quòd via duntaxat & inchoatio quædam sit spiritualis conjugii, inter Prælatum & Ecclesiam intercedentis, *§. Si verò cit. pr.* non rectè æquiparatur matrimonio carnali, sed solis sponsalibus de futuro, quæ gravi & injustô metu extorta in multorum & veritati magis consentanea sententia Jure subsistunt: quamvis, illô extortum carnale matrimonium irritum esse, certa omnium sententia sit, propter apertos textus *c. Cùm locum, c. Veniens &c. citt.* partim verò; quia à valore spiritualis ad carnale matrimonium arguere non licet, quando eô argumentô illati contrarium Jure est expressum: sicut de carnali matrimonio metu injustè incusso inito expressum est *cc. citt.* in quorum textus intenti *citt.* Covarruvias *cap. 3. §. 5. n. 8.* Sanchez *disp. 12. n. 20.* Pontius *Lib. 4. de Matrim. cap. 14. & n. 14.* Palao *Tract. 2. disp. 1. p. 9. n. 9.*

& *cit.* Perez *ſ.* 10. *n.* 6. in propoſito caſu matrimonium, à Titio initum cum Bertha, pro irrito & meritò habent; quod hoc contrahens gaudere debuerit plenâ libertate, *c. Cùm locum cit.* quâ tamen Titius gaviſus non eſt; cùm metu injuſtè incuſſo verè & ſimpliciter coactus ſit ad ducendam unam ex tribus: quas cùm averſatus omnes ſit, ex nuptiis ſecutis cum una timeri jure poſſunt infelices exitus, qui ex coactis nuptiis ſolent provenire.

229 Dubium ſecundò &, ſicut utiliſſima in praxi, ſic difficillimæ reſolutionis controverſia eſt de matrimonio inito metu, injuſtè quidem, ſed alio fine, quam ad id extorquendum incuſſo. Id enim pro valido cum Ant. de Butrio *in c. Cùm locum cit. n.* 11. & Præpoſito *in c. cit. n.* 12. habent Covarruvias *cit. p.* 2. *cap.* 3. §. 4. *n.* 15. Henriquez *Lib.* 11. *cap.* 49. *n.* 4. *citt.* Sanchez *diſp.* 12. *n.* 3. & 11. & Perez *ſ.* 9. *n.* 3. quorum ille, id apud omnes certiſſimam concluſionem, iſte aſſertionem DD. communiſſimam eſſe, aiunt.

Moventur primò; quia hujusmodi matrimonium irritatum non eſt Jure Naturali vel Divino; cùm voluntario & ſpontaneo conſenſu electum initúmque ſit: Eccleſiaſtico autem ex metu pro irrito id ſolum habetur, quod extortum eſt metu, ad id extorquendum incuſſo; cùm reſcripta Apoſtolica, *c. Cùm locum: c. Veniens*, *c. Conſultationi & c. Significavit citt.* relata, planè omnia propoſitis ita initorum caſibus ſint accommodata.

Secundò; quia, cùm metus alio quàm conjugii extorquendi fine incutitur, contrahens ad matrimonium à nemine impellitur: ſed hoc tanquam medium ad propulſandum, quod intentatum eſt, malum, ſpontaneo conſenſu ipſe eligit: & licet ejus mali intentatione patiatur violentiam & injuriam, iſta tamen non intervenit in contractu nuptiali, nemine cogente liberè ac ſponte electo; ac proinde contrahens nec eſt, nec dici valet ad matrimonium injuſtâ vi coactus.

Tertiò; paritate cum ingreſſu & ſuſceptione habitûs Religionis; cùm enim iſta, mortis ex infirmitate imminentis metu facta, Jure ſubſiſtat, *c. Sicut nobis 17. de Regular.* quòd ingreſſus & habitûs ſuſceptio ab ægroto ad propulſandum mortis periculum, nemine alio impellente, ſponte ac liberè ſit electa, Jure etiam ſubſiſtet matrimonium; quod ad mortis aut alterius mali, aliô quàm illius extorquendi animô intentati, periculum evitandum eſt contractum, cùm; quia etiam hoc, nemine ad id cogente, propriæ & liberæ voluntatis ſpontaneo motu fuit electum: tum verò; quia à matrimonio ſpirituali ad carnale, & viciſſim rectè ducitur argumentum, *c. Inter & c. fin. de Translat. Epiſc.* Boerius *Deciſ.* 1. *n.* 18. & Everard. *Legal. Arg. loco* 33. *à n.* 1.

Quartò; quia matrimonium injuſto, ſed alio quàm ejus obtinendi animô illato metu initum, Jure invalidum eſſe, nequaquam certum, ſed maximè dubium eſt: in dubio autem ejus valor potiùs quàm nullitas adſtruenda eſt, propter ſpecialem ac juſtum ejus favorem, *c. fin. de Sent. & re judic. c. Directæ 39. de Appellat. & c. fin. de Condit. appoſit.* etiam contra ſententiam communem, ut cum Panormit. *in c. fin. cit. de Sent. & re jud. n.* 3. & Menoch. *Lib.* 2. *præſumpt.* 71. *n.* 30. notant Barboſa *in c. fin. cit. n.* 2.

Veriſimiliùs tamen injuſto etiam hu- 230
jusmodi metu, ſicut contractus & actus alios obnoxios reſciſſioni, juxta dicta *cit. Tit.* 40. *n.* 35. ſic matrimonium irritum reddi,

reddi, defendunt Aut. Cucchus *Lib. 5. Institut. major. tit. 12. n. 160.* Palatios *in 4. dist. 29. disp. unic. ad finem §. Nonò* Veracrux *Specul. p. 1. art. 8. dub. 3. §. Clarissimè* &, aliis relatis, Card. de Lugo *de I. & I. disp. 22. n. 175.* quibus suam hanc sententiam persuasit

231. Primò, *c. Cùm locum cit.* textus, quò relatus Alexander III. *Ubi*, inquit, *de ipso* Matrimonio *quaritur, plenâ debet securitate gaudere, cujus est animus indagandus; ne per timorem dicat, sibi placere, quod odit, & sequatur exitus, qui de invitis solet nuptiis provenire*: quibus verbis Papa Primò in contrahente exposcit plenam securitatem ab injusto metu ab eo, quocum aut in cujus gratiam matrimonium initur, immunem: quæ in matrimoniali contractu non minùs deficit, si is metu alio animò & fine, quàm ad contractum illum obtinendum, incussò initus sit. Secundò de metu injusto loquitur indistinctè & abstrahendò, an metus ad nuptias extorquendas vel alio fine sit incussus. Tertiò subiicit rationem adversus consensum, secutum ex metu utroque fine incusso militantem; cùm etiam, si consensus injusto metu ex alia quàm matrimonii obtinendi causa illatò extortus sit, eò contrahens per timorem dicat, sibi placere quod odit, & facilè sequantur exitus infelices. Quartò demum in ipsa propositi facti specie non exprimitur, illatum ad nuptias extorquendas: &, si hoc exprimeretur, antecedentium tamen verborum generalitas quemcunque metum injustè incussum comprehendit ac irritat matrimonium cum eo, qui mali intentatione eum incussit, vel in ejus gratiam contrahendum.

230. Secundò argumentum ductum à contractibus & actibus aliis, gravis mali etiam alio fine quàm ad eos extorquendos, intentati metu gestis, ità que per ingressum Religionis inito matrimonio spirituali: quorum illi obnoxii rescissioni, *arg. l. Nec timorem 7. ff. Quod met. causa gest.* hoc ipso Jure irritum esse, *cit. n. 35.* dictum & desumptum est ex *c. 1. de Iis, quæ vi metúsve caus.* quò ob metum pro invalido apertè habetur mulieris in Monasterium ingressus & susceptio habitûs Religionis: licet mortis metus ei non ad ingressum & susceptionem illam extorquendam sed ex alia causa, scilicet ob suspicionem & in ultionem adulterii fuerit illatus, ut planè liquet ex eo; quòd non à marito, qui mulierem propter suspicionem illam jusserat occidi, sed à militibus ad necem illi inferendam constitutis, & tunc primùm, cùm mulier in sylvam jam educta & evaginatò gladiò interficienda esset, *Pietate ductâ*, sive mulieris miseratione commotis ingressus Religionis ei propositus & vita condonata fuerit *Sub tali conditione, si in Monasterio de Colobris habitum susciperet Monachalem*; ac proinde mulier intrârit Monasterium & habitum susceperit tanquam medium ad evitandum periculum mortis, non ad ingressum & susceptionem illam extorquendam, sed alio fine, scilicet in ultionem adulterii, sibi inferendæ. Cùm ergo à matrimonio spirituali ad carnale ducto argumentò, tanquam Jure valido, oppositæ Opinionis Assertores ipsi utantur, metu obtentum, sicut spirituale, sic etiam carnale matrimonium irritum est: licet metus non ad ejus contractum extorquendum, sed alio fine fuerit illatus.

232. Tertiò; quia eadem ferè ratio est contractûs, gravis & injustè intentati mali metu initi, sive malum illud ad contractum extorquendum, sive alio fine fuerit intentatum; esto enim, malum alio fine intentatum sit, intentatum tamen est

men est per injuriam: isque, cui intentatum est, in contractum verè & simpliciter injusto metu coactus consensit, non consensurus, si mali intentatio abfuisset; atque idcirco is, qui metum mali intentatione intulit, ad tollendum & reparandum omne damnum, quod ex mali ab ipso injustè intentati metu secutum est, resarcitionem obligatur, & tenetur procurare metum passi reductionem in statum indemnitatis: &, cùm hoc per actûs, mali ab eo intentati metu gesti, rescissionem obtineatur, ad contractum rescindendum obligatur juxta deducta *cit. Tit. 40. n. 35.* Cùm ergo metus, qui sufficit ad rescissionem contractuum & actuum aliorum, matrimonium ipso Jure irritet, ut cum *citt.* Navarro *n. 10.* & Covarruvia *n. 4.* tradit *cit.* Sanchez *disp. 6. n. 2.* imò apud hunc Doctorem *disp. 13. n. 1.* matrimonium, propter specialem ejus prærogativam & maximâ libertatem, quandoque irritari metu, qui ad aliorum actuum rescissionem sufficiens non est, cum Glossa *in c. Abbas 2. V. Coactus de lis, quæ vi &c.* Panorm. *in c. Veniens cit. n. 8. ad 2.* Alex. de Nevo *ibid. n. 18.* Cucchus *cit. Tit. 12. n. 129.* & alii velint, gravis mali injustè intentati metus matrimonium irritabit, etiamsi ejusmodi malum alio fine quàm ad extorquendum consensum nuptialem fuerit intentatum; cùm verè & simpliciter ineatur à coacto metu per injuriam incusso, & cum eo vel in gratiam ejus, à quo metus ita est incussus; ut adeò de tali matrimonio procedat dispositio, *c. Cùm locum cit.*

Confirmatur hæc ratio; quia matrimonium mortis vel alterius mali gravis injustè intentati metu initum irritandi ratio fuit; ut illum passi libertati & indemnitati consuleretur, & occurreretur malitiæ injustitiæque inferentis: ne scilicet metum passus ex aliena injuria pateretur irreparabile damnum: &, qui illum intulit, ex sua iniquitate inauferibile lucrum seu commodum consequeretur: quæ ratio contra matrimonium metu per injuriam illato contractum æquè militat, si malum aliô, quàm si illud extorquendi animô fuit intentatum.

Ex hac resolutione infertur, invalidum esse matrimonium Primò, quod ex alia quàm consensûs conjugalis extorquendi causa injustè condemnandus ad se liberandum cum filia judicis contraxit, vel huic etiam sub liberationis conditione ipse obtulit. Secundò etiam, si ad 233.
mortem vg. vel triremes à judice, allegationibus & probationibus falsis decepto, ac proinde non formaliter sed materialiter tantùm injustè fuisset condemnandus; cùm enim metu ex parte solius patientis injusto gesti actus alii ad istius instantiam rescindantur, juxta dicta *cit. Tit. 40. n. 30.* matrimonium, metu ex parte solius patientis injusto cum inferente vel in ejus gratiam cum alio contractum, irritum erit. Tertiò initum metu cujuscunque gravis mali & vexationis injustæ, alio fine quàm ad nuptialem consensum obtinendum, etiam sine ejus mali inferendi animo, illato; quia mali, quod justè inferri nequit, sicut illatio, sic & comminatio injusta est: eodémque modô, quô illa etiam ista voluntatem ad consensum impellit; cùm metum non causet ipsum malum, sed ejus inferendi apprehensio, quæ eadem est, eodémque modô movet & extorquet consensum, sive malum minitandô inferendi animus adsit, sive absit, juxta dicta *cit. Tit. n. 39.* Quartò à juvene initum cum puella, quacum ille in flagranti deprehensus, ut mortis vel mutilationis ab istius parente in flagitii ultionem inferendæ discrimen evitaret, parenti obtulit nuptias cum puella, vel ab illo ob-

illo oblatas acceptavit. Quintò à muliere infirma contractum cum medico, à quo ex officio suo & justitia debita curationis opitulatio, ex odio, ignavia aliáve simili causa denegata, & tandem oblata fuit sub conditione nuptiarum, secum (aut cum filio suo) contrahendarum &c.

234. Neque ita firmatam & declaratam propositæ dubitationis Resolutionem convellunt pro conjugii tali metu initi valore deducta argumenta.

Primum, desumptum ex textibus Juris; quia *c. Cùm locum cit.* relatum Apostolicum rescriptum etiam de conjugio, quòd gravis mali, etiam alio, quàm ad id extorquendum, fine, injustè intentati metu obtentum est, procedere, ex dictis satis constat. Reliquorum *cc. citt.* licet casus sint conjugiorum, metu ad ea extorquenda injustè incusso obtentorum, decidendi tamen eáque invalida declarandi, in plena & ab omni metu injustè illato immuni libertate fundata ratio conjugiis metu, etiam alio fine quàm ad ea extorquenda incusso, obtentis est accommodata.

Alterum; quia, esto metus illatus non sit ad matrimonium extorquendum, hoc tamen ab inferente aut in ejus gratiam obtentum est injuriâ: quæ, licet alio fine illata sit, impulit tamen ad matrimonium, quod cum inferente aut in ejus gratiam cum alio est contractum; ut adeò consensus præstitus in matrimonium verè & simpliciter non fuerit spontaneus, sed coactus.

Tertium, ex *c. Sicut nobis cit.* desumptum, ad rem non est; cùm ejus decisione solummodo adstruatur valor professionis Religiosæ editæ metu, nullâ cujusquam injuriâ & non à libera, sed à naturali & necessaria causa illato, & orto ex infirmitate: ex qua conceptum metum hôc ipsô; quòd injustus non sit, sicut spiritualis, inducti Religiosa professione, sic etiam carnalis conjugii valori non officere, dictum est *n. 222.*

Postremum; quia in dubio pro matrimonio pronuntiandum est regulariter duntaxat, non semper: & eô præsertim casu illi favendum non est, quô illius valor dubius est propter metum, ut cum Purpurato *Lib. 2. consil. 575. n. 16.* Seraphino *Decis. 893.* Riminaldo *Consil. 77. n. 37.* & aliis, Rotæque decisione allegatâ, notat Barbosa *in c. fin. de Sent. & re jud. n. 3. & Voto Decis. 1. n. 137.* cùm; quia matrimonia coacta difficiles exitus frequenter solent habere, *c. Cùm locum cit. & c. Requisivit 17. in fine:* tum verò, quia injusto metu contracti matrimonii valor illum passo irreparabile damnum, & inferenti inauferibile commodum affert, contra *Reg. c. Ex literis 2. c. Contingit 9. de Dolo & l. Non fraudantur 134. §. 1. ff. de R. I.* Unde 235.

Dubium tertium nascitur de valore matrimonii, quod Titius damni in rebus suis aut alterius injustæ vexationis, à Sempronio per injuriam intentatæ, metu iniit cum Bertha filia Caii, & isti ipse obtulit vel oblatum acceptavit intuitu liberationis à vexatione illa, à Caio sibi promissæ ac procuratæ. Ratio dubitandi gravissima est; quòd, cùm ex præcedentis dubitationis Resolutione invalidum sit matrimonium, intuitu liberationis initum cum Mævia filia Sempronii, illam sub nuptiarum conditione promittentis, invalidum quoque esse, necesse sit initum cum Bertha filia Caii: aut, si hoc Jure subsistat, illud quoque subsistere sit necesse; cùm utrumque ejusdem vexationis per injuriam illatæ metu contractum, & à Titio oblatum vel acceptatum sit, tanquam medium se liberandi ab injusta vexatione. Cui rationi non nihil & non 236.

nimiùm tribuendum, & propoſita dubitatio expedienda eſt auxiliô diſtinctionis; vel enim Caius ad Titium à vexatione per injuriam illata liberandum ex Juſtitia obligatus fuit, vel non?

237. Si prius, ſicut cum Mævia Sempronii, ſic & cum Bertha filia Caii ſub liberationis conditione initum conjugium invalidum eſt; cùm eô ipsô; quòd Cajus ad Titii liberationem procurandam ita fuerit obligatus, ejus denegatione injuriam Titio ipſe quoque inferat, & ex vexatione injuſta conceptum metum augeat, firmétque & quodammodo conſummet; quia, ex juſtitia debitæ liberationis ope denegata, perſeverat & urget metus, qui illâ ex debito præſtitâ ceſſaret; ut adeò, ſicut intuitu ceſſationis ab injuſta vexatione cum Mævia Sempronii, ſic intuitu liberationis, ſi Bertha Caii filia non ducatur, injuſtè denegatæ, & ſi ea ducatur, præſtitæ, contractum matrimonium, tanquam metu injuſtè incuſſo nullóque juſtô titulô obtentû, invalidum ſit, ex deciſione *c. Cùm locum cit.*

238. Si poſterius, & ab injuſta vexatione à Sempronio intentata liberatio, ſive modus & media, quibus iſta à Caio procurata eſt, ex Juſtitia debita non fuerunt, conjugium ejus promiſſæ ac præſtitæ intuitu cum Bertha initum Jure ſubſiſtit. Ratio eſt; quia hoc à Titio oblatum & acceptatum fuit in compenſationem auxilii & mediorum in liberationem impenſorum, quæ, eô ipsô; quòd Jure fuerint indebita, oblatione conjugii vel iſtius oblati acceptatione compenſari potuerunt.

Neque conjugii ita initi valori officit; quòd ejus oblationi vel oblati acceptationi occaſionem præbuerit metus, cùm à Sempronio injuſtè illatæ vexationis, tum carentiæ auxilii ad liberationem à Caio, ſi Bertham non ducat, denegandi; quia imprimis conjugium initum non eſt cum eo aut in gratiam ejus, qui vexatione injuſta metum incuſſit aut ad iſtius cauſam removendam fuit obligatus, ſicut factum caſu priori. Deinde; quia Sempronianæ vexationis metus, licet fuerit injuſtus, non afficit aut irritat conjugii petendi titulum, ſive compenſationem cooperationis ad liberationem ab injuſta alterius vexatione: qui titulus juſtus eô ipsô fuit; quòd liberatio ſive modus & media, quibus ea obtenta eſt, ullô Jure debita non fuerint; cùm enim liberatio illa compenſari potuerit aliâ ratione, vg. donatione aut venditione domûs, compenſari etiam potuit nuptiarum oblatione vel oblatarum acceptatione: cujusmodi juſtus titulus priori caſu deſideratur. Denique; quia metus conceptus ex liberationis, ſive mediorum ad eam obtinendam ſufficientium denegatione, non fuit injuſtus; cùm enim liberatio per media illa Jure debita non fuerit, ex ejus denegatione conceptus metus ex parte denegantis vacavit injuriâ, vimque non habuit conjugium eô contractum inficiendi & irritandi, juxta dicta *n.* 223. & deducta à Card. de Lugo *cit. diſp.* 22. *n.* 179. Unde corruit ratio dubitandi: &, ſicut non reſcinduntur contractus & actus alii, quibus metus à tertio injuſtè incuſſus ita præbuit occaſionê, ſic irritû non eſt conjugium occaſione metûs tertii injuriâ incuſſi ita contractum; licet, ſicut infirmi & reſciſſioni obnoxii ſunt contractus, ſic irritum ſit matrimonium cum eo vel in gratiam ejus, à quo metus injuſtè illatus, ejúsque cauſa contra obligationem Juſtitiæ remota non fuit, niſi intuitu nuptiarum, juxta dicta *Lib.* 1. *tit.* 40. *n.* 35. *ad* 3.

Dubium quartò de matrimonio in- 239.
juſto metu extorto eſt, an irritum ſit in utroque foro. Fuêre enim & à D. Thoma *in*

ma *in 4. dist. 29. q. unic. art. 3. quæstiunc.* 1. referuntur DD. qui id in foro interno subsistere assererent, eâ persuasi ratione; quòd in externo foro irritum sit ex præsumptione Ecclesiæ, verba consensum exprimentia à metum passo sine consensu interno & mendaciter prolata, credentis; quòd, ubi urget coactio, deficiat consensus, *c. Cùm locum cit.* Cùm ergo in foro interno præsumptio cedat veritati, consensu in animo non deficiente initum conjugium in foro interno subsistet. Cui rationi non parùm roboris confert; quòd nemo ad consensum internum, sed ad verborum duntaxat aliorúmve signorum internum consensum exprimentium prolationem vel positionem cogi possit; ut adeò, animô verè consentiens, validè contrahat, mali injustè intentati metu non obstante.

240. Verùm, quia consensus internus, licet extorqueri nequeat vi, mali tamen intentati metu impellente præstari potest & solet etiam, cùm metus urget, quoties gravis mali metu impellente in matrimonium præstatur, ab Ecclesia irritatus est, *c. Cùm locum, c. Veniens &c. citt.* non tam ex præsumptione ejus deficientis, quàm intuitu incommodorum, quibus obnoxia esse solent conjugia coacta, *c. Cùm locum cit. & Requisivit 17.* quod inde confirmatur; quia verba à contrahente, non tam fictè & mendaciter, quàm verè prolata Ecclesia præsumit ad excludendum peccatum: sicut antiquo Jure, ad fornicationis peccatum excludendum, in copula, à sponsis de futuro admissa, affectum conjugalem præsumebat, *c. Is, qui fidem 30. hâc Rubr.*

Quare metu per injuriam illato extortas nuptias sicut in externo, sic in interno quoque foro irritatas, & consensui interno verè præstito nuptias inducendi vim ab Ecclesia ademptam, cum D. Angelico *l. cit.* Sylvestro *V. Matrimonium 8. q. 11. d 3.* Soto *dist. cit. q. 1. art. 3.* Navarro *Manual. cap. 22. n. 51. ad finem* & aliis meritò docent *citt.* Sanchez *disp. 12. n. 18.* & Perez *disp. 17. s. 10. n. 4.*

Dubium quintò & DD. rationúmque, in utramque partem militantium magnâ vi agitata controversia est de Jure, ex quô metu injusto extortorum conjugiorum nullitas immediatè descendat. Et à Naturali quidem eam descendere, cum Scoto *in 4. dist. 29. q. unica §. De secundo* Alexand. Carerio *Lib. 4. de Sponsal. cap. 9.* Covarruvia *cit. cap. 3. §. 5. n. 6.* & Petr. Barbosa *in Rubric. ff. Soluto Matr. p. 4. n. 30.* ex RR. defendunt Molina *Tract. 2. de I. & I. disp. 326. n. 14.* Pontius *cit. Lib. 4. cap. 14. n. 4.* Gobat *Experient. Tract. 9. n. 245.* & Gonzalez *in c. Veniens cit. n. 5.* Rationes, quibus nituntur, minimè leves sunt Primò; quia Jus Ecclesiasticum ejusmodi conjugia non tam irritat, quàm anteriori aliquo Jure irritata supponit textibus *n. 220.* allegatis planè omnibus; cùm iis referantur casus conjugiorum metu initorum: quæ, si nullo anteriori Jure irritata, sed valida fuissent, ab Ecclesia non potuissent irritari, juxta illud, *Quod Deus conjunxit, homo non separet*, Matth. *cap. 19. v. 6.* textibus autem illis Jus, quô irritatum sit, antiquius non extat. Secundò; quia *c. Cùm locum cit.* irrita pronuntiantur ex ratione; quòd vis & coactio, sive metus tollat consensum, *l. Nihil consensui 116. ff. de R. I.* ad matrimonii valorem requisitum Jure Naturali. Tertiò; quia Natura, si ejusmodi matrimonium non ipsa irritâsset, non satis consuluisset indemnitati innocentis, passi metum injustum; cùm enim matrimonium, semel validè contractum, nullâ humanâ authoritate valeat dissolvi, ad id

241.

ineundem metu coactus sine ullo remedio contractum observare teneretur; ac proinde ex injuria sibi illata ipse damnum irreparabile subiret: illum autem inferens lucrum inauferibile consequeretur. Quod cùm Naturæ genio adversetur, statuendum omnino est, metu inita conjugia ex ejus potiùs, quàm Humanæ Legis dispositione irrita esse, ut cum DD. *citt.* & Card. Pallavicino subtiliter arguit Haunold. *Tom. 2. de I. & I. Tract. 8. n. 107.*

242. Ego tamen, ita firmatâ & valde probabili sententiâ potiorem ac præferendam oppositâ, & matrimonii injusto metu extorti nullitatem in Jus Ecclesiasticum immediatè refundendam, existimo cum Sylvestro *cit. q. 11. d. 3.* Navarro *Manual. cap. 22. n. 5.* Soto *in 4. dist. 29. q. 1. art. 3.* Henriquez *Lib. 11. cap. 9. n. 1. & 3.* Sanchez *cit. Lib. 4. disp. 14. n. 2. 2.* Laiman *Lib. 5. Tract. 10. p. 2. cap. 5. n. 1.* Perez *disp. 17. s. 11. n. 2.* quos Card. de Lugo *Tom. 2. de I. & I. disp. 22. n. 115.* Pirrhing *ad hanc Rubr. n. 106.* & alii tam VV. quàm, RR. sunt secuti. Ratione duplici nituntur. Una est; quòd ad valorem, sicut cujuscunque alterius, sic etiam matrimonialis contractûs Jure Naturali plus non exigatur, quàm justus titulus & voluntarius consensus: quorum neutrum metus excludit. Prius; quia metu non obstante intervenit traditio juris in corpus pro jure in corpus. Posterius; quia voluntarium & liberum, ad actûs humani valorem requisitum Jure Naturali, metus solummodo diminuit, non tollit; ideóque dici solet, coacta voluntas est voluntas, cum Paulo ICT. *l. Si mulier cit. §. 5.* Altera; quòd non appareat sufficiens ratio, ob quam ejusmodi irritatio à Natura debuerit esse introducta; non enim ab ista matrimonium metu extortum necessariò irritatum est propter injuriam, ut aliqui volunt, partim; quia si ex hac ejus nullitas oriretur, irritum etiam esset matrimonium obtentum contrahentis dolô; cùm sicut metum passo sic & dolô circumvento injuria inferatur: partim verò; quia aliàs irritum etiam esset matrimonium contractum metu levi; cùm etiam per hunc injuria, & sæpe mortaliter peccaminosa, inferatur. Neque etiam, ut alii existimant, propter defectum libertatis; quia imprimis metus, ut dictum, voluntarium & liberum non tollit. Deinde; quia libertati matrimonii non magis obstat metus à libera, quàm à necessaria causa incussus: & tamen metu à causa necessaria incusso matrimonium irritari, ex adversariis plerique negant. Demum; quia voluntarius & liber consensus etiam requiritur ad Baptismum & juramentum: & tamen neque istud gravi metu præstitum, *c. Si vero 8. c. Verum 15. &c. de Jurejurando*, neque ille ita susceptus irritus est, per textum *c. Majores 3. §. Item quæritur, de Baptismo.*

243. Neque contrarium evincunt in eam rem allatæ rationes. Prima; quia, licet quatuor *cc. citt.* irritatio non primùm inducatur, & scriptum Jus antiquius non allegetur, tale tamen scriptô, aut vivâ voce aliquando traditum, aut aliâ viâ introductum, ex iisdem textibus & continuâ Ecclesiæ observantiâ satis colligitur.

244. Altera; quia metus non facit; ut consensus non sit voluntarius & liber: qui solus, spectatô Jure Naturali, ad matrimonium requiritur.

Postrema; quia imprimis, si Natura non defecit, alteri omnino irrevocabiliter obligari permittendô eum, qui Nobilitatis, divitiarum &c. dolosa simulatione ad matrimonium inductus est, etiam non defeciisse existimanda est, cùm metum

metum passum ita obligari permisit hunc inferenti. Deinde; quia metum passis Naturæ Author satis consuluit, legitimo Magistratui conferendô potestatem, conjugia illô extorta irritandi: sicut ejusmodi potestatem dandô satis occurrit incommodis, quæ oriuntur ex nuptiis Clandestinis. Demum; quia, licet ante irritationem Humana lege inductam metum passus hunc inferenti firmiter obligaretur, istum tamen ab ejus illatione gravis pœnæ comminatione absterruit, & ad injuriæ compensationem, quæ exigi posset, obligavit: sicut hodiéque obligatur, qui aliquam dolosô mendaciô induxit ad contrahendum. Unde

245. Infertur, valida esse conjugia Infidelium, non obstante gravi & injusto metu, quô ea sunt extorta: nisi propriis ipsorum legibus specialiter sint irritata; cùm, licet non spontaneô, quem Ecclesia exigit, voluntariô tamen & liberô consensu, qui spectatô Naturali Jure exigitur & sufficit, ineantur, Sanchez *cit. disp. 14. n. 3.* Bonacina *de Sacramento Matrim. q. 3. punct. 8. n. 9.* & Pirrhing *cit. n. 106. in fine.*

246. Dubium sextô est, an matrimonium metu contractum firmetur adjectô juramentô. Affirmat id Richardus *in 4. dist. 29. art. 2. q. 3.* & desumitur ex textu *can. Inter cætera 22. q. 4.* quô relatus S. Augustinus matrimonium cujusdam Hubaldi, ad id contrahendum cum concubina mortis metu impulsi, pro valido habet. Idem suadet ratio; quia omne juramentum, quod in salutis æternæ dispendium & tertii præjudicium non vergit, servandum est, per Regulam *c. Cùm contingat 28. de Jurejurando & c. Quamvis 2. de Pactis in 6.* etiam, quod metu est extortum, *c. Si verò, c. Verum citt. & c. Ad audientiam 4. de Iis, quæ vi metúsve causâ &c.*

Sed meliùs *in c. Significavit cit.* negant Glossa *V. Tanta*, Panormit. *n. 5.* Alexand. de Nevo *n. 5.* quos secuti sunt *citt.* Carerius *cap. 4.* Sylvester *q. 11. d. 8.* Sanchez *disp. 20. n. 12.* & Perez *s. 4. n. 5.* & alii, sicut matrimonium, sic & adjectum ipsi juramentum pro irrito habentes. Moventur satis clara decisione Alexandri III. eum, qui post matrimonium cum una metu initum, eique firmando adjectum juramentum, duxit aliam, huic adhærere permittentis, *c. Significavit cit.* indubitatô argumentô nullitatis ejus, quod priùs initum fuit & juratum. Ratio est; quia imprimis de substantia matrimonii est consensus, ab injusta coactione liber, *c. Cùm locum c. Veniens &c. citt.* cujusmodi consensûs defectus juramentô non suppletur. Deinde; quia matrimonia metu extorta irritata sunt propter utilitatem publicam; quòd ad pacem & amorem conjugalem inter contrahentes & ad prolis bonam educationem expediat, ea iniri sponte, *arg. cc. citt. & c. Requisivit 7.* actus autem, irritatos propter bonum publicum, juramentô non firmari, cum Bartol. *in l. Si quis 56. ff. de Fidejuss. àn. 7.* & Panormit. *in c. Cùm contingat cit. n. 22. V. Octavus*, & cæteris DD. plerisque Regulæ instar tradunt Covarruv. *in c. Quamvis cit. p. 2. §. & n. 1.* & Guttierez *de Juramento p. 1. cap. 58. n. 15.* Et demum; quia, si matrimonium metu extortum firmaretur juramentô, ab Ecclesia non satis consultum foret metum passis adversus inferentes; cùm injustô metu, sicut matrimonium, sic & juramentum posset extorqueri; ac proinde, si hoc esset obligatorium, metum inferenti, qui eum passus est, ad individuam vitæ societatem posset obligari. Unde corruit adversæ partis ratio. 247.

Difficilior in speciem est textus: sed in speciem duntaxat; nam, ut Glossæ 248.

aliórumque expositiones omittam, in ejus casu metus & juramentum solummodo intervenit in Hubaldi prævia promissione, tam matrimonium ineundi cum concubina, quàm expellendi & necessariis subsidiis destituendi matrem cum fratribus expulsam: quâ promissione jam factâ, metúque cessante matrimonium initum fuit: & S. Augustinus de duobus, scilicet matrimonii valore & matrem expellendi promissione, interrogatus; matrimonii firmitati nihil obstare: matrem autem & fratres expellendi, distituendíque obligationem juramentô illô non inductam, respondit. Ita *can. Inter cætera cit.* cum Covarruvia *de Sponsal. p. 2. cap. 3. § 5. n. 8.* & Joan. Valboa *Academic. prælect. in c. Pervenit 3. de Jurejurando. 52.* exponit Barbosa *ibi, n. 13.* & expositus nostræ Resolutioni patrocinatur potiùs, quàm adversetur.

Si huic *can. cit.* expositioni opponatur; quòd eô Hubaldus *concubinæ juramentô firmaverit, ipsam in conjugem suscipere:* quâ phrasi à S. Augustino, cujus Canon ille est, fidem consensûs de præsenti & ipsum matrimonialem contractum denotari, S. Doctor ipse explicat verbis, *Fides consensûs est, quando se mutuo suscipiunt*, quæ ex ipso referuntur *c. 1. de Sponsa duor.* Satis expedita replicatio est, *can. cit.* Verbum *Suscipere* non, ut *c. 1. cit.* de præsenti, sed de futuro tempore exaudiendum, ut apertè demonstrant ipsi eâdem oratione conjuncta verba *Expellere* & *Impendere:* quibus *can. cit.* promissionem futuro tempore implendam significari, ex ipso textu liquet. Si etiam hunc verbi illius sensum à S. Doctoris mente alienum, & *can. cit.* ipsi 249
contractui nuptiali juramentum adjectum, quis contendat, propter subjecta verba, *Matrimonium sit in domino firmum ac stabile:* nova quidem, sed cum propositæ dubitationis Resolutione non pugnans responsio est, juramentum & ipsum etiam conjugium metu initum maximi illius Ecclesiæ Patris ac Doctoris tempore subsistitisse; quòd metûs impedimentum postea primùm sit introductum. Quæ responsio inde etiam verisimilis est; quòd metus conjugium non irritet Jure Naturali aut Divino, sed Ecclesiastico: quô non omnia simul primô aut huic proximis seculis, sed prout casuum occurrentium necessitas exigebat, cum tempore sunt introducta.

Dubium septimò est de copula car- 250
nali, matrimonialem contractum metu initum subsecutâ: quâ conjugium firmari, cum Glossa *in c. Consultationi cit. V. Ante* existimant Paludanus *in 4. dist. 29. q. 1. art. 4. n. 25.* Sotus *eâdem q. 1. art. 3. ad finem*, Barthol. de Ledesma *de Matrim. dub. 23. in fine* & quidam alii, permoti textibus *c. cit. c. Ex literis 11. de Despons. impub. & c. Insuper 4. Qui matrim. accus. &c.* quibus, dum conjugiũ metu extortum irritum pronuntiatur, nisi copula carnalis sit subsecuta, id hâc subsecutâ firmari, clarè indicatur: quod etiam suadetur ratione; quia copulam potiùs conjugali quàm fornicario, etiam metu coactis Jure naturali illicito, affectu admissam: & propterea matrimonium ratificatum esse, præsumptio est.

Sed meliùs dubium resolvitur ope distinctionis; vel enim, sicut matrimonii contractus, sic etiam copula illa metu extorta, vel istô jam cessante & affectu conjugali est subsecuta? Si prius, eâ matrimonium confirmari, cum Panorm. *in c. Consultationi cit. n. 7.* & Alexand. de Nevo *ibid. n. 10.* meritò negant Henriquez *Lib. 11. cap. 9. n. 7.* Sanchez *disp. 18. n. 15.* & Gobat *Experient. Tract. 9. n. 261.* quòd tali casu consensus in matrimonium vel deficiat omnino, vel saltem, qualem

qualem Jura exigunt, & spontaneus non intervenerit. Si posterius, & metu deposito copula sponte admissa est, eâ matrimonium confirmari, DD. *citt.* facilè concedunt & D. Thomæ *cit. dist. 29. q. unica, art. 3. quæstiunc. 2. ad 2.* aliorúmque TT. & JCT.rum doctrina communis, & ratio perspicua est; quòd matrimonii valori nihil obstiterit præter defectum spontanei consensûs: iste autem sufficienter exprimatur & exprimi de Jure præsumatur per copulam carnalem, sponte admissam; cùm talis processisse præsumatur ex affectu conjugali, *arg. c. Is, qui fidem 30.*

251. Eôdem modô matrimonium metu extortum convalescit per diuturnam, vg. unius anni cum dimidio, & aliquando etiam minoris temporis cohabitationem, si metum passus in illo tamdiu perstiterit sponte & quietè, cessante metu, cùm posset, non recedendô, ex decisione *c. Ad id 21.* Ratio est; quia ita, etiam sine commercio carnali, cohabitans affectu conjugali cohabitâsse; ac proinde in matrimonium legitimè consensisse, præsumitur. Quam præsumptionem Juris & de Jure esse, cum Glossa *in c. cit. V. Per annum*, observant Gonzalez *in c. cit. n. 5.* Perez *disp. 17. s. 13. n. 5.* & Gobat *Tract. cit. num. 262.*

252. Atque hæc de sponte admissa, tam carnali copula, quàm cohabitatione, satis certa erunt, spectatô Decretalium Antiquô Jure. An etiam locum habeant post decretum S. Synodi Tridentinæ *Sess. 24. cap. 1. de Reformat. Matrim. Tit. 3. art. 2.* statuetur.

253. Dubium octavò est, an qui metu injusto nuptias extorsit, illum passo obligetur; ut cum isto, purgatô metu, volente, matrimonium inire teneatur. Quod cum Alex. de Nevo *in c. Cùm locum cit. n. 29.* Turrecremata *in Summa 31. q. 2. n. 11.* Sylvestro *V. Matrimonium 8. q. 11. d. 4.* & Navarro *Manual. cap. 22. n. 51.* asserunt Coninck *disp. 28. dub. 1. n. 7.* & Pontius *cit. Lib. 4. cap. 15. n. 3.* pro quibus facit Primò decisio Alexandri III. *c. 1. de Eo, qui dux. in matr.* viro, qui, primâ uxore adhuc vivente, duxit aliam ejus rei ignaram, ab eáque, cognitô primæ obitu, recedere voluit, recessum non permittentis, nisi ad secundæ ab eo deceptæ petitionem; ut adeò à matrimonio recessus vel in eo perseverantia fuerit in optione mulieris à viro deceptæ. Cur non etiam in optione mulieris metu coactæ? cùm huic illata injuria non minor sit eâ, quæ illata est dolô, istóque injusta metûs illatio non vacet. Secundò paritas cum contractibus aliis, vg. venditione aut permutatione metu extortis: quibus, si metum passi petant, stare tenentur, qui eos metu extorserunt; cùm ad ejus tantùm, qui metum passus est, non ad eum inferentis, instantiam rescindantur: & Jura deceptis tantùm læsísve, non etiam decipientibus vel lædentibus subveniant, *c. Cùm universorum 8. de Rer. permut. & l. Ex primo 2. §. 3. ff. ad S. C. Velleian.* Tertiò ratio; quia consensus ex parte metum inferentis fuit absolutus ac sufficiens ad ipsum ex parte suâ obligandum: dummodo ex sua etiam parte coactus velit; ac proinde cum hoc, postea liberè ac sponte volente, matrimonium inire, qui metum intulit, tenetur.

Sed ista specioſa magis quàm efficacia sunt, ad matrimonii postea ineundi obligationem imponendam metum inferenti, quem ab illa absolvunt *citt.* Sanchez *disp. 15. n. 5.* Perez *s. 12. àn. 5.* & Hurtad. *de Matrim. disp. 6. n. 16.* Rationem reddunt; quòd non appareat, unde ea matrimonium cum metum passo ineundi obligatio oriatur; cùm non oriatur ex contractu, partim; quia contractus nuptialis 254.

ptialis cùm suâ natura reciprocus & ex utraque parte obligatorius sit, ex parte contrahentium utriusque includit tacitam conditionem, *Accipio te in meam, si vicissim me accipias in tuum*; atque idcirco claudicare, & ad individuam vitæ societatem contrahentium unum obligare nequit, nisi ad eam & alter obligetur: partim; quia de præsenti & non de futuro initus, & propter injusti metûs interventum Jure irritatus est, *c. Cùm locum, c. Veniens &c. citt.* Neque etiam ex injuria; quia ista per se conjuncta non est cum damno, quod aliter, quàm contractô matrimoniô nequeat reparari: eáque fere tollitur ipsâ matrimonii coacti dissolutione, vísque illatæ punitione. Neque ex Jure positivo, metum inferentem ad nuptias cum metum passo obligante; cùm tale Jus non extet: & à *c. 1. cit.* ad præsentem casum non rectè arguatur; quia imprimis, eô à muliere recessus viro permissusnon est propter matrimonii fidem illi, ligaminis impedimentum ignoranti datam, ab eóque decepta bona fide acceptatam, ut *in c. cit.* cum Panormit. *n. 4.* & Viviano *in fine* notat Pirrhing *ad Rubr. de Eo, qui duxit &c. cit.* Deinde; quia recessus viro permissus non est propter gravissimum & aliter quàm per matrimonium non reparabile præjudicium mulieris, cui ille perinde ut legitimæ uxori cohabitavit. Demum; quia recessus viro etiam permissus non fuit in dolosæ deceptionis pœnam: à pœnali autem dispositione eáque expresso casu ad non expressum perperam ducitur argumentum *arg. Reg. Factum 155. §. 3. ff. & Reg Odia 25. & Reg. In pœnalibus 49. in 6.* Neque etiam ex paritate cum cæteris contractibus; quia hi metu initi Jure subsistunt juxta dicta *Lib. 1. tit. 40. à n. 30.* & ad solius metum passi instantiam rescinduntur: matrimonium autem metu extortum Jure Ecclesiastico est irritatum; ut ad hoc quoque ab illis non rectè arguatur. Non denique ratione consensûs; quia hunc in contractu matrimoniali, tanquam reciproco naturâ suâ non absolutum sed tacitè conditionatum & alterius consensu dependentem fuisse, ex dictis constat; ac proinde eô ipsô; quòd ex parte unius fuerit nullus, ex parte alterius quoque deficit, & ullam obligationem non inducit.

At, licet hæc ita sint, casu tamen, 255.
quô metum passo grave & aliter quàm per conjugium irreparabile damnum illatum fuisset, ad matrimonium validandum, qui metum intulit, obligatus & judiciali authoritate cogendus esset; quòd id expoſcat æquitas & ratio naturalis, ut rectè observat *cit.* Perez *n. 7.* & de Sponsalibus & matrimonio ficto dictum est *à n. 19.* & *n. 143.* Addo ego omnes casus, quibus, ut plerumque solet, matrimonium metu initum præcessissent sponsalia de futuro; cùm enim hæc valida sint juxta dicta *n. 15.* & cæterorum contractuum instar ad solius metum passi instantiam rescindantur, & per sponsalia de præsenti coacta non tollantur, ad matrimonium cum metum passo volente ineundum obligatus viâ Juris compelli potest is, à quo metus est illatus. Quibus limitationibus restricta sententia posterior in praxi ferè cedit priori.

Dubium nonò & satìs difficilis Re- 256.
solutionis controversia est de Sponsalibus injusto metu extortis; hæc enim perinde, ut matrimonium, irrita esse, cum Panormit. *in c. Ex literis 11. de Desponſ. impub. n. 2.* & Anchorano *in c. Veniens cit. n. 6.* defendunt *citt.* Covarruv. §. 5. *n. 1.* Petr. Barbosa *p. 4. n. 3.* & Sanchez *disp. 19. num. 3.* suam hanc opinionem præcipuè fundantes in *c. Ex literis cit.* textu: quô puella duodennis, impuberi desponsata, & in istius domum tradu&ta quòd, minis parentum fuerit impulsa,

pulsa, recedere & alteri nubere permissa est, luculentô argumentô nullitatis Sponsalium: quæ etiam suadetur *arg. l. Oratio 16. ff. de Sponsal.* secundùm quam Juris dispositio de matrimonio trahitur ad sponsalia, cùm de his aliud Jure non est expressum. Eandem docti aliqui RR. evinci putant ratione; quia metu extorta sponsalia nullam etiam, ut cæteri actus metu gesti, infirmam obligationem pariunt; cùm dari nequeat obligatio ad actum omnino invalidum & nullum, ut patet ex terminis ritè perceptis: metu autem inita sponsalia, si obligationem parerent, obligarent ad actum Jure nullum; cùm obligarent ad matrimonium, quod metu initum à Jure irritatum est, *c. Cùm locum, c. Veniens &c. citt.* Confirmatur; quia metus in sponsalibus interveniens, vires suas extendit in matrimonium; cùm hoc contrahatur vi sponsalium: quæ, si metu extorta sunt, istô extortum censetur etiam matrimonium ab illo dependens. Ita isti, & satis probabiliter.

257. Nihilominus, sive Jus sive ratio spectetur, ejusmodi sponsalia, licet rescissioni obnoxia omnino sint, pro validis probabiliùs habent Henriquez *Lib.* 11. *cap. 9. n. 6.* Petr. Ledesma *de Matr. q. 7. art. 3.* Lessius *Lib. 2. de J. & J. cap. 17. n. 37.* Palao *Tract. 2. disp. 1. p. 9. n. 3.* & Perez

258. *disp. 10. s. 3. à n. 4.* eâ permoti ratione; quòd irritata non sint Jure Naturali; cùm hôc præcisè spectatô ipsum matrimonium subsistat. Neque etiam Positivô;

259. cùm in *c. Ex literis cit.* pro ipsorum nullitate ab oppositæ sententiæ Assertoribus allegati casu sponsalia, si irrita, talia fuerint, non tam propter metum, quàm propter defectum consensûs in puella, ut *ibi* observat Gonzalez *n. 2.* quia ista non solùm minis parentum sive metu impulsa, sed omnino nolens dicitur fuisse, non solùm, cùm traduceretur in domum, ut aliqui volunt: sed etiam, cùm desponsaretur, ut *ibi* cum Glossa *V. Desponsata,* Innocentius advertit. Accedit; quòd, si puellam ob solum metum recedere & alteri nubere permissam fuisse, dicatur, sponsalia ipso Jure nulla fuisse perperam, imò potiùs contrarium inferatur; cùm, sicut cæteros, sic etiam sponsalitium contractum rescindendi sufficientem causam metus præbuisset, Lessius & Palao *l. cit.* Et revera valida fuisse, non obscurè colligitur ex eo; quòd Papa puellam moneri jusserit; ut sibi desponsati pueri annum ætatis decimum quartum expectaret, non expectandum, si sponsalia Jure invalida fuissent.

Multò minùs urget *arg. l. Oratio cit.* 260. cùm; quia istius dispositio est merè Civilis: tum verò; quia, si pro Canonizata habeatur, locum duntaxat habet, quando eadem ratio est sponsalium & matrimonii: quod in proposito dubio non contingit; cùm enim matrimonii validè initi & præsertim consummati vinculum sit omnino insolubile, *Matth. cap. 19. v. 6.* sponsalia autem solvi variis modis possint, illud, non etiam ista metu inita, irritandi specialis & æquissima ratio fuit, ut advertit Tannerus *Tom. 4. disp. 8. q. 6. dub. 1.* & ipsemet Sanchez *l. cit. n. 1.*

Ratio etiam, quantumvis speciem 261. veri magnam præseferat, efficax non est; quia imprimis sponsalia, etiam metu extorta, non obligant ad matrimonium contrahendum, dum metus urget, sed cùm, isto cessante, liberè iniri potest: idque ita initum valere, patet ex *can. Inter cætera citt.* ubi, vi promissionis metu extortæ initum matrimonium, pro valido habetur. Si *can. cit.* matrimonium non promissum, sed actu initum quis velit, tempore S. Augustini, cujus ille canon est, verisimiliter ipsa etiam conjugia metu inita substitisse, paulò antè est insinuatum. Er-

tum. Ergo multò magis sponsalia eò, & modernò adhuc tempore subsistent; cùm hæc postea scriptô aliquô aut non-scriptô Jure irritata, nusquam reperiantur. De-
262. inde ipsum matrimonium ob metum Jura eò duntaxat casu pro irrito habent, quò iste intervenit in ejus contractu, *cc. initiô citt.* Demum; quia matrimonium cessante metu initum, à sponsalibus metu extortis, ferè pendet; sicut à pubere, in facie Ecclesiæ vel cum rapta, extra raptoris potestatem constitutâ, initum matrimonium pendet à sponsalibus, quæ ab impubere, clam, aut cum raptâ in raptoris potestate constitutâ, sunt contracta; acproinde matrimonii valori, sicut Impubertas, Clandestinitas, Raptus, sic etiã metus contrahentis sponsalia non obstabit: & sicut ex eo; quòd matrimonium impuberũ, clandestinum, aut cum rapta, detenta à raptore, initum non valeat, ab impubere, clam, vel cum raptâ detentâ inita sponsalia invalida esse, legitimè non infertur: sic etiam ex nullitate matrimonii celebrati metu, hoc interveniente inita sponsalia nulla esse, ritè non desumitur.

ARTICULUS XII.

De Justitia publicæ Honestatis.

SUMMARIUM.

263. *Istius impedimentum oritur ex Sponsalibus,*
264. *Et ex matrimonio Rato.*
265. *Olim nuptiis, quartô,*
266. *Hodie primô tantùm gradu conjunctorum obstat:*
267. *Nisi ortum sit ex matrimonio Rato.*
268. *Olim etiam irritis:*
269. *Hodie validis tantùm sponsalibus inducitur,*
270. *Si ea sint de futuro.*
271. *Ex illis olim in priùs initorum præjudicium contractûs:*
272. *Non etiam hodie oritur:*
273. *Nisi sint de Præsenti.*
274. *Publicæ Honestatis impedimentum non agit retro,*
275. *Sicut alia impedimenta.*
276. *Id ex sponsalibus fictis oriri, quidam affirmant.*
277. *Alij verisimiliùs negant.*
278. *Durat sponsalibus dissolutis;*
279. *Etiam mutuô consensu.*
280. *Quod hodie est indubitatum.*

CElebris sponsalium Effectus est 263.
Impedimentum Nuptiale, quod publicæ Honestatis Justitia nuncupatur: éstque quasi Affinitas ex inchoatione matrimonii per conjunctionem, non corporum, sed animorum inter sponsos orta: & conjugio cum ipsorum consanguineis contrahendo obstans. Non quidem ex Naturalis aut Divini, ut omnes facilè concedunt: sed ex Ecclesiastici tantùm Juris dispositione, *can. Si quis desponsaverit* 11. *can. Si quis uxorem* 14. *can. Quidam* 31. *&c.* 27. *q.* 2. *c. Juvenis* 3. *c. Ad audientiam* 4. *c. Sponsam* 8. *hâc Rubr. c. Literas* 4. *de Desponsat. impub. & c. Unico, hîc in* 6. Ratio istius impedimenti introducendi justa fuit; quòd æquum justúmque, & publicæ Honestati ac decentiæ conveniens sit, impediri matrimonia: quibus sponsus cum sponsæ, quantumvis non per carnis, sed animi solius, sive liberæ voluntatis consensum sibi conjunctæ: aut hæc vicissim cum sponsi consanguineis copulatur, Vivianus *in c. Ad audientiam cit. pr. & ibi* Gonzalez *n.* 9.

Quæ ratio, cùm non solùm de spon- 264.
salibus de futuro: sed etiam, multòque magis de iis, quæ de præsenti ineuntur, sive ma-

sive matrimonio Rato procedat, publicæ Honestatis impedimentum etiam istô induci, cum Panormit. *in c. Sponsam cit. n.* 1. & Soto *in 4. dist. 41. q. unica art.* 2. rectè infert Sanchez *Lib. 7. disp. 70. num.* 1. cùm enim conjugium hoc ad inducendam Affinitatem non sufficiat, juxta pronuntiatum Benedicti Papæ, *can. Lex, 27. q. 2. Propinquitas sanguinis verbis dicitur, non efficitur*, & declarationem B. Pii V. *Motu proprio*, qui incipit *Ad Romanum, edito* 1568. & vinculum, quod ex eo exurgit, multò fortius sit eô, quod oritur ex sponsalibus de futuro, saltem publicæ Honestatis impedimentum inducet: quod *c. Ad audientiam cit. & c. Duo 12. de Desponsi. impub.* & præsertim *can. Si quis desponsaverit cit. & can. Si quis uxorem 17. q. 2.* textibus minimè obscurè proditum, rectè observat Pontius *Lib. 7. de Matr. cap. 35. num.* 2. & ante eum Gratianus post *can. citt.* §. *His omnibus q. cit.*

265. Etsi verò impedimentum hoc, sive ex sponsalibus sive ex matrimonio Rato ortum; juxta allegatos Juris antiqui textus, conjugium sponsi cum sponsæ, & vicissim istius cum sponsi consanguineis dirimat indistinctè: ac proinde usque ad quartum gradum inclusivè, instar Affinitatis, ut *arg. c. Non debet 8.* §. *Prohibitio, de Consang. & Affinit.* cum D. Thoma *in 4. dist. 41. q. unic. art.* 1. Panormit. *in c. Sponsam cit.* Franco *in c. Unic. cit. n. 3.* TT. ac JCT.is aliis docet *cit.* San-
266. chez *disp. 68. n. 8.* novissimè tamen à S. Synodo Tridentina ita restrictum est; ut conjugium non dirimat, nisi cum consanguineis, sponso aut sponsæ in primo gradu conjunctis, *Sess. 24. de Reformat. Matr.* cujus *cap. 3.* relati decreti tenor est, *Justitiæ publicæ honestatis impedimentum, ubi sponsalia quacunque ratione valida non erunt, sancta Synodus prorsus tollit; ubi autem valida fuerint, primum gradum non excedat; quoniam in ulterioribus gradibus jam non potest hujusmodi prohibitio absque dispendio observari.* Quô decretô, quia antiqui Juris correctorium est, & expressè de impedimento 267.
publicæ Honestatis, orto ex sponsalibus, loquitur, id, quod matrimoniô Ratô inducitur, non restringi; acproinde istud, usque ad quartum gradum etiam hodie extendi, DD. communis est sententia, approbata à B. Pio V. *cit. Motu proprio*, quô is, *Authoritate*, inquit, *Apostolica declaramus & definimus, decretum Concilii* relatum *omnino intelligendum esse & procedere in sponsalibus de futuro duntaxat: non autem in matrimonio sic, ut præfertur*, id est, de præsenti *contracto, sed in eo durare adhuc impedimentum in omnibus illis casibus & gradibus, quibus de Jure veteri ante prædictum Concilij decretum introductum erat: & ita ab omnibus judicari debere mandamus atque statuimus.* Consonat S. Congregat. Cardd. Concilii Interpp. declaratio, relata à Rebello *de Oblig. Justit. in Lib. 4. append. n.* 102. & Pontio *Lib. 7. de Matrim. cap. 35. n. 3.*

Præter hanc alia differentia inter Anti- 268.
quum & Novissimum Jus intercedit; illô enim, licèt publicæ Honestatis impedimentum ortum non sit ex sponsalibus solùm conditionatis, saltem ante conditionis eventum: & ex incertis, vg. quibus matrimonium promissum est Titiæ vel Caiæ, aut earum uni duntaxat sub conditione navis adventuræ: neque etiam ex invalidis ob defectum consensûs, ut sunt, quæ ab infante, furioso, amente, aut interveniente errore circa individuum personæ contrahuntur: neque ex initis in præjudicium sponsalium, priùs cum alio vel alia contractorum; ortum tamen est ex sponsalibus puris sive absolutis & certis, non initis in præjudicium priorum, quan-

tumvis aliunde, quàm ob defectum consensûs, vg. propter consanguinitatis, Affinitatis, Impotentiæ, Religiosæ professionis, vel Ordinis sacri impedimentum dirimens, invalida essent, per Constitutionem Bonifacii VIII. *c. Unic. cit.* relatam, Glossam *ibi V. Alia quavis* & Barbosam *n. 2.* Isto autē, sive novissimo Jure
269. Tridentini ex nullis sponsalibus invalidis oritur, ex quacunque causa vel impedimento illorum nullitas proveniat, *cap. 3. cit.*

270. Dixi, *Ex sponsalibus*, intellige iterum *De futuro*, non *De præsenti*, contractis; quia, circa impedimentū justitiæ publicæ Honestatis, ortum ex matrimonio Rato, à S. Synodo nihil immutatum, omnino liquet *Motu proprio cit.* acproinde impedimentum hoc, licet non oriatur ex matrimonio Rato invalido ob defectū consensûs, quòd vg. à furioso, amente, interveniente errore circa personæ individuum, fuerit contractum *c. Unic. cit. pr.* hodie tamen etiam inducitur ejusmodi matrimoniô, irritô propter impedimentum Consanguinitatis, Affinitatis, Impotentiæ &c. & probabiliùs etiam Clandestinitatis; quia etiam istius nullitas provenit aliunde, quàm ex defectu consensûs, scilicet ex absentia proprii Parochi vel duorum aut trium testium, tanquam solennitatis ad conjugii valorem requisitæ, à Trident. *Sess. cit. cap. 1. §. Qui aliter.* Quare in eo dispositioni *c. Unici cit.* locum esse, à Cardd. Concilii Interpp. Cōgregat. & Pii V. *Motu proprio cit.* declaratum, testes sunt Pontius *cit. cap. 35. n. 5. in fine*, & Palao *Tract. 28. disp. 4. p. 10. n. 3.*

271. Alia & notatu digna inter eadem Jura differentia est; antiquô enim sponsalibus de futuro, vg. à Titio cum Caia in præjudicium priorum, cum Bertha ipsius sorore celebratorum, initis, quantumvis essent invalida, tamen publicæ Honestatis Justitia, sponsalia atque etiam matrimonium cum Tullia altera Berthæ sorore (non cum ipsa Berthâ) contrahendum dirimens inducebatur, ut ex *c. Unic. cit.* verbis, *Per Publicæ honestatis justitiam ex secundis sponsalibus subsecutam*, directè: & ex verbis, *Non autem ad præcedentia dissolvendum, & ex priorum sponsalium vigore, ad matrimonium contrahendum cum prima remanet obligatus*, argumentô à contrario ductô infertur, Sanchez *cit. disp. 68. n. 23.* Novissimo 272.
autem Jure, ex ejusmodi sponsalibus in præjudicium priorum initis: eô ipsô; quòd irrita sint, nullum etiam, quod sponsalibus & matrimonio subsequentibus obstet, oritur impedimentum, ex Decreto *cap. 3. cit.*

An autem inducatur matrimoniô 273.
Ratô, dubitandi ratio est; quòd, si isto inducēretur, cum Bertha priùs inita sponsalia dissolvendi vim haberet; ut cum ipsa Titius validè copulari amplius non posset; cùm Regulæ instar receptum sit, sponsalia superveniente impedimento dirimente dissolvi; sic enim sponsalia cum una de futuro inita, per sponsalia de præsenti cum alia contracta, & ex his ortum ligaminis impedimentum, dissolvuntur, *c. 1. de Sponsa duor.* sic iisdem superveniens carnale commercium cùm sponsæ sorore efficit; ut sponsus non solùm huic, propter obstantem ipsi Justitiam publicæ Honestatis: sed etiam illi, propter Affinitatem, ex commercio illo exurgentem, matrimoniô jungi non possit *can. Si quis sponsam, 27. q. 2. c. Ex literis 8. & c. Veniens 9. de Eo, qui cognovit &c.* eademque ratio est cognationis spiritualis, voti solennis, tam sacri Ordinis susceptione, quàm Religionis professione editi &c.

Sed, licet hæc ita sint, aliter tamen 274.
res se habet cum publica Honestate; quia ista, li-

iſta, licet matrimoniô, vg. à Titio cum Caia Berthæ ſorore initô Ratóque, etiam hodie inducatur: &, quantumvis hoc (aliunde quàm ex defectu conſenſûs) nullum ſit, ſponſalibus tamen poſtea cum alia vg. Tullia altera Berthæ ſorore de futuro aut præſenti contrahendis obſtet: priùs tamen cum Bertha initis hujusmodi ſponſalibus derogandi ullam vim non habet, per expreſſum textum *c. Unici cit.* ubi Bonifacius VIII. *Ex ſponſalibus*, inquit, *puris & certis, dummodo non ſint nulla ex defectu conſenſûs, oritur efficax ad impediendum vel dirimendum ſequentia ſponſalia, vel matrimonia, non autem ad præcedentia diſſolvendum, impedimentum Juſtitiæ publicæ Honeſtatis.*

275. Ex qua deciſione eruitur latum diſcrimen, inter publicæ Honeſtatis ortum ex matrimonio Rato ex una: & Affinitatis, Cognationis ſpiritualis ac Legalis, voti Solennis, & ipſius etiam Ligaminis ſeu vinculi conjugalis, cum extranea ſive priori non cognata perſona contracti, impedimenta, ſponſalibus ſupervenientia, ex altera parte; cùm retroagendi, ſive priùs initis ſponſalibus præjudicandi vi, publicæ Honeſtatis Juſtitia nullâ: Affinitas autem cæteráque impedimenta dirimentia illis perinde, ut poſtea contrahendis ſponſalibus derogandi & retroagendi magnâ vi polleant, ut cum Gaëta *in can. Ad limina 30. q. 1. §. 4. n. 495.* Navarro *Manual. cap. 22. n. 57.* & aliis docent Sanchez *cit. diſp. 68. n. 24.* & Perez *diſp. 33. ſ. 3. n. 5.*

276. Dubium ulterius eſt, an publicæ Honeſtatis impedimentum oriatur ex ſponſalibus fictis, ſive exteriùs ſolummodo ſimulatis: Ratio dubitandi eſt; quia impedimentum hoc ab Eccleſia introductum eſt, ad publicam indecentiam, & ex hac provenientia ſcandala evitanda, *c. Juvenis cit.* ibi, *Propter honeſtatem Eccleſiæ:* quæ non minùs oriuntur ex ſponſalibus fictis; cùm in iſtis interni conſenſûs defectus omnino ſit occultus. Quâ ratione permoti *cit.* Sanchez *n. 14.* & Pontius *cap. 35. n. 10.* eósque ſecutus Gonzalez *in c. Ad audientiam n. 7. in fine*, ejusmodi fictis ſponſalibus publicæ Honeſtatis impedimentum induci, veriſimiliter cenſuerunt.

Multò tamen veriſimiliùs id cum 277.
Navarro *Manual. cap. 22. n. 7.* Rebello *de Oblig. Juſt. Lib. 3. q. 14.* & aliis negant Palao *cit. p. 10. n. 10.* & Gobat *Experient. Tract. 9. n. 368.* partim propter textus *c. Unici cit.* & *cit. cap. 3.* Tridentini: quorum priori ſponſalibus invalidis propter defectum conſenſûs, cujusmodi ſunt ficta: poſteriore verò, invalidis quacunque ratione, nullâ inter externâ & internam nullitatis cauſam factâ diſtinctione, impedimentum hoc induci negatur: partim verò; quòd publicæ Honeſtatis impedimentum ſit quædam quaſi Affinitas; & propterea, ſicut iſta, non ex attentata, ſed ex vera & per carnalem copulam conſummata conjunctione corporum, ſic illud, non ex ſimulata, ſed vera mutuáque animorum conjunctione debeat provenire, Unde, quod Palao *cit. n. 7.* monet, hac in re ſpectanda eſt inhoneſtas, non, quæ ex judicio hominum, ſed quæ ipſo contractu, à ſponſo cum ſponſæ, aut viciſſim ab iſta cum illius conſanguineis inito, oritur: & in ſponſalibus tantùm fictis, uti etiam propter aliud impedimentum omnino occultum irritis, non reperitur: licet impedimentum hoc & fictio nunquam innoteſcat: ſicut contrà in ſponſalibus validis occultis reperitur & matrimonii impedimentum inducit: licet, illa inita fuiſſe, nunquam innoteſcat.

Dubium denique eſt, an impedi- 278.
mentum hoc ſit perpetuum ita; ut non

ceſſet, quantumvis ſponſalia ex cauſa aliqua diſſolvantur.

Non ceſſare, quando ſponſalia diſſolvuntur per mortem alterius ſponſi, clarè habetur *can. Si quis Uxorem, can. Si quis deſponſaverit & c. Sponſam citt.* & cum Gloſſa *in c. Unic. in 6.* Joan. Andr. *ibid. n. 5.* Franco *n. 6.* & aliis tradunt Sotus *in 4. diſt. 41. q. unic. art. 2. concl. 2. ad finem.* & Sanchez *cit. diſp. 68. n. 20.*

Neque etiam, ſi diſſolvantur; quòd unus profeſſus Religionem, aut ſacro Ordine initiatus ſit, vel propter fornicationis aut aliam juſtam cauſam ab iis reſilierit; id enim ſupponere plerique & expreſsè tradere videntur Laiman. *Lib. 5. Tract. 10. p. 4. cap. 9. n. 3.* & *cit.* Perez *diſp. 8. ſect. 2. n. 5.*

279. Caſu autem, quò ea ſponſorum mutuo conſenſu diſſolvuntur, publicæ Honeſtatis impedimentum tolli, cum Guttierez *de Matr. cap. 103. n. 11.* contendunt *cit.* Pontius *cap. 36. n. 9.* Palao *cit. p. 10. n. 6.* & Barboſa *de Offic. Epiſc. alleg. 51. n. 188.* ducti aut verius decepti clarâ, & in ſpeciem firmâ ratione; quia ex unâ, S. Synodi Tridentinæ PP. *cap. 3. cit.* noluerunt impedimentum hoc ſponſalibus quacunque ratione invalidis induci: ex altera verò parte, à Congreg. Cardinal. Concilii Interpp. declaratum eſt, ſponſalia, quæ mutuo conſenſu diſſolvuntur, invalida eſſe, ut videre eſt apud Farinac. *ad cap. 3. cit.* & Rebell. *cit. Lib. 4. q. 4. n. 99.*

Sed omnino tenendum eſt, impedimentum iſtud ſponſalium, ſicut quacunque alia ratione, ſic etiam mutuo conſenſu facta diſſolutione non tolli; ac proinde perpetuum eſſe, ut cum *cit.* Sanchez *n. 20.* indubitatè defendunt Laiman. *cit. n. 3.* Perez *cit. diſp. 8. ſ. 2. n. 4.* Fagnanus *in c. Ad audientiam cit. n. 29.* & Gobat *Tract. cit. à n. 362.* Ratio eſt; quia, ſicut antiquo, ſic etiam noviſſimo Jure Tridentini, impedimentum hoc inducitur ſponſalibus validis, hoc eſt iis, quæ ſemel valida fuerunt: cujusmodi cùm etiam ſint, quæ poſtea ob diſſolutionem, mutuo conſenſu factam, evaneſcunt &, ſecundùm allegatam declarationem perinde, ut quæ aliò modò diſſoluta ſunt, non ampliùs valent, eò etiam caſu impedimentum hoc perſeverabit, *arg. can. Si quis Uxorem, can. Si quis deſponſaverit & c. Sponſam citt.* quod eorundē Eminentiſſimorū Eccleſiæ PP. & S. Concilii Trident. Interpp. ab Alexandro VII. die 10. Julii 1658. approbatâ & omnino indubitatâ declaratione firmant laudati Fagnanus & Gobat *l. citt.* *Jubente* enim 280
S. D. Alexandro VII. *propoſitum fuit in ſacra Congregatione Concilii, an ſponſalibus ab initio validè contractis, deinde mutuo conſenſu diſſolutis, ſit ſublatum impedimentum Juſtitiæ Publicæ Honeſtatis. Et pluries propoſitò dubiò ac maturè examinatò, tandem ſub die ſexto Julii 1658. Eminentiſſimi Patres, in antiqua ejusdem Concilii ſententia conſiſtentes, cenſuerunt, non eſſe ſublatum. Cujus ſententiæ unà cum rationibus hinc inde deductis & recentioribus ejusdem Congregationis in hac materia reſponſis facta relatione ad Sanctiſſimum, Sanctitas ſua die 10. ejusdem menſis prædictam Congregationis reſolutionem probavit, eandemque juſſit in dubium deinceps non revocari.* Caſum, cujus occaſione hæc declaratio à S. Congreg. emanavit, & pleniorem ejus tenorem dabunt laudati Fagnanus *in c. Ad audientiam cit. in fine* & Gobat *cit. Tract. 9. n. 358.*

TITU-

TITVLVS II.

De Desponsatione Impuberum.

IN summis negotiis apud Gentes bene institutas prolis procreatio, ad eámque maris ac fæminæ consociatio semper fuit; útque hæc firma & ad propagationem generis stirpísque & Reipublicæ functiones valituræ sobolis ferax esset, nuptias & sponsalia quoque ætate maturâ judicióque eorum, in quorum potestate contrahentes sunt, coalescere voluerunt.

ARTICULUS I.

De Ætate ad Sponsalia & Matrimonium requisita.

SUMMARIUM.

1. *Ætatis annum Sponsalia septimum:*
2. *Nuptiæ 14. aut 12. exigunt.*
3. *Ratio differentiæ inter illa & has,*
4. *Et in istis inter marem & faminam.*
5. *Ante eam ætatem sponsalia fere Naturali:*
6. *Matrimonium Positivô Jure non valet:*
7. *Nisi in illis ætatem præveniat usus rationis:*
8. *Qub absente, etiam matrimonium Naturali Jure irritum est,*
9. *Et sponsalia post 7. annum inita neutrum obligant.*
10. *Ab his validè initis impubes recedere nequit.*
11. *Pubes potest:*
12. *Nisi ea ratificârit.*
13. *Ætatem malitia supplet in matrimonio;*
14. *Et in sponsalibus;*
15. *Ut ex his publicæ Honestatis impedimentum oriatur.*
16. *Usus rationis, in septenni adesse præsumitur.*
17. *Ætatis anni esse debent completi,*
18. *Physicè:*
19. *Imò à momento ad momentum,*
20. *Saltem in sponsalibus.*
21. *Nuptias impuberum vim sponsalium habere Negantium,*
22. *Et Affirmantium Opiniones*
23. *Conciliantur.*
24. *Pubes impotens invalidè contrahit:*
25. *Nisi impotentia temporanea sit.*
26. *Impubes factus pubes, recedere potest à sponsalibus juratis:*
27. *Nisi contraxerit proximus pubertati:*
28. *Quod arbitrio judicis permittitur.*
29. *Culpâ saltem gravi vacat sponsalium:*
30. *Non etiam matrimonii ante legitimam ætatem contractus.*

Ætatem,

1. ÆTatem, quam prævenire non licet, Canones Ecclesiastici & nuptiis & his quoque præviis sponsalibus, at non eandem utrisque, & in illis etiam non eandem mari & fœminæ præscripserunt. Et ad sponsalia quidē septenniū in utrisque, *can. Unic. 30. q. 2. c. Literas 4. c. Accessit 5. &c. hâc Rubr. & c. Unic. pr. ibid. in 6. arg. l. In sponsalibus 14. ff. de Sponsal.* ad nuptias autem sive matrimonium in fœmina duodecimum, *c. Continebatur 6. Rubr. cit. arg. l. Falsus 11. §. 3. ff. Quod falso tut. auth. gest.* in mare autem decimum quartum ætatis annum requisiverunt, *c. Attestationes 10. c. Ex literis 11. hâc Rubr.*

2.

3. Ratio autem, majorem ætatem ad matrimonium, quàm ad sponsalia exigendi, fuit partim diversitas obligationis, in illo multò, quàm in his, majoris & firmioris; ac proinde multò majorem judicii maturitatem & consensûs libertatem exposcentis: partim verò; quòd ad illa sive ad sponsalia contrahenda sufficiat usus rationis, qui impletô septenniô regulariter præsens est *l. In sponsalibus 14. ff. de Sponsal.* ibi, *Si fieri ab utraque persona intelligatur, id est, si non sint minores., quàm septem annis & arg. l. Si infanti 18. §. fin.* junctâ *l. Potuit 5. C. de Jure deliberandi:* quarum *ll.* priori septenni permittitur aditio hæreditatis: posteriori ad hanc exigitur voluntas sive consensus, qui rationis usum in adeunte supponit: ad matrimonium verò præter illum etiam requiritur potentia generandi, sive habilitas ad copulam carnalem perfectam. Unde profluit

4. Ratio, majorem mari quàm fœminæ nupturæ ætatem constituendi; cùm enim, ut matrimonium legitimè coalescat, desiderentur duo, scilicet discretio sive usus rationis necessarius ad consensum, & facultas generandi; atque idcirco masculi quousque puberes & fœminæ quousque viri potentes, sive ad coitum esse ad prolis generationem aptum potentes sint, ad nuptias celebrandas non admittantur: & ad ejusmodi coitum potentia in fœmina citiùs & jam duodecimô, in mare autem tardiùs & decimô quartô primùm annô adesse plerumque soleat ac præsumatur à Jure, ad ea, quæ frequentiùs accidunt, respiciente, *l. Ex his 4. & l. Nam ad ea 5. ff. de LL.* non eandem sed diversam ætatem mari & fœminæ constituendi ratio justissima fuit, Tiraquell. *L. Connubial. 9. n. 38.* Guttierez *in Auth. Sacramenta puberum C. Si adversus Venditionem n. 1. & 2.* & Gonzalez *in c. Ubi non est 1. n. 2. hâc Rubr. n. 7.* Rationem diversitatis sive, cur fœminæ citiùs viris pubescant & ad coitum potentes sint, cum Philosopho *Lib. 4. de Generat. animal. cap. 6.* idem Tiraquellus *Syntagmat. Lib. 9. cap. 7. n. 9.* eam reddit; quòd, licet intra matris uterum tempore fœmina longiorè quàm mas, ubi tamen in lucem venerint, breviori illa quàm iste tempore perficiatur; nam & pubertate & vigore & senectute & obitu marem fœmina propter suam debilitatem & imperfectionem plerumque ante vertit; cùm, sicut in artis, sic & in naturæ operibus, quæ minora, debiliora minúsque perfecta sunt, ad finem citiùs pertingant, deficiántque.

§. Quoad ætatem ad sponsalia & matrimonium requisitam ea etiam, & bene notanda, differentia est; quòd illa, ante septennium impletum contracta, Regulariter Naturali: istud autem, ante duodecimum à fœmina, & à mare ante decimum quartum annum contractum, irritum Regulariter tantùm sit Jure Positivo; cùm à rationis usu, ante septennium impletum regulariter non præsente, pendens consensus, sicut ad quemcunque alium,

§.

que alium, sic etiam ad sponsalitium contractum Naturali, ut per se constat: potentia autem generandi ultra consensum ad valorem matrimonii Jure solùm Positivo requiratur, Gonzalez *in c. Ubi non cit. n. 7.* Gobat *Experient Tract. 9. n. 450.* & propterea ab impuberibus præditis usu rationis inita matrimonia inter Infideles, seclusâ lege, ea irritante, pro validis rectè habeant Gonzalez *l. cit.* & Henriquez *Lib. 11. cap. 7. n. 1.* & cum ejusmodi Fidelibus, infra pubertatis annos constitutis, ad matrimonium validè ineundum dispensari à Papa posse, & dispensatum fuisse, omni exceptione major testis sit Navarrus *Consil. 4. hâc Rubric.* apud *cit.* Gobat *n. 610.*

7. Dixi, *Regulariter*, Imprimis de sponsalibus; quia, si usus rationis septennium antevertat, sponsalia ante istud impletum inita subsistunt, saltem de Jure Naturali, ad ea plus non exigente, quàm consensum, in eo, qui usum rationis habet, non deficientem, *l. Sufficit 4. & l. In sponsalibus 14. ff. de Sponsal.* quia septennium à Jure tantùm præscribitur; ut consentiendi vis adesse præsumatur, Joan. Andr. *in c. Juvenis 3. de Sponsal. n. 9.* & Alexand. de Nevo *ibid.*

8. *n. 10.* Deinde de matrimonio; quia usu rationis absente, sicut sponsalia post septennium, sic etiam & multò magis, ipsum quoq; matrimoniũ à fœmina duodecim, & à mare quatuordecim annis majore contractum, irritum est Jure Naturali, ut nemo inficiatur; cùm ejus contractus sit actus humanus, qui usum rationis supponit, Perez *disp. & s. 5. n. 7.*

9. Porro ex eo; quòd sponsalia infra septennium celebrata Regulariter, quando scilicet usus rationis eam ætatem non antevertit, Jure Naturali irrita sint, duo inferuntur. Primum est; quòd ea etiam post septennium jam impletum non obligent, quantumvis septenniô major ipsis non contradicat: nisi ea postea ratificet, *c. Unic. cit. pr.* vel expressè, puta verbis, scriptô, nutu aut aliis signis: vel tacitè vg. alteri cohabitandô, munera mittendô, aut alia, quæ sponsi & eôdem modô, quô isti solent, faciendô, ut *in c. Literas cit.* cum Glossa *V. Placere*, notat Barbosa *n. 2.* & explicat Sanchez *Lib. 1. disp. 16. n. 6.* Alterum; quòd à sponsalibus cum infante seu nondum septenni initis, resilire valeat non tantùm iste: sed etiam, qui cum eo contraxit: licet septenniô major & pubes jam sit; quia sponsalia sunt promissio mutua; ac proinde iis, propter ætatis ad validam promissionem requisitæ defectum, in uno irritis, non tenebitur alter, Zabarella *in c. De illis cit. n. 2.*

Aliter res se habet cum sponsalibus 10. contractis ab impuberibus & habentibus usum rationis; talia enim Imprimis impuberes ita obligant; ut ante pubertatis annos resilire, eáque dissolvere non possint, *c. De illis 7. & c. A nobis 8.* etiam mutuo consensu utriusque, ut patet ex *c. De illis cit.* verbis, *Sive uterque sive alter reclamet*; & *ibi* notant Panormit. *n. 9.* Joan. Andr. *n. 4.* & Anchoran. *n. 2.* ne propter fragile & lubricum judicium sponsalia facilè, & sæpè temere contrahant, iterúmque dissolvant. Deinde, licet pubertatis, hoc est, à fœmina duodecimô & à mare decimô quartô ætatis annis impletis, reclamare & à sponsalibus recedere à Jure, immaturo puerorum judicio ita consulente, permittatur uterq; *cc. citt.* tamen, si pubes factus id non faciat statim, hoc est, triduô ante vel post pubertatem, *arg. l. fin. C. de Judiciis & l. fin. C. de Errore advocat.* secundùm *citt.* Joan. Andr. & Anchoran. *n. 4.* sponsalibus firmiter obligatur; quòd non statim reclamans videatur consenti-

11.

12.

re, ut cum iisdem & *cit.* Alex. de Nevo *n.* 15. tradunt Covarruvias *de Sponsal. p.* 1. *cap.* 5. §. 1. *n.* 2. & *cit.* Sanchez *disp.* 51. *n.* 14. Denique, licet ex duobus sponsis impuberibus, is, qui priùs factus est pubes, resilire, alterius pubertate non expectatâ, possit, *c. De illis* 7. *cit.* §. *Si verò*: resilire tamen nequit is, qui jam pubes cum impubere, sponsalibus stare volente, contraxit, *c. cit.* §. *Mulier* 1. ut *ibi* notant Joan. Andr. *cit. n.* 4. Alexand. de Nevo *n.* 16. & Barbosa *n.* 5. Unde

13. Dubium oritur primò, an malitia, sive potiùs prudentia, in sponsalibus suppleat defectum ætatis sive, an valida sint sponsalia, inita ante septenniũ, si eô tempore adsit usus rationis. Et illâ quidem ætatis defectum suppleri in matrimonio, ut hoc à fœmina ante duodecimum & à mare ante decimum quartum ætatis annum validè contrahatur, si usus rationis & generandi potentia eô tempore adsit, clarè decisum *cit. c. De illis* 7. & ratio est; quòd in contrahendo matrimonio attendatur habilitas ad generationem & capacitas doli, sive discretio ad intelligendam vim consensûs conjugalis, *c. fin.*

In sponsalibus autem malitiâ seu potiùs prudentiâ ætatis defectum suppleri, illâque à nondum septenni, usum rationis jam habente, validè contrahi, cum Panormit. *in c. Juvenis* 3. *de Sponsal. n.* 5. negant Brunell. *de Sponsal. conclus.* 4. *n.* 5. Alexand. Carerius *de Sponsal. Lib.* 1. *cap.* 7. & ex RR. Palao *Tract.* 28. *disp.* 1. *p.* 6. *n.* 8. propter textus *c. Literas*, *c. Accessit citt.* & *c. Ad dissolvendum* 13. quibus ante septennium inita sponsalia pro nullis generaliter habentur. Rationem reddunt; quòd, si ante septennium inita subsisterent, frustra à Jure septenniũ præscriberetur; cùm præsente rationis usu valerent ante: eô verò absente, etiam post septennium inita non valerent. Unde designatio septennii nullum haberet effectum. Ita isti, & spectatis præsertim *citt.* textibus satis probabiliter.

Nihilominus, sicut communior, sic etiam probabilior est sententia D. Thomæ *in* 4. *dist.* 27. *q.* & *art.* 2. Joan. Andr. *in c. Juvenis cit. n.* 9. Alexand. de Nevo *ibid. n.* 19. Sylvestri *V. Sponsalia*, *q.* 2. *d.* 2. Covarruviæ *p.* 1. *cit. cap.* 2. *n.* 1. Guttierez *in Auth. cit. n.* 5. & aliorum præcipui nominis TT. & Canonistarum, à Sanchez *Lib.* 1. *disp.* 16. *n.* 9. relatorum: quibuscum iste pro validis habet sponsalia, à nondum septenni, sed rationis usu jam prædito, contracta. Moventur primò decisione *c. Juvenis cit.* quâ invalidum declaratur matrimonium, propter Justitiam publicæ Honestatis ortam ex sponsalibus, initis cum puella nondum septenni. Unde clarè infertur, sponsalia illa fuisse valida, ætatisque defectum malitiâ suppletum, ut *ibi* cum Glossa *finit.* notat Barbosa *n.* 9. quia ex sponsalibus invalidis ob defectum consensûs, cujusmodi sunt, quæ ob defectum ætatis septennalis invalida sunt, publicæ Honestatis impedimentum, etiam ante Concilium Tridentinum non ortum, patet ex *c. Unico*, *de Sponsal. & Matr. in* 6. & *ibi* adnotat Barbosa *n.* 4. Secundò paritate cum matrimonio, ad quod sponsalia sunt via & dispositio; ideóque locus est *arg. l. Oratio* 16. *ff. de Sponsal.* præsertim cùm ad ista intelligentia, quid agatur, *l. In Sponsalibus cit.* & nudus consensus sufficiat de Jure Civili, *l. Sufficit.* 4. *ff. ibid.* quod à sacris Canonibus non correctum: sed solummodo definita est ætas, quâ ejusmodi intelligentia & consensus adesse præsumatur. Tertiò ratione; quia malitia ætatẽ in matrimonio ideo supplet; quia præter discretionem potentia generandi decimũ quartum in mare & in fœmina duodecimũ ætatis annum

14.

num aliquando antevertit. Unde, cùm etiam usus rationis aliquando antevertat annum septimum, ætatis defectum prudentia etiam in sponsalibus supplebit, ut rectè arguit Perez *disp. 5. s. 6. n. 8.*

16. Neque propterea frustranea est assignatio septennii; quia ante hoc impletum abesse: eò verò impletò, adesse præsumitur usus rationis ex dispositione *c. Literas, & aliorum textuum citt.* ante septennium inita sponsalia pro irritis habentium ex præsumptione usûs rationis, eâ ætate absentis: cujus præsumptionis certus usus est, quoties dubium est, an usus rationis adsit; cùm, si istius usus exploratus non sit, ante septennium abesse, & adesse præsumatur post septennium impletum, Joan. Andr. *in c. Juvenis cit. n. 9.* Alex. de Nevo *ibid. n. 10.* & Sanchez *l. cit. n. 10.*

17. Dubium secundò est, an casu, quô malitia vel potiùs prudentia ætatis defectum non supplet, septimus ad sponsalia, & ad matrimonium requisitus duodecimus & decimus quartus annus completus esse debeat Physicè, vel solùm Moraliter; ut completus censeatur, cui unus vel etiam duo aut tres dies desunt. Moraliter completum sufficere, cum Joan. Andr. *in c. Literas cit. n. 2.* sentire Guttierez *de Matrim. cap. 2. n. 7. & 8.* & Rebellus *de Oblig. Justit. Lib. 3. q. 26. sect. 2. n. 13.* & suadere videtur ratio; quia, quod parùm distat, nihil distare videtur, secundùm Aristot. *Lib. 2. Physic.* neque id immeritò; cùm parùm & nihil æquiparentur etiam à ICT.is

18. Contrà Sanchez prædictos annos ita completos exigit; ut ne una quidem dies desideretur: etsi ultimum diem inchoatũ, favore matrimonii, pro completo habendum, censeat in sponsalibus *Lib. 1. disp. 16. n. 4.* in matrimonio autem *Lib. 7. disp. 104. n. 1. & 2. arg. l. Quâ ætate 5. ff. de Testament.* quem præter alios novissimè secutus est Carol. Antonellus *de Temp. Legali Lib. 2. cap. 4. n. 3.* & alii.

Neque Regulæ Aristotelicæ vel *l. Quâ ætate cit.* argumento in proposito casu est locus, ut cum Pontio *Lib. 7. cap. 65. n. 1.* observant Palao *Tract. 28. disp. 6. p. & n. 6.* Perez *de Matrim. disp. 37. sect. 12. n. 4.* & Gonzalez *in c. Accessit 5. hâc Rubr. n. 4.* qui ad matrimoniũ & ad sponsalia prædictos annos, & istorum dies ultimos omnino completos exigunt; quia ex una, à Jure præscribitur certa & completa ætas, ad sponsalia quidem septennis, *c. Literas* ibi, *Antequam septimum annum implevisset, c. Accessit, c. Ad dissolvendum citt.* ad matrimonium verò duodecim & quatuordecim annorum, *c. Ex literis cit.* ibi, *Donec compleat puer annum decimum quartum.* Ex altera verò parte, quando certa ætas à Jure præscribitur, non potest præveniri; imò currit à momento ad momentum, *arg. l. Denique 3. §. 3. ff. de Minoribus:* uti etiam patet ex bimestri, ad Religionis ingressum conjugibus post matrimonium ratum indulto, *c. Ex publico 7. de Conversi. conjug.* & ex decimo sexto ætatis, & integro probationis anno ad Professionem requisito à Concilio Trident. *Sess. 25. cap. 15. de Regular.* quorum mensium & annorum ultimam diem cæptam pro completa non haberi, communis sensus est DD.

19. Neque aliud persuadet *l. Quâ ætate cit.* quia istius dispositio est specialis; ac proinde ad propositum nobis casum non extendenda; præsertim cùm non sit eadem ratio; ætatem enim testatori præscriptam moraliter accipi, ei favorabile & nequaquam onerosum est: sponsalia autem, matrimonium & professio non tantùm favorem; sed etiam onus & gravissimam perpetuámque obligationem

aſſerunt, ut rectè monet *cit.* Palao *n. 7. in fine.*

20. Hæc RR. Opinio, licet aliis præ-valeat, à Juris tamen Regulis & princi-piis non aberraturus videretur, qui pro-pter allatam rationem ſeptennium qui-dem ita completum exigeret in ſponſa-libus: in matrimonio autem, propter ſpecialem iſtius favorem, ultimam diem inchoatam pro completa haberet.

21. Dubium tertiò eſt, an matrimoni-um initum inter puberem & impuberem, vel duos impuberes, in quibus malitia ætatis defectum non ſupplet, valeat in vim ſponſalium. Ratio dubitandi eſt; quòd impuberes matrimonium contra-hentes revera non ſponſalia, ſed matri-monium contrahere intenderint; ac pro-inde, ſicut conjugalem, ſic etiam ſpon-ſalitiam obligationem non contraxerint; quia actus agentium non operantur ultra eorum intentionem, *arg. l. Non omnis 19. ff. Si certum pet.* Unde in impubere ma-trimonium contrahente locus eſt Regulæ, *Quod voluit*, ſcilicet matrimonium, *non potuit*, *quod potuit*, ſcilicet ſponſalia, *non voluit*: cui, quoties de contrahenda obligatione agitur, locum eſſe, docet Bar-tol. *in l. 1. §. Si quis 2. ff. de V.O. n. 5.* Atque hac ratione perſuaſi Petr. Ledeſma *de Matrim. q. 45. art. 4. p. 2. poſt dub. 4.* & noviſſimè Lud. Engel *ad hanc Ru-bric. n. 10.* ab impubere matrimonium contrahere volente nihil agi; proindéque etiam ſponſalitiam obligationem non contrahi, cenſuerunt. Quorum Opi-nio non parùm firmatur *l. Quæſitum 9. ff. de Sponſal.* quâ matrimonio, ob de-fectum ætatis invalido, licet præcedentia ſponſalia non deſtruat, hæc tamen indu-

22 cendi vis expreſsè negatur. Contrà In-terpp. in *c. fin. de Deſponſat. impub. & c. Unico, eodem in 6.* & cæteri DD. ejus-modi impuberes obligatione ſaltem ſpon-ſalitiâ teneri, *cc. citt.* clarè deciſum; & propterea in illo procedere volunt Re-gulam; *Si actus non valet, ut ago*, hoc eſt, ut matrimonium, *valeat meliori modò, quò poteſt*, hoc eſt, ut ſponſa-lia, *arg. l. Si tam anguſti 17. ff. de Ser-vitutibus.*

Poſterioris hujus & meò judiciò po- 23.
tioris ſententiæ veritas, ut clariùs pateat, adhibere juvat diſtinctionem; vel enim impuberes, contrahendò matrimonium, ſponſalia intentione ſuâ expreſsè exclu-ſerunt, vel non? Si poſterius hoc, ex cla-ra deciſione *citt. c. fin. & c. Unici §. Idem quoque*, obligatione ſaltem ſponſalitiâ te-nentur; quòd, licet expreſsè intenderint ſolum matrimonium & actualem tradi-tionem juris in corpora ad actus conju-gales, ex præſumptione tamen ſive in-terpretatione Juris Eccleſiaſtici & virtua-liter, ſi matrimonium ſive ejusmodi tra-ditio fortè ex defectu ætatis non valeat, intendiſſe cenſeantur ſponſalia, ſive mu-tuam obligationem ad ejusmodi actualem traditionem faciendam, cùm poterunt, juxta *cit.* Regulam, *Si actus non valeat, ut ago &c.* Ita cum Gloſſa *in §. Idem quoque cit. V. Matrimonium*, Franco *in §. cit. n. 2.* Brunello *de Sponſal. concluſ. 6. n. 2.* Covarruvias *p. 1. cit. cap. & n. 3. &c. cit.* Sanchez *diſp. 21. n. 2.* Si prius, ſicut matrimoniali, quàm voluerunt, ob defectum ætatis; ſic ſponſalitiâ quoque obligatione, quam noluerunt, ob de-fectum conſensûs, non tenentur, ut cum Sylveſtro *V. Matrimonium 5. q. 8. in fi-ne*, iidem docent *n. 3.* quòd *cc. & §. citt.* textus occultam contrahentium voluntа-tem ſolùm interpretentur: non adver-ſentur expreſſæ, ut clarè indicatur ver-bis, *Quæ Juris interpretatione fuerunt ſponſalia de futuro*, §. *cit.*

Neque obſtat *l. Quæſitum cit.* quia, cùm de matrimonio & ſponſalibus agi-tur, ſtan-

tur, standum est Jure Ecclesiastico, quô illa Civilis dispositio est correcta, ut ex communi aliorum DD. sensu rectè monet Gonzalez *in c. fin. cit. n. 4.*

24. Dubium quartò est de valore matrimonii initi ab iis, qui impletis annis pubertatis nondum sunt potentes. Ratio dubitandi desumitur partim à paritate sponsalium irritorum: si contrahentium alter septimô quidem major, sed nondum præditus est usu rationis: partim ex eo; quòd puberes de Jure sint, qui sunt potentes, *c. Puberes 3.* unde, qui tales non sunt, ad matrimonium validè contrahendum inhabiles esse videntur, Glossæ *in c. cit. V. Tardissimè*, cujus Opinionem de Jure veriorem censet Panormit. *in c. cit. n. 4.*

25. Sed, sicut eôdem teste æquior, sic veritati conformior est Opinio aliorum, qui extra casum, quô impotentiâ perpetuâ laborant, à fœmina duodecimum & à mare decimum quartum ætatis annum egressis, sed nondum potentibus, matrimonium validè iniri docent ex ratione; quòd impotentia solùm temporanea, quâ illi laborant, matrimonium dirimat Jure solùm Positivo, potentiam præsentem, eô solùm casu, exigente, quô matrimonium ante duodecimum à fœmina & à mare ante decimum quartum annum initur, *c. De illis 9. cit.* aliàs enim triennium ad experiendum, an impotentia perpetua sit, non daretur *c. Laudabilem 5. de Frigid. ac Malefic.* sed conjugium illicò esset dissolvendum. Ita cum Joan. Andr. & Alex. de Nevo *in c. Puberes cit. n. 8.* Sylvestro *V. Matrimonium 5. q. 7.* & Covarruvia *de Sponsal. p. 2. cap. 5. n. 2.* alii DD. multi à Sanchez *Lib. 7. disp. 104. n. 15.* congesti.

Neque hac in re paritas est matrimonii cum sponsalibus; quia ad hæc usus rationis Naturali: ad illud autem præsens potentia ad copulam Jure solùm Positivô requiritur.

Dubium & controversia quintò est 26. an impuberes, pubertatem adepti, resilire valeant à sponsalibus juratis. Quod *in cit. c. De illis 7.* cum Glossa *V. Judicio*, Panormit. *n. 6.* & Alex. de Nevo *n. 13.* & Anchorano *in c. Ex literis 10. de Sponsal. n. 3.* negant *citt.* Covarruv. *cap. 5. §. 1. n. 3.* & Sanchez *disp. 51. n. 22.* propter textum *c. Ex literis cit.* quô, impuberes, ut sponsalia juramentô firmata impleant, monendos: &, si monitis non acquiescant, Censuris compellendos, habetur.

Sed verius, illis resilire volentibus, juramentum non obstare, cum Joan. Andr. *in c. cit. n. 3.* & aliis tam VV. quàm RR. defendunt Pontius *Lib. 12. cap. 9. n. 8.* & Perez *disp. 9. s. 2. n. 8.* permoti solenni ratione; quòd juramentum sequatur naturam & conditiones actûs & obligationis, cui est adjectum, *l. fin. C. de Non numer. pec.* nisi aliud Jure sit expressum. Unde tacita conditio, *Nisi pubes factus reclamem*, sicut in impuberum sponsalibus, *c. De illis cit.* sic etiam in adjecto his juramento includitur. Neque de isto aliud expressum est *c. Ex literis* in contrarium allegatô; quia impuberes, de quibus eô 27. sermo est, fuerunt proximi pubertati; ut inter eos, malitiâ ætatem supplente, matrimonium consistere potuerit, juxta *c. illis 9.* quod ex verbo, *Impubescentes*, hoc est, propè puberes, satis colligi, cum Cuiacio in *c. cit.* advertit Pontius *cit. n. 9.* & ex eo; quòd Alexander III. ibi fœminam in uxorem recipi & maritali affectu pertractari jusserit: quod fieri, nisi in pubertati proximis, non potest, Perez *l. cit.*

Sed, inquies, quando impubes pu- 28. bertati proximus censetur? Menoch. *de Arbitr. casu 57.* & Sanchez *cit. disp. 104.* cùm *à num. 37.* Doctorum varias opiniones retulissent, tandem ille *n. 43.* iste verò *n.*

verò *n. 40.* & cum ipsis Farinacius *Prax. Criminal. q. 91. à n. 4.* & Paul. Zacchias *Q. Q. Medico-Legal. Lib. & Tit. 1. n. 24.* propter temperamenti, à quo ea pendet, nimiam diversitatem, relinquunt arbitrio judicis: cujus prudentiæ, licet hac in re multùm, & meritò, tribuat, à Jure tamen Ecclesiastico pubertati proximam fœminam Regulariter undecimo, saltem ad finem vergente, & sub duodecimi initium, acproinde, marem sub finem decimi tertii & decimi quarti anni initium jam censeri, *in c. Continebatur 6.* existimat Gonzalez *n. 5.*

29. Dubium sextò est, an sponsalia vel matrimonium ante legitimam ætatem contrahentes peccent. Cui ansam præbet *c. Ubi non est 2.* quô relatum Nicolai I. rescriptum est, *Districtiùs inhibemus; ne aliqui, quorum uterque vel alter ad ætatem legibus vel canonibus determinatam non pervenerit, conjungantur: nisi fortè aliqua urgentissima necessitate interveniente, utpote pro bono pacis talis conjunctio toleretur.* Quem textum licet de sponsalibus de futuro contrahendis cum Glossa *V. Conjungantur*, Ant. de Butr. *n. 7.* Joan. Andr. *n. 5.* Alex. de Nevo *n. 10.* exaudiat Sylvester *V. Sponsalia, q. 3. d. 1.* meliùs tamen cum Panormit. *n. 3.* & Præposito *n. 2.* de ipso matrimonio intelligunt *citt.* Sanchez *disp. 17. n 4.* Pontius *Lib. 12. cap. 5. n. 3.* Palao *Tract. 28. disp. 1. p. 6. n. 11.* & Wagnereck *in 6. cit. V. Ne aliqui*, id desumentes ex verbis, *Ne conjungantur*; cùm sponsalia propriè non personarum conjunctio, sed ab iis duntaxat faciendæ conjunctionis promissio sint. Unde, ante septennium initum sponsalium contractum gravi & verisimiliùs omni culpâ vacare, sentiunt DD. *citt.* cùm; quòd ejus prohibitio alia non extet: tum verò; quòd illorum contractu, ante septennium initô, ulla personæ tertiæ injuria aut Sacramento irreverentia non irrogetur.

Simili modô ab impuberibus, in quibus ætatem malitia non supplet, celebratum contractum matrimonialem à gravi saltem culpa excusant laudati Sanchez *n. 6.* Pontius *n. 4.* & Wagnereck *V. cit.* saltem, si copulam carnalem non attentent. Ducuntur *c. fin. c. Unicô §. Idem quoque in 6.* & aliis textibus, contractum per verba de præsenti, ut aiunt, permittentibus: quibus ne recitata *c. Ubi non est cit.* verba obstent, ea accipiunt de conjunctione per copulam carnalem, aut saltem cum ista conjuncta. Rationem reddunt; quòd, cùm impuberum matrimonium Juris interpretatione vim habeat solorum sponsalium de futuro, §. *Idem quoque cit.* sicut istorum, sic & illius, contractu tertiæ personæ & ipsi Sacramento injuria vel irreverentia non inferatur. Verùm quia neque *c. fin. & §. Idē citt.* neque aliis Juris textibus ipsum matrimonium impuberibus permittitur: sed factum tantùm sine ulla ejus approbatione narratur, & illi sola sponsalium vis adstruitur, de ejusmodi contractûs matrimonialis permissione perperam accipiuntur, contra anteriorem Nicolai Papæ constitutionem *c. Ubi non cit.* in contrarium satis apertè militantem, partim; quia Districtè inhibet; ne aliqui ante ætatem legibus & canonibus definitam conjungantur: partim verò; quia Apostolica hæc inhibitio restringi nequit ad conjunctionem carnalem; cùm conjunctionem, quam impuberibus vetat, permittat pro bono pacis, quô etiam urgente conjunctio per carnalem copulam illicita est impuberibus, in quibus malitia sive generandi potentia adesse & defectum ætatis supplere non judicatur.

Quare hujusmodi impuberum contractum matrimonialem extra casum, quô ex urgen-

ex urgentissima vg. conciliandæ vel conservandæ pacis causa initur, à gravi culpa excusari cum, Hostiensi *in c. cit. pr.* & Alex. de Nevo *n.* 2. verisimiliùs negant Paludan. *in 4. dist. 28. q. 2. art. 1. à n. 8.* Sylvester *V. Matrimonium* 5. *q. 6.* Navarrus *Manual. cap. 22. n. 31.* Petr. Ledesma *de Matrim. q. 43. art. 2. dub. 3. & cit.* Palao *n. 13.* quòd *c. Ubi non est cit.* Papa utatur gravibus verbis *Districtiùs inhibemus*, denotantibus seriò impositum præceptum vel prohibitionem, per tradita ab Archidiacono *in can. Interdixit 16. dist. 32.* saltem si materia sit gravis, ut cum Suarez *Lib. 5. de LL. cap. 3. n. 6.* & aliis dictum est *Lib. 1. tit. 2. n. 79.* Esse autem *c. Ubi non cit.* propositi casûs materiam gravem, nemo facilè inficias ibit; cùm impuberum, in quibus generandi potentia ætatis defectum non supplet, conjunctione matrimoniali (eô ipsô; quòd quantùm in ipsis est matrimonium contrahere intendant) attentetur Sacramenti invalidi administratio: quæ, quòd illius irreverentiam contineat, extra urgentissimæ necessitatis casum toleranda non est.

ARTICULUS II.

De Consensu Parentum.

SUMMARIUM.

31. *Magna Authoritas parentum est in conjugiis liberorum:*
32. *Quæ tamen, his invitis, non contrahuntur.*
33. *Licet, invitis parentibus, validè à liberis ineantur,*
34. *De Jure saltem Ecclesiastico moderno:*
35. *Imò & antiquo,*
36. *Ad nuptias à parentibus electas liberos, obligari asserentium,*
37. *Et negantium verior Opinio,*
38. *De Jure saltem Canonico moderno.*
39. *Ad consilium tamen parentum requirendum liberi tenentur.*
40. *Leges Civiles, exhæredationem liberorum indignis nubentium permittentes, impugnantur:*
41. *Et magnâ ratione desenduntur.*
42. *Non ladunt libertatem matrimonij,*
43. *Nec Jure quæsito liberos privant.*

QUantumvis parentum, & patris præsertim in contrahendis liberorum conjugiis magna semper, eáque fuerit authoritas; 31. ut, quæ sine illorum consensu inita sunt, Civili & Canonico etiam Jure justæ honestæque nuptiæ non censerentur, *l. Nuptiæ 18. ff. de Ritu nupt. l. Nec filium 12. C. & pr. Instit. de Nuptiis, can. Videtur, 35. q. 6. c. Videtur 3. Qui matrim. accus. & c. 1. hâc Rubr.* tanta tamen non fuit; ut liber- 32. tas omnis liberis adimeretur, & non eorum quoque desideraretur assensus, *l. Filiofamilias 13. ff. de Sponsal. l. Non cogitur 21. ff. de Ritu nupt. can. Nostrates 30. q. 5. c. Unic. pr. & §. fin. hîc in 6.* Imò hos contradicentes aut non consentientes matrimonio jungi non potuisse, constat ex *l. Filio, l. Nec filium citt. & can. sufficiat. 2.* ibi, *Qui, nuptiis jungendorum consensus, Si solus defuerit, cætera frustrantur, 27. q. 2.* cui consonat *c. fin. de Sponsa duor.*

Sicut sine istorum, sic etiam sine parentum consensu inita conjugia irrita esse, Corrasius *Lib. 1. Miscell. cap. 27.* Connanus *Lib. 8. cap. 4. n. 6.* & veteri quoque Ecclesiæ Jure fuisse, Pontius *Lib. 2. de Matrim. cap. 1. n. 5.* existimant, & satis clarè proditum videtur utroque: Civili quidem Jure *pr. & l. Nuptiæ citt. & l. Nuptiæ 11.*

ptiæ 11. *ff. de Ritu nupt.* quos textus præ oculis habuit Clemens III. cùm sine consensu parentum secundùm Leges nullum matrimonium fieri posse, asseruit *c. Videtur* 3. *cit.* Ecclesiastico autem *can. Aliter* 30. *q.* 5. ubi Evaristus Papa, *Aliter*, inquit, *legitimum non sit conjugium, nisi à parentibus* &c. *Sponsetur*, & *can. Nostrates cit.* quò relatum Nicolai I. ad Bulgarorum Consulta responsum est, *Nuptialia fœdera consensu eorum, qui hæc contrahunt, & eorum, in quorum potestate sunt, celebrantur.*

Sed esto, sine illorum consensu inita
33. liberorum conjugia Iure Civili irrita fuisse, Corrasio & Connano concedatur propter *ll. & c. Videtur citt.* quod tamen Cuiacius *Lib. 3. Observat. cap.* 5. & Costanus *de Sponsal. Tit. de Ritu nupt. n.* 101. negant, ejusmodi nuptias hoc Jure injustas quidem, hoc est, illicitas: at non in-
34. validas fuisse, asserentes: Ecclesiasticô tamen, tam veteri quàm modernô Jure, conjugia solô liberorum consensu inita substitisse; ac proinde consensum parentum ad illorum valorem necessarium non fuisse, contra Pontium *l. cit.* defendunt Covarruvias *p.* 2. *de Sponsal. cap.* 3. §. 8. *à n.* 1. Bellarminus *Lib.* 1. *de Matrim. cap.* 19. *&* 20. cæteríque TT. & Canonistæ passim: & de moderno quidem id indubitatum reddidit S. Synodus Tridentina, illos, qui matrimonia à filiisfamilias, sine parentum consensu contracta, irrita falsò affirmant, anathemate damnans *Sess.* 24. *cap.* 1. *pr. de Reformat. Matrim.*
35. De veteri quoque Jure id planum est ex *can. Sufficiat cit. c. Cùm virum* 12. *de Regular. c. Causa* 6. *de Raptoribus*, & non obscurè colligitur ex *c. Cùm locum* 14. *c. Cùm apud* 23. *c. Tuæ* 25. *de Sponsal. & matrim.* quibus textibus de consensu ad matrimonium necessario agitur: & solius id incuntium, nulla autem paterni consensûs mentio fit. Ratio non minùs clara quàm solida est; quia matrimonium est aliquid spirituale; cùm sit unum ex septem Novæ & Evangelicæ legis Sacramentis, *c. Debitum* 5. *de Bigamis* & laudatæ S. Synodi *Sess.* 7. *& Sess.* 24. *utrobique can.* 1. In spiritualibus autem patria potestas non attenditur, *c. fin. V. fin. de Judiciis, in 6.* eámque ob causam filius invitô patre professionem in Religione, à sede Apostolica approbata, emittere potest, *l. Deo nobis* 56. *C. de Episc. & Cleric. c. Cùm virum cit.* &c. à qua, tanquam conjugio spirituali, quando eadem utriusque ratio est, argumentum rectè ducitur ad carnale, *arg. c. Inter* 2. *de Transl. Episc.* Everard. *Legalium argum. loco* 33. *num.* 3.

Neque in contrarium facit *can. Aliter cit.* quia, sicut cæteræ conditiones ac solennitates ex ejus præscripto in nuptiis observandæ, sic etiam eô commendatus parentum consensus necessarius non est ad earum substantiam: sed solummodo; ut in foro externo reputentur legitimæ, hoc est, secundùm sanctiones Ecclesiasticas celebratæ: non clandestinæ; talia enim olim etiam, quæ absque parentum vel consanguíneorum consensu inita erant, connubia nuncupata, cum Glossa *in c. fin. de Clandest. desponsat. V. Clandestina*, Innocent. *in eandem Rubric.* observant Henriquez *Lib.* 11. *cap. & n.* 5. & Gonzalez *in c.* 1. *num.* 11.

Non magis adversantur reliqui *cann. citt.* quia etiam iis parentum consensum non ad valorem, sed ad honestatem duntaxat nuptiarum exigi, Gonzalez *ibidem n.* 12. notat. Unde

Dubium oritur, an ergo ad ineunda, 36.
quæ parentes volunt, conjugia liberi obligentur, & valeant compelli. Certum est, per se non posse liberos, volentes ingredi Religionem aut vivere in Cœlibatu; quia his

quia his casibus coactio majoris eorum boni impeditiva & injusta foret, Guttierez *de Matrim. cap. 79. n. 17.* *Per se*, inquam; quia per accidens vg. casu, quô ob defloratione alicujus puellæ, cui satisfactio pro injuria & damni illati resarcitio exhiberi debet, vel ob gravem necessitatem parentum, qui sublevari aliter non possent, ad matrimonium contrahendum obligarentur, ad hoc eos moderatâ coactione adigi posse, cum *cit.* Doctore *n. 16.* concedit Coninck *disp. 28. dub. 5. n. 50.* & permittit ratio; quia dictis casibus ad matrimonium obligantur Jure Naturali: ad cujus obligationem implendam ita compelli à parentibus possunt, Perez *disp. 17. de Matrim. s. 17. n. 6.*

Extra hos etiam iisque similes casus ad ea, quæ parentes volunt, conjugia liberos graviter obligari, cum Alexand. de Nevo *in c. 1. cit. n. 13.* & Navarro *Manual. cap 14. n. 15.* docet Bellarminus *Lib. 1. de Matrim. cap. 19.* permotus authoritate Hormisdæ Papæ *c. 1. cit.* ita rescribentis, *Potest autem filium nondum adultum (voluntas cujus discerni non potest) pater, cui vult, matrimonio tradere: & postquam filius pervenerit ad perfectam ætatem, omnino debet hoc adimplere;* verbô enim *Debet* necessitatem ac præceptum imponi, vult Glossa *in c. Proposuit 24. V. Debet, de Appellat. & Clement. 2. V. Debeant, de Statu Monach.* Nec desideratur ratio; cùm enim liberi à parentibus vendi permittantur, *l. fin. C. de Patribus, qui filios &c.* cur non etiam ad nuptias à parentibus electas compelli possint?

37. Sed hoc leve est; quia liberorum, quos in potestate habet, venditio patri, non etiam matri: & solius victûs, non etiam alterius necessitatis, vg. redemptionis causâ, tempore prementis famis & niniæ egestatis permissa erat, ut in *l. cit.* Bruneman *n. 1.* observat. Cujusmodi patris, imò & matris necessitas aliáve calamitas, si filii matrimoniô propulsari queat, eum ad hoc ineundum ex virtute Pietatis obligari & moderatâ coactione compelli posse, inficias non eo, & præter alios facilè concedunt SS. DD. Angelicus ac Seraphicus *in 4. dist. 29.* ille *q. unica. art. 4.* iste *q. 3. cit.* Guttierez *n. 15.* & Sanchez *Lib. 4. de Matrim. disp. 23. n. 4.*

Quare meliùs cum Anchorano in *c. 1. cit. n. 4.* Panormit. *ibid. n. 7.* Alex. de Nevo *n. 13.* Sylvestro *V. Lex, n. 29.* Abulensi *in 1. Reg. cap. 18. q. 24.* & Soto *in 4. dist. 27. art. 2. ad n. 1.* liberos ad eas, quas parentes volunt, nuptias extra relatos iisque similes casus Iure adstringi, negatur; quòd matrimonium ob suam insolubilitatem inducat perpetuam multisque & gravibus oneribus atque incommodis obnoxiam societatem: quam propriâ potiùs, quàm alienâ voluntate iniri, consentaneum est, ad evitandos tristes atque infelices exitus, quibus obnoxia sæpe sunt matrimonia coacta, *c. Cùm locum 14. &c. Requisivit 17. de Sponsal. & Matrim.*

Ne autem Resolutioni huic *c. 1. cit.* 38. textus adversetur, ejus *V. Debet* non præcepti, sed solius honestatis ac decentiæ debitum denotari, Glossa *V. Eodem* & Interpp. ac DD. alii sat multi volunt apud *cit.* Sanchez *n. 2.* Sed hæc eorum expositio non placet; quòd ab ejus verbi significatione propria recedat: & *c. cit.* à patre contractum matrimonium à filio adimplendum, dicatur *Omnino*, dictione necessitatem absolutam denotante, ut cum Titaquello *in l. Si unquam 8. C. de Revocand. donat. V. Revertatur, à n. 78.* & aliis in *c. cit.* notant Barbosa *n. 6.* Canisius *n. 27.* & Gonzalez *n. 6.* quorum proinde ille *c. cit.* filium ad id, quod suô adhuc impuberis nomine pater iniit, matrimo-

nium obligari, ait, si pubes factus non statim contradicat, juxta dicta *n.* 11. Isti verò textum illum referunt ad Jus Ecclesiæ antiquum, quod filio pubertatem adepto ab ejusmodi sponsalibus recessum non permittebat sine justa causa, vg. quòd à puella sibi desponsata abhorreat: sicut hodie puberes à sponsalibus sine aliqua ex causis, *Tit.* 1. *art.* 5. enumeratis, nequeunt resilire.

39. Hæc tamen non obstant; quò minus liberi, quando matrimonium inire volunt, & ad id cum certa persona ineundum ex justa causa determinati non sunt, à DD. ad parentum aut eorum, qui parentum locô sunt, consilium requirendum obligentur; quòd in re gravi eorum consilium spernere, culpâ non vacet, *citt.* Gutierez *cap. 79. n.* 20. Sanchez *disp. 23. n.* 12. & Palao *Tract. 28. disp. 2. p.* 12. *n.* 11. licet hujusmodi consiliũ ex justa causâ, vg. cùm, quas illi suadent, nuptias sibi minùs convenire judicant, sequi non teneantur.

40. Dubium hôc locô & non minùs difficilis Resolutionis quàm magni momenti controversia est, an liberi contra parentum justam voluntatem personis indignis nubentes exhæredari valeant, iísque dos negari: prout Legibus Castellanis Valentinísque & Jure etiam nostro Provinciali Landrecht *Tit. 40. art. 9. §.* Wurde aber/ est constitutum. Hujusmodi certè Leges ac statuta, & secundùm ea factam exhæredationem dotísque negationem valore destitui, cum Panormit. *in c.* 1. *de Sponsal. n.* 8. Alex de Nevo *ibid. à n.* 23. Sylvestro *V. Lex, q.* 15. Navarro *Manual. cap. 14. n.* 15. & aliis TT. & JCT. is contendunt Covarruvias *p.* 2. *de Sponsal. cap.* 3. §. 8. *n.* 5. Henriquez *Lib.* 11. *cap.* 6. *n.* 2. Azor *p.* 1. *Instit. lib.* 5. *cap.* 25. Sanchez *Lib.* 4. *disp.* 25. *n.* 2. Vasquez *disp.* 4. *de Matr. cap.* 2. *n.* 14. Laiman *Lib.* 5. *p. & cap.* 1. *n.* 15. & Gobat *Experient. Tract.* 10. *num.* 109.

Moventur primò libertate matrimonii: quam sacri Canones maximam esse volunt, *c. Gemma 29. de Sponsal. & Matr.* ejusmodi autem Statuta politica & in his fundatus exhæredationis & jacturæ metus multùm diminuunt. Secundò; quòd, cùm liberorum, cum quacunque etiam indigna persona contrahentium, matrimoniis Ecclesia assistat, eáque contracta rata habeat ac tueatur, illorum propterea facta exhæredatio negatióque dotis & utramque hanc permittentes leges Civiles videantur injustæ. Tertiò; quòd, cùm de causis matrimonialibus, tanquam spiritualibus, judicialiter cognoscere ac pronuntiare Ecclesiasticæ, non Secularis sit potestatis, *c. Tuam 3. de Ord. cognit. c.* 1. *de Sponsal. & Matr. c. Causam 7. Qui filij legit.* & Trident. *Sess. 24. can.* 12. illius etiam, non istius, sit condere leges ac statuta, concernentia matrimonium inter personas contrahendum; cùm, cujus quis in aliqua materia & causa non sortitur forum, etiam legibus ac statutis illam concernentibus non afficiatur, ut *arg. c. fin. de Constitut. in* 6. Regulæ instar tradunt Joan. Andr. *in c. Per venerabilem* 13. *Qui filij legit.* Socinus *Lib.* 4. *consil.* 79. *n.* 9. & Fagnanus *in c. Utrum* 1. *de Cognat. Spirit. n.* 12.

Sed non minori ratione leges ac statuta liberorum exhæredationem dotísque privationem, quando spretô aut non requisitô parentum consilio & contra rationabilem eorum voluntatem matrimonia cum personis indignis, hoc est, vilibus, & turpitudine vitæ laborantibus ineunt, parentibus permittentia cum Baldo *in c. Tenor* 10. *de Sent. & re jud. in fine*, Claro *§. fin. q.* 82. *statutô* 31. *n.* 5. Tholosano *Lib.* 9. *Syntag. cap.* 3. *n.* 21. defendunt Sotus *in* 4. *dist.* 29. *q.* 1. *art.* 4. Barth. de Ledesma *de Matrim. dub.* 42. Petr. Bar-

Petr. Barbosa *in l. 1. ff. Soluto matr. p. 4. n. 36.* Molina *Tract. 2. de J. & J. disp. 176. à n. 14.* Rebellus *de Oblig. Justit. p. 2. q. 14. s. 3.* Pontius *Lib. 2. de Matrim. cap. 1. n. 29.* Palao *Tract. 28. disp. 2. p. 12. n. 14.* Perez *disp. 17. de Matrim. s. 17. n. 19.* & alii, eô nixi fundamento, quòd ex una, ejusmodi legibus ac statutis nulla injuria fiat Sacramento matrimonii; cùm hoc invitis parentibus initum valeat: neque spirituali bono Ecclesiæ aut saluti animarum præjudicetur: ex altera verò parte, magnam utilitatem afferant Reipublicæ, cujus interest nobiles & honestas familias indignis connubiis non maculari, justa parentum consilia non sperni, tolli occasiones odiorum ac discordiarum, aliorúmque minimè levium incommodorum, quæ ex ejusmodi nuptiis ita temerè contractis sæpe oriuntur.

Confirmantur ista primò, paritate cum conditionibus, à fundatoribus apponi solitis Majoratibus ac Primogenituris, & istorum incapaces reddentibus descendentes, si Judæorum vel Sarracenorum sanguine infectis, vilibus aut infamibus, imò etiam si imparibus personis nubant: quarum appositionem, licet iis, de quibus sermo est, statutis simillima sit, justam esse, plerique concedunt.

Confirmatur secundò; quia matrimonia, quæ liberi contra justã voluntatẽ parentũ cum personis indignis in familiæ probrũ contrahunt, illicita & vetita sunt Jure Ecclesiastico, *arg. can. Aliter, can. Nostrates & c. 1. citt.* imò Divino & Naturali, liberos obligante; ne in re gravi, præsertim statum & familiam concernente, justæ parentum voluntati adversentur & contra eam agant, ut nemo facilè inficias ibit: actibus autem illicitis & Juribus illis vetitis pœnam imponere non excedit potestatem Principis aut alterius Magistratûs Secularis; licet de iis statuere prohibendô vel irritandô non possit; cùm in materia aliqua statuere ob defectum potestatis prohibitus, in ea à legitima potestate statuta, subditis eorum transgressoribus pœnam infligendò ac decernendò, multòque magis aliquid Jure indebitum denegandô, valeat corroborare, ex doctrina Glossæ in *Clement. Ne Romani 2. pr. V. Tolli, de Elect.* Felini *in c. 1. de Sponsal. & matrim. n. 13.* & Anchorani *Consil. 298.*

42. Neque cum hujusmodi statutis pugnat libertas matrimoniorum; quia ipsis liberorum ad ista aspirantium non tam libertas, quàm istius inconsultus ac temerarius abusus restringitur; cùm statuta illa non impediant, quô minùs libere ducant aut nubant dignis & quibus nuptiali fœdere jungi honestè, & sine scandalo aut familiæ probro possunt, ut aliis DD. relatis notat Felinus in *c. cit. num. 20.*

43. Neque etiam; quòd causæ Matrimoniales sint Ecclesiasticæ; quia ejusmodi legum ac statutorum conditores neque vendicant sibi jus de iis cognoscendi, neque aliquod nuptiale impedimentum inducunt, sed solummodo Naturali & Positivô, tam Divinô quàm Ecclesiasticô, Jure vetitum & Reipublicæ bono ac familiarum splendori noxium libertatis abusum & parentum contemptum plectunt: idque non pœnæ corporis afflictivæ inflictione aut alicujus juris jam quæsiti privatione, sed tantùm liberalitatis à Natura indebitæ privatione; cùm liberis Naturali Jure spectatô debeantur sola alimenta: hæreditas autem Positivô, juxta dicta *Lib. 3. Tit. 26. n. 10.* à quo proinde indignis potest denegari, ut rectè observant *citt.* Pontius *n. 30.* Palao *n. 14.* & Perez *n. 19.*

(o)

TITVLVS III.

De Clandestina Desponsatione.

UT maris ac fœminæ desponsatione contracta vitæ societas individua, & non obnoxia esset dissolutioni, illam sive contractum matrimonialem Solennem, non Clandestinum, Novissimum & Vetus quoque Ecclesiæ Jus approbavit.

ARTICULUS I.

De Matrimonio Clandestino propter defectum Denuntiationum.

SUMMARIUM.

1. *Nuptiæ duæ ob causas vocantur Clandestinæ.*
2. *De Denuntiationibus Ecclesiæ præceptum:*
3. *Quod graviter obligat:*
4. *Secundùm aliquos irritat matrimonium.*
5. *Verùs hoc etiam non denuntiatum subsistit.*
6. *Faciendæ denuntiationes sunt in Parochiis contrahentium,*
7. *Tribus continuis diebus festivis,*
8. *In Ecclesia & inter Missarum solennia.*
9. *Remitti possunt ab Episcopo,*
10. *Et istius Vicario Generali,*
11. *Ex justa causa.*
12. *Harum plures referuntur:*
13. *Quibus urgentibus denuntiationes aliquando liberè omittuntur.*
14. *Impedimenti conscius id denuntiare,*
15. *Etsi solus sciat, tenetur Parocho:*
16. *Et iste nuptias impedire:*
17. *Nisi id sciat ex Confessione Sacramentali.*

CLandestina hodie Matrimonia evadunt ac dicuntur; quòd contra decreta generalium Conciliorum, Lateranensis relati *c. fin.* Denuntiationibus sine dispensatione ac temerè omissis; vel Tridentini *Sess. 24. cap. 1. V. Qui aliter, de Ref. Matr.* aliter, quàm coram proprio Parocho & præsentibus duobus vel tribus testibus celebrentur, Palao *Tract. 28. disp. 2 p. 13. §. & n. 1.* Gonzalez *in c. fin. cit. n. 6.*

Denuntiationum nomine intelliguntur proclamationes, sive admonitiones publicæ præmitti solitæ matrimonio; ut, qui inter sponsos id celebraturos intercedens aliquod Divini, Naturalis, aut Ecclesiastici Juris impedimentum novit, id intra terminum præfixum manifestet Parocho, ad ejus investigationem obligato ex officio, & præcepto Concilii Lateranensis, *c. fin. pr.* relato: cujus vestigiis & dispositioni inhærentes S. Synodi Tridentinæ PP. *Sess. 24. cap. 1. V. Cui malo, de Ref. Matr.* præceperunt, *Ut in posterum, an-*

rum, antequam matrimonium contrahatur, ter à proprio contrahentium Parocho, tribus continuis diebus festivis in Ecclesia inter Missarum solennia &c. publicè denuntietur, inter quos sit contrahendum &c. Juxta quæ Generalis Concilii utriusque Decreta

3. Primò graviter delinquunt, qui matrimonium, etiam coram Parocho & testibus contrahunt: uti & Parochus, id contrahentibus assistens, ejusmodi denuntiationibus non præmissis, ut colligitur ex eo; quòd illas præmitti S. Synodus utraque, ad gravia mala evitanda non solùm præcipiat: sed eas sine dispensatione omittentes gravibus, & nonnisi graviter delinquentibus infligi solitis, pœnis obnoxios reddat, *c. fin. cit.* §. *Si quis & §. fin. & Sess. cit. cap. 5.* Sanchez *Lib. 3. disp. 5. n. 6.* & Laiman. *Lib. 5. Tract. 10. p. 2. cap. 4. n. 9.* Unde

4. Dubium oritur de matrimonii, sine denuntiationibus & dispensatione contracti, valore. Quem illi negare Menoch. *Vol. 1. Consil. 69. n. 71.* & negandum suadere videtur Regula, *Quæ contra Jus fiunt, debent utique pro infectis haberi*, quæ est *64. in 6.* eique consona *l. Non dubium 5. C. de Legibus.* Id ipsum non obscurè insinuatur *cap. 1. cit.* quia eò S. Synodus matrimoniis assistendi potestatem non absolutam, sed limitatam, scilicet præmissis denuntiationibus, Parocho concedit. Unde iste nuptiis, illis denuntiationibus non præmissis, assistendò sibi concessæ potestatis fines excedit: & non ut Parochus, cujus præsentia ad matrimonii valorem exigitur, sed ut privatus, ac proinde nihil
5. aget. Sed meliùs valorem ejusmodi matrimonio cum Navarro *Manual. cap. 22. n. 70.* adstruunt Guttierez *de Juramento p. 1. cap. 51. n. 21.* Henriquez *Lib. 11. cap. 5. n. 1.* & Sanchez *cit. disp. 5. n. 3.* Rationem reddunt; quòd denuntiationes de matrimonii substantia non fuerint Jure antiquò; quia Canon, aut Juris textus, quò sine ipsis inita matrimonia ab Ecclesia irritata sint, non extat: ea autem, quæ ante Ecclesiæ irritationem clam contracta sunt, vera & rata matrimonia esse, negantes, anathemate fulminentur à Tridentino *cit. cap. 1. pr.* Neque de ejus substantia esse cæperunt Novissimò Jure ejusdem S. Synodi; cùm istius PP. in suo de iis decreto usi sint verbis solummodo præceptivis, non irritantibus sive contractum annullantibus: qualibus usi sunt, cùm agerent de matrimonio, sine Parocho vel duobus aut tribus testibus contracto, *cap. cit.* §. *Qui aliter quàm præsente &c.* ut rectè observat Barbosa *de Offic. Episc. alleg. 3. n. 1.* Unde corruit, quod ex *cap. cit.* deductum est argumentum In contrarium autem allegati textus intelligendi sunt de Jure sive lege, intra prohibitionis terminos non manente: sed verbis irritantibus utente, aut formam actûs substantialem, & non solùm accidentalem, sive rectè decentérque faciendi modum præscribente, ut rectè advertit Palao *Tract. 3. disp. 2. p. 8. n. 2. & 3.* & Perez *de Matrim. disp. 43. sect. 1. n. 4.* addens, specialem matrimonii favorem esse; quòd simplici & clausulâ irritante non munitâ prohibitione nunquam irritetur: quod Regulæ instar tradit Decius *in c. In nomine 2. de Test. & attest. n. 17. V. Si secus temporali*, & Rotæ decisione firmat *cit.* Sanchez *n. 3.*

Secundò, juxta eadem Synodalia decreta faciendæ denuntiationes sunt in propria Parochia contrahentium: non unius duntaxat, sed utriusque, si ad diversas spectant; quòd ita faciliùs detegantur impedimenta, se tenentia ex parte utriusque. Sed, etsi hoc initiò re- 6.

lati Decreti verbis, *A proprio contrahentium Parocho*, non obscurè insinuetur, & S. Congreg. Cardd. Interpp. declaratione comprobet Segura *Direct. Judic p. 2. cap. 16. n. 19.* Consuetudinem tamen, vi cujus alicubi denuntiationes in ea solùm Parochia, in qua nuptiæ celebrantur, hodie fieri solent, minimè damnandam, censent Laiman. *cit. cap. 4. n. 10.* Palao *Tract. 28. disp. 2. p. 13. §. 3. n. 2.* & Pirrhing *ad hanc Rubr. n. 28.*

7. Tertiò, eædem faciendæ sunt tribus continuis diebus festivis: non tamen sibi immediatè succedentibus; quia inter illos iisque faciendas denuntiationes intercedere debet breve aliquot dierum intervallum, ut tempus suppetat ad aperienda matrimonii impedimenta: quod ex Tridentinæ dispositionis fine & Conciliorum Provincialium Moguntini, atque Colonienſis Decretis ostendit *cit.* Sanchez *n. 8.* cum laudato Segura *n. 20.* monens casu, quò matrimonium malitiosè impediendum non vana suspicio, ideóque illi una tantùm denuntiatio præmittenda est, hâc factâ ad illius contractum non facilè procedendum, sed aliquò temporis spatiò, vg. duobus aut tribus diebus expectandum.

8. Quartò, faciendæ sunt in Ecclesia inter Missarum solennia; quòd ad hæc audienda in illam convenire soleat frequentia populi: qui, si ad concionem vg. extra Ecclesiam etiam, & die non festò habendam, conflueret, matrimonium etiam tali locò & die denuntiari posset, ex mente *citt.* Sanchez *disp. 6. n. 9.* & Laiman. *n. 10.* ubi, hac in re cujusque Ecclesiæ Consuetudinem observandam, monet.

9. Quintò, dictæ denuntiationes ex justa causa remitti possunt ab Ordinario: cujus prudentiæ & judicio id S. Synodus reliquit *cap. 1. cit.* Quò locò Ordinarii nomine non tantùm Episcopum, & Sedis Apostolicæ legatum respectu suæ provinciæ: sed etiam Capitulum sede vacante & Prælatos quoscunque jurisdictionem quasi Episcopalem in certum territorium, & populum obtinentes, nullique Diœcesano subjectos venire, cum Navarro aliisque DD. non paucis observat Barbosa in Trident. *cap. 1. cit. n. 52.*

An eas remittere etiam Vicarius ge- 10.
neralis absque speciali commissione valeat, controversia quædam est. Et Pontius quidem *Lib. 6. cap. 31. n. 5.* cum Henriquez *Lib. 11. cap. 6 n. 5.* Cardd. declaratione pro se allegatâ, id negat. Contrà, & meliùs plurimis maximi nominis & notæ DD. more suo congestis affirmat *cit.* Sanchez *disp. 7. n. 10.* Barbosa *in cap. 1. cit. n. 50.* Palao *cit. disp. 2. p. 13. §. 4. n. 2.* & novissimè Alex. Sperellus *decis. 97.* quibus favet plurium Germaniæ nostræ diœcesium usus, & ratio ipsa; quia hanc in denuntiationibus dispensandi potestatem S. Synodus Tridentina concedit Ordinario: cujus nomine, sicut antiquò, sic etiam novissimò Jure venit Episcopi Vicarius in spiritualibus generalis: si materia ejus officio conveniat, & expressè non sit exclusus, ut cum Glossa *in c. Unic. V. Per Episcopos, de Capell. Monach. in 6.* advertit Sbrozius *de Offic. Vicar. Lib. 2. q. 43. n. 28.* & Sperell. *decis. cit. n. 1.* quia Vicarius generalis est judex Ordinarius diœcesis: idémque tribunal & eandem jurisdictionem cum Episcopo habet, *c. Romana 3.* junctâ Glossâ *V. Officialem, de Appellat. in 6.* Accedit; quòd, teste Paludano *in 4. dist. 28. q. 2. art. 3. n. 21.* in denuntiationibus dispensare Vicarius Generalis ex generali consuetudine potuerit ante Tridentinum: à Concilio autem ea potestas ipsi non fuerit adempta.

Sextò, sicut autem ad cæteras di- 11.
spensa-

spensationes, sic ad denuntiationum remissionem necessaria est rationabilis & justa causa, istiúsque cognitio, ut insinuat ipsum Tridentinum, dum, an eas remitti expediat, reliquit Ordinarii *Prudentiæ & Judicio*: quibus verbis non quodcunque, sed ratione regulatum arbitrium denotari, notant Menoch. *de Arbitr. Lib. 1. q. 8. n. 24.* & Guttierez *Q. Q. Canon. Lib. 1. cap. 19. à n. 6.*

12. Justæ autem remissionis causæ à Steph. Gratiano *Discept. Forens. cap. 83. à n. 15. cit.* Sanchez *disp. 9.* Laiman. *cit. cap. 4. n. 11.* Gobat *cit. Tract. 10. n. 481.* & aliis censentur; Primò, probabilis suspicio & timor matrimonii à consanguineis &c. malitiosè impediendi: cujus mentio ab ipso Tridentino fit *cit. cap. 1. V. Quod si.* Secundò, periculum; ne sponsalia, quæ legitimè sunt inita, & impleri expediret, temerè dissolvantur. Tertiò, evitatio infamiæ, quam concubinarii, publicè pro veris conjugibus habiti, eorúmque proles incurrerent, si contractui illorum matrimoniali, in aut extra articulum mortis celebrando, publicæ denuntiationes promitterentur. Quartò, pudor & confusio, cui, si publicè denuntientur, exponi solent sponsi valde dispares, vg. si senex cum juvencula, dives cum paupercula, nobilis cum plebeia sit copulandus. Quintò, eminens conditio contrahentium, puta Regum, Ducum, aliorúmque Magnatum: quorum connubia, sicut ignota esse non solent, sic etiam denuntiari non consueverunt. Sextò, scandalum, ad quod evitandũ denuntiationes non præmitti solent casu, quò matrimoniũ priùs publicè, sed propter latens impedimentũ invalidè contractum, istô per dispensationẽ sublatô, renovatô consensu est ratificandum. Septimò, periculum fornicationis inter sponsos: ad quod evitandum Interdicti, scilicet Adventûs, aut Quadragesimali tempore imminente, ad matrimonium, prævia tamen unâ denuntiatione, celebrandum potest ac solet dispensari. Octavò, quæcunque notabilis sive spiritualis, sive temporalis commoditas, aut bonum contrahentium: propter quam tamen aliásque causas antequam denuntiationes remittat, investigare Ordinarius debet, an, quæ prætenditur causa, revera subsit, & absit omne impedimentum, ut præter *citt.* advertunt Coninck *disp. 23. dub. 6. n. 58.* Palao *cit. §. 4. n. 8. in fine* & Perez *disp. 43. sect. 4. n. 13.*

13. Septimò, casu, quô propter bonum prolis, per concubinariorum conjugium legitimandæ, propter incurrendæ infamiæ, peccati comittendi, vel contractûs malitiosè impediendi periculum, neque nuptiæ differri, neque Ordinarius pro dispensatione adiri posset, matrimonium statim contrahi, eíque Parochus (legem denuntiationum hîc & nunc cessare per Epichiam declarandô) assistere posset, denuntiationibus aliquando omissis, aliquando factis ante illius legitimè contracti usum & consummationem, ut *cap. 1. cit. V. Deinde*, insinuat Tridentinum & cum Tannero *Tom. 4. disp. 8. q. 3. n. 132.* notat *cit.* Gobat *n. 494.*

14. Octavò, qui occulti impedimenti notitiam habet, id post factas proclamationes manifestare tenetur ex præcepto, non solùm Ecclesiastici superioris: sed etiam Divino ac Naturali, ad ruinam spiritualem & grave peccatum proximi, uti etiam Sacramenti irreverentiam avertendam, omnes graviter obligantis, secundùm S. Thomam *22. q. 33. art. 2.* & Panormit. *in c. Novit 13. de Judic. n. 27.* Nisi matrimonium aliter vg. sponsos de eo, &, ut à nuptiis desistant, vel pro dispensatione sollicitent, admonendô posset impedire, vel ex sua revelatione

latione grave damnum aut scandalum secuturum prævideret; tali enim casu ad impedimenti manifestationem eum non obligant *citt.* Navarrus *cap. 22. n. 83.* Sanchez *disp. 13. n. 3. & 4.* Gobat *n. 537.* Ubi

15. Dubium à nonnullis movetur de eo, qui impedimentum solus novit. Quem ad cujuscunque, præsertim ex peccato orti, impedimenti manifestationem non obligari, cum Saà *V. Matrimonium n. 23.* vult *cit.* Pontius *cap. 34. à n. 6.* eâ ductus ratione; quòd ea nullius sit utilitatis; cùm uni testi non credatur, *c. In omni 4. c. Licet 23. & l. Ubi numerus 12. ff. de Testibus.* Sed, esto nonnisi duorum vel trium testimonium plenam fidem judici faciat, quando de crimine puniendo, jure jam quæsito alteri auferendo, *c. Veniens 10. c. Cùm à nobis 23. &c.* aut etiam de matrimonio dissolvendo agitur *c. Super eo 22. in fine, de Test. & attest. & c. 1. de Consang. & Aff.* unius tamen jurati testis depositio, etiam in foro externo admittitur, quando agitur de vitando peccato, & matrimonio cum impedimento non contrahendo, *c. Super eo cit. V. Super illa & c. Præterea de Sponsal. & Matr.* Panormit. *in c. Super cit. n. 7.* ubi Vivianus §. 2. Barbosa *n. 9.* & Gonzalez *n. 3.* Unde illum, qui impedimenti solus conscius est, ad ejus manifestationem cum Navarro *cit. n. 83.* Covarruv. *de Sponsal. p. 2. cap. 6. §. 10. n. 21.* meritò obligant *citt.* Palao §. 7. *n. 4.* & Gobat *n. 534.* qui tamen cum Farinac. *Prax. Criminal. q. 69. n. 75.* excipiunt casum, quô impedimenti notitiam habet ex solo auditu, si personæ, à qua id audivit, ampliùs non recordetur, aut ea nullius fidei sit, *n. 3. & 535.*

16. Nonò, Parochus impedimentô aliquô, sive à contrahentium altero extra Confessionem, sive ab aliis ad se delatô, matrimonii quidem celebrationem interdicere, *c. fin. §. Cùm autem & §. fin. de Clandest. desponsat.* de illo tamen non ipse cognoscere, sed id deferre debet ad Ordinarium: ad quem causarum matrimonialium cognitio de Jure spectat, *c. 1. de Consang. & Aff. c. Accedentibus 12. de Excess. Prælat.* & Trident. *Sess. 24. cap. 20. de Reformat.*

Si impedimentum Parochus à contrahentium altero intellexisset in Confessione Sacramentali, ei quidem; ut à matrimoniali contractu abstineat, feriò admonito & monitionem contemnenti, absolutionem negare posset ac deberet: matrimonium tamen contrahere postea volenti assistentiam suam denegare non valeret, ut ex *c. Si sacerdotes 2. de Offic. Ordin.* desumit, & cum Armilla *V. Confessor. n. 7.* tradit *cit.* Sanchez *disp. 16. n. 4.* eúmque secutus Palao *Tract. 28. disp. 2. p. 13. §. 7. n. 5.* quòd notitiæ in Confessione acceptæ ad actus exteriores non sit usus; ne Pœnitentiæ Sacramentum, ad æternam salutem divinitùs institutum, fidelibus onerosum reddatur & odiosum, ut dictum *Lib. 2. tit. 18. à n. 39.* 17.

ARTICULUS II.

De Matrimonio Clandestino propter defectum Parochi aut Testium.

SUMMARIUM.

18. *Nuptiæ Clandestinæ semper vetitæ:*
19. *Validæ tamen fuerunt,*
20. *Donec irritarentur à Tridentino,*
21. *Cum iis matrimonia præsumpta tollente.*
22. *Quod tamen S. Synodi decretum non afficit Infideles:*

23. Et

23. *Et fideles, ubi non est receptum.*
24. *Ubi receptum est, fideles quoscunque,*
25. *Etiam vagos, ignorantes,*
26. *Et Parochi ac testium copiam non habentes afficit.*
27. *Clam iniri matrimonia secundùm aliquos Naturali:*
28. *Veriùs Ecclesiastico tantùm Jure prohibentur,*
29. *Ad ea dispensare Episcopus non potest.*
30. *Sponsalium vim habent impuberũ:*
31. *Non etiam puberum matrimonia Clandestina:*
32. *Quibus tamen prævia sponsalia non corruunt.*
33. *Conjugia revalidanda sunt coram Parocho &c.*
34. *Secundùm aliquos etiam, si eorum nullitas sit occulta:*
35. *Quod meliùs alii negant.*
36. *Clam Germanus & Gallica mulier in Gallia valide:*
37. *In Germania invalidè copulantur.*
38. *Validè etiam duo Germani contrahunt in Gallia:*
39. *Nisi in hanc veniant in fraudem Legis.*

18. QUantumvis matrimonia publicè & in Ecclesiæ facie, hoc est, coram sacerdote, sponsis impertiente Benedictionem nuptialem, hósque illi offerentibus paranymphis, & parentibus ac propinquis præsentibus celebrari, priscorũ Canonum voluerint conditores, *can. 1. can. Nullus 2. can. Nostrates 3. can. Sponsus 5. &c. 30. q. 5.* & clandestinas nuptias sancta Dei Ecclesia semper detestata sit, prohibuerítque, ut loquuntur PP. Tridentini *Sess. 24. cap. 1. pr. de Ref. Matrim.*

19. Rata tamen veráque etiam clam inita conjugia semper fuerunt, ut iidem asserunt *pr. cit.* & inde liquet; quòd antiquô Ecclesiæ Jure ipsa sponsalia de futuro, accedente inter sponsos carnali copulâ, in matrimonium transierint, *c. Veniens 15. & c. Is, qui fidem 30. de Sponsal. & Matrim.*

Novissimô autem Jure & ejusdem 20.
S. Synodi decretô, propter gravissima pericula animarum aliáque incommoda, quæ ex conjugiis sæpe, quòd clam inita essent, propter probationis defectum dissolutis, novísque palam & invalidè contractis oriebantur, matrimonia Clandestina irritata sunt, *cap. 1. cit.* cujus tenor est, *Qui aliter, quàm præsente parocho vel alio Sacerdote, de ipsius parochi seu Ordinarii licentia, & duobus vel tribus testibus matrimonium contrahere attentabunt, eos S. Synodus ad sic contrahendum omnino inhabiles reddit: & hujusmodi contractus irritos & nullos esse decernit, prout eos præsenti decretô irritos facit & annullat.* Hòc proinde decretô, 21.
cum aliis Clandestinis, sublata etiam sunt matrimonia Præsumpta; ut hodie sponsalia de futuro per carnalem copulam, etiam affectu conjugali subsecutam, & quoscunque alios actus occultos in matrimonium non transeant: nisi verus ac mutuus consensus per verba aliáve signa de præsenti coram Parocho ac testibus exprimatur, ut cum Navarro *Manual. cap. 22. n. 28. & cap. 25. à n. 144.* Sanchez *Lib. 3. de Matrim. disp. 40. n. 3.* Guttierez *Q Q. Canon. Lib. 1. cap. 18. n. 8.* id à Cardd. Concilii Interpp. S. Congreg. declaratum asserente, uno ore plerique docent apud Barbosam *in c. Is, qui fidem cit. n. 11.* inter quorum potiores

Convenit primò, relatam matri- 22.
monii Clandestini irritationem non extendi ad Paganos & Judæos, etiam habitantes

bitantes in territorio Ecclesiæ, & subjectos jurisdictioni Papæ temporali; quia prodita est lege merè Ecclesiasticâ, afficiente solos Christianos, per Baptismi januam Ecclesiam ingressos; neque etiam ad fideles, in quorum provinciis Tridentinum nunquam est publicatum, *arg. can. Erit autem 2. dist. 4. & l. Leges 9. C. de LL.* vel, ut in Gallia, usu non receptum, aut usu contrario abrogatum, esve saltem quoad Clandestinas nuptias est derogatum, *arg. c. fin. de Consuet. citt.* Guttierez *de Matrim. cap. 61. n. 12.* & Sanchez *disp. 18. n. 1.*

23. 24. Convenit secundò, in locis, in quibus S. Synodi illius decreta publicata usúque recepta sunt, irritatione illâ affici fideles quoscunque; ut in iis irritum nullúmque sit matrimonium Primò, præsente Parochô solô, vel solo isto absente, coram aliorum testium numero quocunque, etiam in loco publico, totáque communitate præsente, initum, Navarrus *Manual. cap. 25. n. 144. citt.* Guttierez *n. 8.* & Sanchez *disp. 17. n. 7.* Se-
25. cundò, contractum à fidelibus vagis, hoc est, verum aut quasi domicilium nullibi habentibus; quia ejus irritatio decreta est Lege Ecclesiæ universali, in loco, ubi viget, præsentes fideles omnes adstringente, ex recepta doctrina Felini *in c. Quod clericis 9. de Foro compet.* &
26. Navarri *Manual. cap. 23. n. 130.* Tertiò, aliter quàm coram parocho & testibus initum à sponsis, illorum præsentiam ad conjugii valorem decreto illo alióve Jure Ecclesiastico præscriptam, ignorantibus: licet clandestinus eorum contractus propter invincibilem Juris ignorantiam omni culpâ vacaret, *citt.* Guttierez *n. 10.* Sanchez *n. 10.* & Pontius *Lib. 5. de Matrim. cap. 6. n. 18.* Quartò, contractum eo tempore, quo à loco absens aut mortuus est Parochus, & non adest, qui ejus vices gerat, Palaõ *Tract. 28. disp. 2. p. 13. §. & n. 8.* Quintò, cum concubina, ad legitimandas proles ex fornicatione susceptas, clam contractum in ipso articulo mortis, *citt.* Guttierez *n. 7.* Sanchez *n. 4.* Pontius *n. 3.* & Palao *n. 9.* Ratio omnium est; quia, cùm Jus actum aliter, quàm certô modô fieri prohibet, appositâ clausulâ, actum aliter gestum annullante, modus ille pertinet ad actûs formam, secundùm receptam doctrinam Felini *in c. Cùm dilecta 22. de Rescriptis n. 6. Signo 7. & 9.* quæ ad unguem servanda est: &, quòd actui esse det, *l. Julianus 9. §. 3. ff. Ad exhibend. l. Mulier 13. §. 1. ff. de V. S. & c. Quia propter 42. de Elect.* ita necessaria est; ut actus sine ipsa esse ac subsistere non possit, Everard. *Legal. arg. loco 10. n. 2.* & Tuschus *Practic. V. Forma, concl. 413. n. 2.* Cùm ergo ex *cit.* Concilii decreto matrimonium aliter, quàm proprio Parocho & duobus vel tribus testibus præsentibus, contrahi non possit, appositâ clausulâ annullante, in locis, ubi illud publicatum ac receptum est, Parochi & testium præsentia pertinebit ad matrimonii formam; ut hoc sine illa esse ac subsistere amplius non possit, publicô bonô & utilitate Ecclesiæ, cujus conjugia aliter inita non subsistere plurimùm interest, privatis commodis, quæ ex illius aliter initi valore percipere contrahentes aliquando possent, indubitatè prævalente.

Dubium autem est primò, an ma- 27
trimonia Clandestina solo Jure Ecclesiastico, sicut irritata, sic etiam illicita sint, Eorum certè inhonestatem ab ipso Jure Naturali immediatè descendere, sustinent Palatios *in 4. dist. 28. disp. 3. pr.* Veracrux Specul. *p. 1. art. 10. concl. 2.* & alii, quos refert & sequitur *cit.* Sanchez *disp. 3. n. 8.* allegato in eam rem D. Thoma *dist.*

ma *dist. cit. q. unic. art. 3. ad 3.* inferens, ab infidelibus quoque nuptias clam contrahentibus lethalis culpæ reatum incurri. Rationem reddit; quòd matrimonia clandestina ex sua natura gravia mala secum trahant, cedántque in prolis & contrahentium utriusque, ipsiúsque Reipublicæ grave detrimentum; cùm propter sufficientis earum probationis defectum, iis conjunctorum alter alterius pertæsus, eúmve exosus malitiosè ad alias nuptias transire & legitimum thori consortem desertum in similis transitûs periculum coniicere facilè possit: &, si id fiat, susceptа proles pravæ educationis, ejúsque parens uterque æternæ damnationis periculo exponatur, & quies publica quandoque perturbetur; atque idcirco fere, sicut fornicatio & vagi concubitus, sic & clandestinus nuptiarum contractus naturali Jure illicitus & inhonestus esse videatur.

28 Hâc tamen utcunque speciosa nihil moti, & meliore ducti ratione Sotus *dist. cit. q. 1. art. 2. concl. 1.* Coninck *disp. 27. dub. 1. n. 5.* Hurtad. *de Matrim. disp. 5. n. 3.* Perez *de Matrim. disp. 39. s. 2. n. 4. & 5.* & alii, matrimonii clandestini inhonestatem ex humani & Ecclesiastici præsertim Juris inhibitione immediatè descendere, defendunt, partim; quia nullus alius, nec ipse sponsalium contractus clandestinus naturali Jure illicitus est. Ergo neque clandestinæ nuptiæ; cùm, sicut aliorum contractuũ, sic & istarum clandestinitas non contineat necessariam disconvenientiam cum natura rationali, eásque contrahentes & alios non exponant proximo vel propinquo periculo peccandi: partim verò; quia memorata iisque affinia incomoda per se & necessariò connexa non sunt cum nuptiis clandestinis: & ex his non ordinariè, sed rariùs & merè per accidens ob singularem, non omnium etiam pravorum, sed paucorũ duntaxat hominũ malitiam aut fragilitatẽ oriuntur: &; ne à talibus timenda sint, humani Magistratûs clandestinos nuptiarum contractus inhibentis & irritantis providentiâ caveri potuit: sicut, ne tristes & infelices exitus sequantur ex nuptiis coactis, istarum irritatione eâdem cautum fuit. Unde plana est debilitas in contrarium deductæ rationis, & ab infidelibus posse & secluſa legis à proprio ipsorum Magistratu promulgatæ inhibitione, abiis, matrimonia clandestina ineuntibus ullius peccati reatum non incurri, patet.

Dubium secundò est, an, urgente 29.
magnæ necessitatis casu, Parochi aut testium præsentiam remittere per viam dispensationis Episcopus possit. Ratio dubitandi est; quòd, cùm ad Papam recursus non est, in particulari aliquo magnæ necessitatis casu, in Lege Ecclesiastica etiam Conciliari, eáve introducto nuptiali impedimento occulto dispensandi facultatem Episcopis adstruat communis sententia DD. magnô numero congestorum à *cit.* Sanchez *Lib. 2. disp. 40. n. 3.* Cur non etiam in nuptiali impedimento Clandestinitatis? sed non eadem, quæ aliarum legum & impedimentorum ratio est *cap. 1. cit.* relati decreti: eóque matrimonium coram Parocho & testibus ineundi introductæ necessitatis, partim; quòd isto contractus matrimonialis forma constituta, eíque apposita sit clausula, contractum aliter initum annullans: & sponsos ad sic, hoc est, aliter quàm coram Parocho & testibus contrahendum reddens inhabiles, dictione *Omnino*, gratiam & dispensationem Prælati Papâ inferioris omnem excludente: partim verò; quòd, cum S. Synodus *cap. 1. cit.* denuntiationes contractui præmitti jubens, addat, in iis dispensari ab Episcopo posse; non etiam, cùm

Parochi & testium præsentiam præscribit, hujus remissionem non permittat; cùm, quod de duorum expressorum uno asseritur, non obscurè de altero negatum, intelligatur, *arg. c. Nonne 5. de Præsumpt. & l. Cùm Prætor 12. pr. ff. de Judiciis*, Navarrus *cit. cap. 22. n. 70. citt.* Guttierez *cap. 61. n. 7.* Sanchez *disp. 17. n. 6.* & Pontius *cap. 6. n. 16.*

30. Majus dubium, & in casibus occurrentibus non semel magnis partium studiis agitata controversia tertiò est, an matrimonium clam celebratum vim habeat sponsalium. Non quidem, si ita contrahatur inter duos impuberes, vel inter puberem & impuberem; quia ab his clam inito conjugio ejusmodi vim, competentem antiquiori, *c. Unico §. Illud quoque, de desponsat. Impub. in 6.* recentiori Tridentini Jure non ademptam, à S. Congreg. declaratum, testis Garcias *p. 11. de Benef. cap. 8. n. 23.* & ratio perspicua est; quia *cap. 1. cit.* ea solùm matrimonia irritata sunt, quæ antiquo Jure talia verè fuerunt: cujusmodi cùm antiquo Jure non fuerint, quæ inter duos impuberes, vel inter puberem & impuberem celebrabantur, *cap. cit.* correctoriâ dispositione non afficientur, Gonzalez in *c. fin. de Desponsat. impub. n. 4.*

Sed, si id inter duos puberes clam celebretur; huic enim etiam sponsalium vim adstruunt Henriquez *Lib. 11. cap. 5. n. 4.* Laiman *Lib. 5. Tract. 10. p. 2. cap. 1. n. 8.* & alii, quorum opinionem *cit.* Sanchez *Lib. 1. disp. 10. n. 8.* probabilem, de rigore Juris probabiliorem Palao *disp. 1. p. 4. n. 8.* & veriorem censet Perez *disp. 8. s. 4. n. 3. & 5.* Rationem desumunt à paritate matrimonii impuberum: quod, licet irritum sit, vim tamen sponsalium habet, ut dictum *Tit. 2. n. 22.* quia, sicut impuberes, sic etiam puberes clam contrahentes actum, si non valet, ut geritur, meliori, quô potest, modô valere; ac proinde ad id contrahendum sibi mutuò obligari velle, præsumuntur.

Sed meliùs *cit.* Sanchez *n. 3.* dum 31. Opinionem hanc vocat probabilem, Oppositam amplectitur cum Guttierez *de Jurament. p. 1. cap. 51. à num. 28.* Vega *Summæ Lib. 6. casu 104. & 122.* & multis aliis TT. & JCT. is Quam non communiorem duntaxat, sed etiam, spectatâ praxi, veriorem esse fatetur Palao *cit. n. 8. in fine:* Barbosa autem *de Offic. Episc. alleg. 32. n. 143.* pro tali etiam habet in puncto Juris; quòd actus gestus contra legem, prohibentem substantiam actûs, sit nullus, nullámque obligationem producat, *l. Non dubium 5. C. de LL. & l. Hæc consultissima 21. §. 1. C. de Testament.* Me potissimùm movet; quòd S. Synodi Tridentinæ PP. non solùm clam contrahentes ad sic contrahendum reddant inhabiles: sed insuper hujusmodi actus absolutè irritos & nullos esse decernant: quales cùm non sint, qui habent vim sponsalium & matrimonii contrahendi obligationem pariunt, ut rectè observat Bonacina *de Matrim. q. 2. p. 8. n. 48.* hujusmodi efficaciam matrimonium clandestinum non habebit vi sui contractûs: neque etiam acquirit ab adjecto juramento; quia contractus matrimonii Clandestinus adversatur bonis moribus & bono publico: cujus intuitu irritati actus Juramentô non confirmantur, per Reg. *Non est obligatorium 58. in 6. & c. Si diligenti 12. de Foro compet.* & tradita *à cit.* Guttierez *à n. 28.*

Dicitur, *Vi contractûs*; quia, sicut 32. istô obligationem contrahi, non credo, sic matrimonium ineundi obligationem, antecedentibus sponsalibus inductam, non tolli: eique superveniente defloratione fœminæ illatum damnum compensandi obligationem induci, facilè concedo cum *citt.* Bonacina & Sanchez *n. 4.*

Ratio in

Ratio in contrarium allata non admodum urget; quia imprimis conjugii clam initi contractus, ut dictum, omnino est irritatus. Deinde; quia matrimonia impuberum vim sponsalium habent ex sola interpretatione vel dispositione Juris Ecclesiastici, §. *Idem quoque cit.* ibi, *Quæ Juris interpretatione fuerunt sponsalia de futuro:* non ex natura rei, ut colligitur ex *l. Quæsitum 9. ff. de Sponsal.* juxta quam matrimonia impuberum vim sponsalium non obtinuerunt, nisi sponsalium contractus præcesserit, Gonzalez *in c. fin. cit. n. 4.* Demum; quia actus, qui non valet, ut gestus est. ut geri potuit, eò solùm casu valet, quò defectus est ex parte solius causæ efficientis, ut in matrimonio impuberum contingit: non etiam, quò defectus est ex parte formæ, sicut fit in matrimonio Clandestino, Francus in §. *Idem quoque cit. n. 2.* & aliis DD. allegatis Sanchez & Bonacina *l. citt.*

33. Non magis expeditæ Resolutionis, & in praxi utile dubium secundò est de casu, quò matrimonialis contractus inter personas, propter priùs initi nullitatem, ex defectu consensûs vel impedimento occulto provenientem, repetitur, an Parochi vel testium iterata præsentia necessaria sit ad valorem. Et ejus quidem iterationem ad hunc plerique exigunt casu, quò defectus vel impedimentum publicum & notorium est, vel plenè vg. per duos legitimos testes probari potest; quia hujusmodi matrimonium ad unius petitionem dissolvi potest; ideóque, ut ejusmodi matrimonium firmiter contractum & insolubile esse Ecclesiæ constet, illud ineuntium consensus necessariò coram Parocho & testibus est renovandus, Henriquez *cit. Lib. 11. cap. 3. n. 6.* & Perez *disp. 39. sect. 4. n. 6.*

34. Casu etiam, quò defectus vel impedimentum omnino occultum, ejúsque probandi periculum nullum est, consensûs renovationem coram iisdem necessariam esse, volunt Comitolus *Respons. Moral. Lib. 1. q. 120. n. 3.* Guttierez *Q. Q. Canon. Lib. 1. cap. 18. à n. 7.* & Pontius *Lib. 5. cap. & n. 6.* Moventur imprimis Authoritate Clementis VIII. ita minimè obscurè sentientis in relato ab iis quodam Responso: quò, ut ejusmodi matrimonium, consensu, illis non præsentibus, renovatò, denuo contraheretur, dispensavit. Dein Diplomate Bullæ Cruciatæ: quò, dum istius commissario conceditur facultas dispensandi; ut ejusmodi matrimonia denuo sine Parocho & testibus contrahantur, clarè indicatur, sine dispensatione aliter, quàm iis præsentibus, contrahi non posse. Demum ratione; quòd Parochi & testium præsentia pertineat ad contractûs matrimonialis Formam: sine qua, cùm actus valere non possit, ut renovatione illâ matrimonium validè contrahatur ac ratificetur, novam illorum præsentiam intervenire est necesse.

Ego, licet ad tollendos scrupulos, cùm sine incommodo possunt, Parochum & testes adhiberi consultum: istorum tamen iteratam præsentiam ad matrimonii valorem non necessariam, imò hunc casum allegatò S. Synodi Decretò non comprehendi, existimo cum Navarro *Manual. cap. 22. n. 70.* quem multis DD. acervatis secuti sunt Sanchez *Lib. 2. disp. 32. n. 13.* Laiman *Lib. 4. tract. 10. p. 4. cap. 14. n. 4.* & Barbosa *de Offic. Parochi cap. 21. n. 83.* id ferè desumentes ex *cit.* Decreti fine: qui fuit irritare conjugia, quæ antiquo Jure censebantur clandestina, & ex quibus, quòd inita esse, probari non possent, oriebantur incommoda, propter quæ Ecclesia matrimonia clandestina semper est detestata, ut patet ex *cit.* decreti *pr.* Cùm ergo Iure antiquo pro 35.

clandestinis non haberentur, neque Ecclesia detestata sit matrimonia, quæ aliquando in facie Ecclesiæ, sive coram Parocho & testibus, sed propter consensûs defectum, vel impedimentum omnino occultum nulliter contracta & postea renovatô consensu secretò ratificata sunt; hæc enim probari poterant; & propterea animarum pericula aliáve incommoda, quæ matrimonia clandestina secum trahebant, ex iis non oriebantur: ista *cit.* Concilii decretô non comprehendentur; acproinde clam renovatô consensu poterunt ratificari: quod à Pio V. declaratum, eáque declaratione S. Pœnitentiariæ Prætorium uti solitum, testis est Navarrus *l. cit.* Unde

Corruit ratio in contrarium allata; quia parochi & testium præsentia tantùm pertinet ad formam matrimonii, quod tanquam clandestinum Ecclesia ante memoratam S. Synodum est detestata. Neque magis urget Bulla Clementis VIII. & Cruciatæ diploma; quia illâ dispensatum est vel in impedimento, occulto quidem, sed obnoxio probationi, vel ad majorem securitatem & tranquillitatem conscientiæ: ad quam obtinendam & omnem dubitationem tollendam peti & concedi solent dispensationes, privilegia & facultates dispensandi in casibus, in quibus dubium est, an dispensatione sit opus, ut *citt.* Navarrus *n. 85.* & Sanchez *n. 5.* observant.

36. Non minùs frequentis in praxi usûs dubium, & celebris controversia quartò est de valore matrimonii, ab Italo vg. vel Germano clam contracti in locis, ubi Tridentini decreta Reformatoria promulgata vel usu recepta non sunt, ut vg. in Gallia. In quo inter DD. satis convenit, validum esse, quod Germanus ibi contrahit cum Sponsa Gallicana, Gobat *Experient. Tract. 9. n. 479.* & contrà esse invalidum, quod Gallus in Germania contrahit cum istius, imò etiam Gallicæ & cujuscunque alterius Nationis sponsa; quia, ut alii, sic etiam matrimoniales contractus ferè pendent à Jure locorum, in quibus celebrantur, *arg. c. fin. de Foro compet.* ac proinde multò magis pendebunt à *cit.* decreto Conciliari, tanquam lege Ecclesiæ Universali; quia id in locis, in quibus promulgatum & usu receptum est, obligat Fideles quoscunque illic existentes, per ea, quæ cum Felino in *c. Quod Clericis 9. de Foro compet.* & Navarro *Manual. cap. 23. n. 130.* tradunt Salas *de LL. disp. 14. s. 4. in fine*, & Suarez *Tom. 1. de Relig. lib. 2. cap. 14. n. 27.* 37.

Eôdem modô matrimonia, quæ à duobus sponsis Germanis vel Italis in Gallia clam contrahuntur, pro validis habent Sanchez *Lib. 3. disp. 18. n. 28. & 29.* & Pontius *Lib. 5. cap. 9. n. 2. & 4.* Moventur generali ratione; quòd peregrini non adstringantur legibus suæ patriæ, quando extra eam versantur, *c. Ut animarum 2. de Constitut. in 6.* & præsertim quoad contractus, cujusmodi est matrimonium, subiiciantur legibus & sortiantur forum locorum, in quibus versantur, *arg. l. Si fundus 6. ff. de Evictionibus & c. fin. cit.* 38.

Sed hac in re opus hodie est distinctione inter tres casus; vel enim Primò Germanus aut Italus in Galliam, vel ad terras Infidelium aut Hæreticorum, in quibus decreta Tridentini Reformatoria non observantur, se confert animô, ibi verum aut quasi domicilium constituendi? Et tum matrimonium sine Parocho & testibus validè contrahi, satis convenit inter DD. quòd eò ita se conferens fiat parochianus loci Gallicani. Vel secundò eò se confert causâ negotiorum aut aliô quopiam fine, quàm ibi matrimonium clam contrahendi? Et tum etiam matrimonium

monium sine Parocho vel testibus ibi contractum subsistere, evincit ratio, quô
39. Sanchez & Pontius nituntur. Vel tertiò eò se confert præcisè animô matrimonium aliter, quàm S. Synodus Tridentina exposcit, contrahendi? Et hôc casu matrimonium aliter, quàm à Concilio præscriptum est, contractum invalidum esse, contra *citt.* DD. docet Card. de Lugo *Respons. Moral. lib. 1. dub. 36.* & Gobat *cit. Tract. 9. n. 481.* permoti declaratione Cardd. Tridentini Interpp. Brevi Authentico ab Urbano VIII. roboratâ, cujus tenorem ille *n.* 4. refert: iste verò *n.* 482. ipsi adstruit vim legis Ecclesiæ Universalis, meritò latæ; ne Fraus sua & dolus S. Concilii saluberrimum decretum ita eludentibus patrocinetur, contra Regulam *c. Sedes 15. de Rescript. l. Itaque 12. §. 1. ff. de Furtis.*

ARTICULUS III.

De Parochi & Testium Qualitate & Assistentia Matrimoniali.

SUMMARIUM.

40. *Matrimonia celebranda sunt coram proprio Parocho,*
41. *Eive simili Curato:*
42. *Non tamen coram Parocho domicilij Originis:*
43. *Sed Habitationis,*
44. *In locum translata animô in eo stabiliter,*
45. *Vel per notabilem anni partem permanendi.*
46. *Parochiani sui nuptiis Parochus etiam in sponsæ,*
47. *Et extra istius ac sponsi Parochiam validè assistit.*
48. *Duorum parochianus, coram quo vult, illas celebrat.*
49. *Vagorum nuptiis Parochus quicunque,*
50. *Sed intra suæ tantùm parochiæ fines validè assistit.*
51. *Milites eas coram suo Curione Casirensi,*
52. *Et aliquando coram aliis validè ineunt.*
53. *Matrimonio validè assistit Parochus Sacerdotiô non initiatus,*
54. *Excommunicatus,*
55. *Sacramentorum administratione privatus,*
56. *Et solummodo existimatus,*
57. *Etiam carens titulô coloratô:*
58. *Præsentibus tamen duobus tribúsve testibus:*
59. *Iisque secundùm aliquos omni exceptione majoribus,*
60. *Secundùm alios etiam aliis:*
61. *Qui cum Parocho matrimonij initi plenam fidem faciunt:*
62. *Dummodo cum isto simul,*
63. *Et moraliter sint præsentes*
64. *Etiamsi sint inviti & non rogati.*

AD matrimonii valorem à S. Synodo Tridentina *Sess. 24. cap. 1. V. Qui aliter, de Ref. Matrim.* 40.
non desiderari contrahentium utriusque, sed alterius duntaxat, sponsi sponsævè: & ejus saltem Parochi, intra cujus Ecclesiæ fines illud contrahitur, præsentiam sufficere, communis DD. sensus & ratio est; quòd proprius unius quoad contractum matrimonialem etiam alterius proprius Parochus sit, ex S. Congreg. Cardd. declaratione, testibus Navarro *Manual. cap. 25. in fine*, Guttierez *de Matr. cap. 62. n. 4.* & Sanchez *Lib. 3. de Matr. disp. 19. n. 4.* cùm enim Titius Caiæ conjungi nequeat, quin ista quoque ipsi jungatur,

jungatur, Parochus, qui Titium parochianum suum Caiæ jungendi obtinet potestatem, hanc etiam obtinebit ad Caiam Titio conjungendam, hôc ipsô; quòd ei, cui ad actum aliquem potestas collata est, collata quoque censeantur ea, sine quibus potestas illa explicari & actus expediri non potest, *c. Præterea 5. de Offic. deleg. & l. Cùm jurisdictio 2. ff. de Jurisdict. omn. jud.*

41. Porro nomine parochi §. *Qui aliter cit.* veniunt quicunque Ecclesiis Parochialibus non solùm Parochi, sed etiam Rectoris, Plebani, Vicarii perpetui vel temporanei & quovis alio nomine præsunt, earúmque administrationem actualem, sive ex institutione sive ex commissione habent. Non etiam, qui ab ejusmodi Parochiarum Rectoribus, Vicariis &c. præsentibus, adjutorum seu cooperatorum nomine pro libitu assumuntur: neque etiam, qui assumuntur ab iis, quibus assistentia matrimonialis sine subdelegandi facultate est delegata, per tradita *Lib. 1. tit. 29. à n. 22.* Ex quibus

42. Dubium oritur primò, an conjugia coram solius originis parocho validè ineantur. Ratio dubitandi est; quòd ab Originis non minùs, quàm ab Habitationis domicilii Episcopo recipi valeant sacri Ordines, *c. Cùm nullus 3. de Temp. Ordinat. in 6.* Cur non etiam coram eo vel Originis parocho, ab iisve delegato conjugia iniri? cùm originis domicilium tanquam naturale quovis alio firmius sit & nunquâ amittatur, *l. Assumptio 17. pr. ff. ad Municip. & l. Origini 4. C. de Municip.* & cum ipso habitationis domicilio retineatur, *l. Senatores 11. C. de Senator.* ut adeò, sicut ei, qui duo habitationis, sic & ei, qui unum istius, alterum Originis domicilium habet, nuptias celebraturo utriuslibet parochi electio permissa videatur.

Nihilominus coram solo domicilii Habitationis, non etiam coram solius Originis parocho nuptias validè celebrari, docent *citt.* Sanchez *Lib. 3. disp. 23 n. 7.* Perez *disp. 40. s. 2. n. 1.* & Gobat *Experient. tract. 9. n. 486.* Ratio est; quia sacra Synodus Tridentina §. *Qui aliter cit.* exigit assistentiam parochi proprii, quô nomine in dubio domicilii Habitationis, non solius Originis parochus venit, ut *in c. Statutum 11. §. Cùm verò de Rescript. in 6.* notant Glossa *V. Unam dietam*, Francus *n. 12.* & Dominicus *ad finem.* Unde *c. Cùm nullus cit.* Originis Episcopum superioris nomine intelligi, non asseritur generaliter, sed *In hoc casu* sive respectu Ordinationis: non etiam respectu receptionis Sacramentorum aliorum; quia cætera ministrantur à solo superiore habitationis, fidelem alicujus parochianum constituentis; ut propterea portio Canonica, quæ jus parochiale & ratione administrationis Sacramentorum debita est, soli istius, non etiam Originis parocho exhibeatur, *ut in c. Cùm quis 2. §. Cùm ab eo, de Sepult. in 6. citt.* Francus *n. 1.* & Dominic. *n. 20.* advertunt: licet, cùm defunctus duarum Ecclesiarum parochianus fuit, portio illa inter utriusque parochos dividatur, §. *Cùm ab eo cit.* 43.

Neque obstat firmitas Originis; quia istius domicilium solùm retinetur quoad munera & honores: non etiam quoad jurisdictionem, ut cum Glossa *cit.* dictum *Lib. 2. tit. 2. n. 24.* & cum Socino *in c. fin. de Foro compet.* notant Gaill. *Lib. 2. Observat. 36. n. 5.* & Menochius *Lib. 6. præsumpt. 42. n. 5.*

Dubium secundo est, quanti temporis habitatio in loco exigatur; ut coram ejus parocho nuptiæ validè celebrentur. Qua in re exploratum est primò, quamcunque etiam brevissimam sufficere in eo, qui domicilii figendi & in eo stabiliter 44.

perma-

permanendi animô ad locum venit; cùm talis loci parochianus statim fiat, & ipsô factô, quô habitationis figendæ animô ad locum se confert, domicilium acquirat, *l. Domicilium* 20 junctâ Glossâ *V. Factô, ff. ad Municipal.* Sanchez *cit. disp. 23. n. 14.* Secundò, non sufficere habitationem sive moram in loco, ad quem recreationis aut ruris colendi causâ ad paucos dies & brevi rediturus quis accessit; cùm istiusmodi habitatio aliquem non constituat loci parochianum, *arg. c. Is qui 3. pr. de Sepult. in 6. cit.* Sanchez *n. 9.*

45. In dubium ergo solùm vocatur, an sufficiat habitatio per tempus quidem notabile, sed animô ad proprium domicilium redeundi, ut solent, qui studiorũ causâ in Academiis versantur, aut in civitatib⁹, oppidis, pagis famulatûs, negotiationis aut periculi, ex bello, lue epidemica &c. in stabilis suæ habitationis domicilio grassante, imminentis declinandi causâ ad talem locum se recipiunt; à talibus enim coram hujusmodi temporaneæ habitationis loci parocho matrimonium validè iniri, negant Rodriquez *Tom. 1. Summæ cap. 219. n. 6.* Segura *Director. jud. p. 2. cap. 15. n. 48.* Henriquez *Lib. 11. cap. & n. 3.* & nonnulli alii, præcipuè ducti aut decepti *c. Is qui cit.* ubi, parochianum effici, Bonifacius VIII. negat eum, qui domicilium retinens recreationis vel ruris colendi causâ in villam se transfert: & non tam moræ tempus, quàm retentionem domicilii & ad hoc redeundi animum ponderat. Verum, quia *c. cit.* de brevis temporis habitatione sermonem esse, omnino liquet ex causa recreationis & culturæ ruris, quæ longioris temporis esse non solent, ejus dispositio non rectè porrigitur ad casum habitationis per majorem aut notabilem anni partem productæ.

Quare meliùs *citt.* Sanchez *n. 12.* Guttierez *cap. 63. à n. 13.* & Perez *n. 1.* ab iis, qui per majorem aut notabilem anni partem habitandi animô in loco morantur, coram istius parocho matrimonium validè iniri, defendunt; quòd tales in ejusmodi habitationis loco quasi domicilium acquirant; ut in eo valeant conveniri, *l. Hæres absens 19. §. 2. in fine, ff. de Judiciis & l. Sciens 2. C. Ubi de crimine agi op.* Panormit. *in c. Quod clericis 9. de Foro compet n. 5.* & Petr. Barbosa *in l. Hæres cit. §. fin. n. 111.* quasi domicilium autem sufficiat ad constituendum parochianum, *c. fin. de Paroch.* & Sacramenta, Ordine exceptô, percipienda, ut in *c. Omnis 12. de Pœnit. & remiss.* notant Innocentius *n. 6.* Ant. de Butrio *n. 38.* Joan. Andr. *n. 13.* & Anchoranus *n. 9.* ac proinde etiam ad contrahendum matrimonium, ut moderna praxis demonstrat.

Dubium tertiò est, an Parochiani 46.
sui matrimonio intra suæ tantùm, vel alienæ etiam Parochiæ fines assistere Parochus valeat. Intra suam enim tantùm id huic permissum, cum Navarro *l. cit.* & Henriquez *Lib. 11. cap. 3. n. 2.* existimat, & extra eam contractum matrimonium pro irrito habet Pontius *Lib. 5. de Matr. cap. 6. n. 4.* quòd Parochi jurisdictio ultra suæ Ecclesiæ fines se non extendat, *arg. c. fin. de Constitut. in 6.* Ita iste. Sed parùm solidè; quia imprimis declarationes Cardd. solùm exigunt; ut casu, quô sponsi sunt diversarum parochiarum, matrimonio assistat is, in cujus parochia celebratur. Deinde; quia etiam hujus præsentia non exigitur ad conjugii valorem; cùm etiam, quando sponsi diversarum parochiarum sunt, matrimonium in Parochia sponsæ validè celebretur præsente in hac solo Parocho sponsi: quod posteriori & à Summo Pontifice approbata eorundem declaratione firmat Fagnanus *in c. Quod nobis 2. n. 33.* quia S. Synodus *cap. 1. cit.* alterius contrahentium Parochi præsen-

tiam exigit sine mentione loci, in quo matrimonium initur. Demum; quia hujusmodi assistentia non est actus jurisdictionis contentiosæ, de qua *c. fin. cit.* est sermo: sed vel jurisdictionis voluntariæ, quæ extra proprium territorium exerceri potest, *l. Omnes 2. ff. de Offic. Proconsul.* vel potiùs testis qualificati, qui cum duobus vel tribus aliis testibus de matrimonio inito authenticum testimonium perhibere & certam fidem Ecclesiæ facere possit, ut probè observat Perez *de Matrim.*
47. *disp. 40. s. 2. n. 7.* Unde hic Doctor cum *cit.* Sanchez *n. 14.* Coninck *disp. 26. dub. 2. n. 22.* & Hurtad. *de Matrim. disp. 5. n. 22.* Sacerdotem suorum parochianorum matrimoniis etiam extra Parochiam validè ac licitè assistere, docet; quòd id nullo Jure prohibitum reperiatur. Neque refert; quòd extra Parochiam benedictionem impertiri nequeat sponsis; quia nuptiali benedictioni ejus assistentia non necessariò est conjuncta, Palao *Tract. 28. disp. 2. p. 13. §. 9. n. 5.*

48. Sponsus, qui domicilium in duabus Parochiis fixum habet, sicut ab utriusque, & cujus mavult, Rectore Pœnitentiæ & Eucharistiæ recipere Sacramenta, sic etiam coram utriusque, & quo mavult, Parocho præsente matrimonium contrahere & nuptialem benedictionem recipere potest, *arg. c. Cùm quis 2. de Sepult. in 6. & l. Ejus quis 27. §. 2. ff. ad Municipal.* Navarrus *in can. Placuit 3. de Pœnit. dist. 6. à n. 78.* & *cit.* Sanchez *disp. 24. n. 2.*

49. Dubium quartò est de matrimoniis vagorum sive eorum, qui verum aut quasi domicilium nuspiam habent: sed hinc inde vagantur, vel domicilio, quod habuêre, desertò aliud quærunt aut ad certum locum domicilii constituendi animò proficiscuntur, *l. Eum qui 27. §. 2. ff. ad Municipal.* & *ibi* Doctores: quorum conjugiis, sive uterque, sive alter duntaxat vagus sit, parochum loci, in quo actu versantur, assistere posse, cum *cit.* Sanchez *disp. 25. n. 9.* & Guttierez *cap. 65. n. 8.* tradunt Pontius *cit. Lib. 5. cap. 14. n. 5.* & Gobat *cit. tract. 9. n. 495.* & coram tali inita conjugia jure valida esse, quantumvis à loci Episcopo vagabundis proprius Confessor assignatus sit, cum *cit.* Sanchez *n. 12.* sustinent *citt.* Pontius *n. 7.* & Perez *disp. 40. s. & n. 7.* cùm; quia non valet argumentum ab uno Sacramento ad aliud: tum verò; quia ex decreto Tridentini à S. Congreg. Cardd. Interpp. declarato, vagorum parochus est quivis, in cujus parochia actu existunt.

Controversia tamen est, an eis quivis parochus etiam extra suam parochiam validè assistat. Et Sanchez quidem *Lib. 3. disp. 25. n. 11.* id affirmat ex ratione; quod proprius vagorum quilibet parochus dici queat. Coninck autem *disp. 27. dub. 2. n. 20.* probabiliùs negat; quòd ipsorum parochus proprius quilibet tantùm sit pro tempore, quô in ejus parochia morantur. Utramlibet autem Opinionem in praxi parochus sequatur, vagorum matrimonio assistere ei non licebit, nisi post diligentem inquisitionem de eorum statu & habilitate ad ista contrahenda, & eis assistendi licentiam obtentam ab Ordinario diœcesano: ad quem causam priùs deferre jubetur à S. Synodo Tridentina *Sess. 24. cap. 7. de Ref. Matrim.* propter periculum; ne uxoribus, quas alibi fortassis habent, temerè relictis, ubi versantur, alias ducant. 50.

Quantumvis autem parochus conciliare hoc decretum non observans graviter delinquat, conjugia tamen, quibus, eô insuper habitô, assistit, Jure subsistunt; quia S. Synodus diligentem inquisitionem reique ad Ordinarium delationem præcipit sine clausula & verbo irritante: conjugia au-

jugia autem simplici sive ejusmodi clausulâ non munitô præceptô vel prohibitione irritata non intelliguntur, ut *arg. c. Ex literis 2. in fine, de Matrim. contra interd.* cum Decio *in c. In nomine 2. de Test. & atteſt. n. 17. V. Si ſecus*, Regulæ instar tradit & Rotæ decisione firmat *cit.* Sanchez *disp. 5. n. 3.*

51. Dubium est quinto de Parocho assistente matrimoniis militum: à quibus, si Curionē sive Capellanū Castrensem propriū ordinaria authoritate pro Sacramentorum administratione ipsis assignatum habeant, coram eo conjugia validè contrahi, magister Usus & Mattiali hôc seculô nota praxis docet: idque omni difficultate caret in Missionariis Regularibus exercituum Cæsareanorum; cùm eorum superiori Castrensi à sedis Apostolicæ ad sacram Cæsaream Majestatem Legato animarum cura & Sacramentorum omnium (Confirmatione & Ordine duntaxat exceptis) administratio committi soleat cum peramplis prærogativis & facultate, eas legionum Curionibus seu Capellanis tam Secularibus quàm Regularibus communicandi; ut hi legionariis suis, sicut cætera Sacramenta & divina administrare, sic eorum etiam matrimoniis assistere & desponsatis nuptialem benedictionem impertiri, tam in stativis quàm in expeditionibus, possint.

52. Si milites proprio ejusmodi Curione seu Capellano careant, à Lessio in *Auctario V. Matrimonium n. 26.* & Gobat *Experient. Tract. 9. n. 496.* vagis adnumerantur non solùm, quando in expeditione & castris sub papilionibus degunt, sed etiam, quando sunt in hybernis, imo & in præsidiis: dummodo his non stabiliter saltem per majorem aut notabilem anni partem sint addicti: sed pendeant à nutu ducis, ipsos ad exercitium vel expeditionem aut ad aliud præsidium evocantis; ut adeò ab hujusmodi militibus quocunque loco coram ejus parocho matrimonia validè, & præmissâ cautelâ, à Tridentino *cap. 7. cit.* præscriptâ, etiam licitè celebrentur. An coram tali parocho validè copulentur, quando Curionem seu Capellanum Castrensem proprium habent, dubium est, cujus Resolutionem Eminentiss. Card. de Luca ab observantia & tenore facultatum, ejusmodi Capellanis concessarum, pendere, ait *in Annotat. ad S. Concil. Trident. Discursu 26. n. 16.*

Dubium sextò de quocunque Parocho, subditorum suorum matrimoniis 53.
assistente, est, an debeat esse Sacerdos. Eum enim, qui Subdiaconatûs vel etiam Diaconatûs Ordine initiatus est, illorum conjugiis invalidè assistere, existimârunt Rodriquez *Tom. 5. cap. 219. n. 7.* & Petr. Ledesma *cit. q. 45. art. 5. p. 3. dub. 11.* & suadetur ratione; quia Ordo Sacerdotalis à Tridentino exigitur in eo, qui de Parochi vel Ordinarii licentia Parochianorum non suorum matrimonio assistit, *cit. cap. 1.* ibi *Qui aliter quàm præsente Parocho vel alio Sacerdote &c.* ac proinde etiam in ipso Parocho matrimonio assistente, cùm; quia dictio *Alius*, cùm sit relativa & repetitiva similium, personam in qualitate similem denotat, secundùm Tuschum *Practic. V. Dictio conclus. 245. n. 5.* tum verò; quia Sacerdos in nuptiis adhiberi debuit de Jure antiquo, *can. 1. can. Nullus &c. 30. q. 5.* à quo S. Synodum non divertisse, credendum est præsertim; cùm nulla ratio sit Sacerdotium exigendi in alio delegato potiùs, quàm in ipso Parocho delegante.

Nihilominus Parochum non Sacerdotem conjugiis validè, imò etiam licitè assistere & assistendi licentiam alii Sacerdoti dare, cum Guttierez *cap. 62. n. 16. & 20.* rectè defendunt *citt.* Sanchez *disp. 20. à n. 3.* & Pontius *Lib. 5. cap. 17. n. 1.*

& 4. id firmantes S. Congreg. Cardd. declaratione. Ratio est; quia ex una, qui Sacerdos non est, Parochus esse, *c. Licet 14. de Elect. in 6.* &, quæ à potestate Ordinis non dependent, exercere omnia potest. Ex altera verò parte, Tridentinum assistentiam Parochi exigit, non expressâ mentione Ordinis Sacerdotalis: ejúsque assistentia non est actus istius.

Neque refert; quòd proferre debeat verba, *Ego vos conjungo, in nomine Patris &c.* ex præscripto S. Synodi Trident. *cap. 1. cit.* quia non apparet, cur hæc à Parocho non Sacerdote nequeant proferri, ut notat Sanchez *cit. n. 4.*

Neque aliud rectè infertur ex verbis, *Vel alio Sacerdote*; quia dictione *Alius* non semper qualitatem similem denotari, patet ex illo, *Ducebantur autē & alij duo nequā, cum eo, Lucæ 23. v. 32.* Quando autem similium repetitiva sit, ex materia subjecta, & in proposita dubitatione desumendum est ex qualitate actûs præsentiæ Parochialis: quæ, cùm non sit actus Ordinis, Parochum solummodo requirit, quantumvis in istius delegato insuper Presbyteratûs Ordo exigatur, ut rectè observant *citt.* Perez *disp. 40. sect. 3. n. 4.* & Gobat *Tract. 9. n. 485.*

54. Dubium septimò est, an matrimonio validè assistat Parochus excommunicatus. Non quidem, si is toleratus & non vitandus sit; talem enim illi validè assistere, satis exploratum est, cùm *arg. c. Ad probandum 24. de Sent. & re jud.* tum verò propter *Extravag. Ad vitanda* à Martino V. vel potiùs III. in Concilio Constantiensi editam, & cum hujusmodi excommunicatis communicationem fidelibus, quatenus in eorum favorem & commodum cedit, permittentem. Sed, si non toleratus sit ac vitandus; de hoc enim, an matrimonio validè assistat, dubitandi ratio non levis est; quòd Parochus fidelium matrimoniis assistendò exerceat actum officii ac potestatis publicæ; cùm illis assistat quà parochus, ejúsque præsentiæ defectus mille testibus nequeat suppleri: actus autem ab excommunicato vitando exerciti ratione officii & potestatis publicæ ipso Jure irriti sint; cùm hanc solùm ob causam electionis, collationis & institutionis actus, ab hujusmodi censurato gesti, ab eóque latæ sententiæ Jure non subsistant, *c. Cùm inter 16. de Elect. c. Unico, Ne sede vac. in 6. c. Ad probandum cit. & c. Decernimus 8. de Sent. excom. in 6.* Qua ratione ductus Avila *p. 2. de Censur. disp. 3. dub. 1. concl. 5.* coram Parocho excommunicato vitando celebrata matrimonia pro irritis habet.

Verius tamen, ea Jure subsistere, cum Navarro *Consil. 4. hâc Rubr. in fine*, docent Suarez *de Censur. disp. 11. s. 2. n. 2. citt.* Sanchez *disp. 21. n. 4.* Pontius *Lib. 5. cap. 17. n. 6.* Perez *disp. 40. s. 4. à n. 3.* & Palao *Tract. 28. disp. 2. p. 13. §. 10. n. 6.* se fundantes in decreto Synodali *cap. 1. cit. §. Qui aliter*, ad contractum matrimonialem præcisè exposcente; ut celebretur coram proprio parocho & duobus vel tribus testibus præsentibus: qualis parochus verè est, licet excommunicatus non toleratus sit; cùm censura excommunicationis neque titulô & proprietate, neque possessione parochiæ, neque ipsâ etiam nuptiis assistendi potestate privet; quia id nullo Jure est expressum.

Pro ejus assistentiæ & matrimonii nullitate deducta ratio speciosa magis quàm solida est; quia excommunicatio actus ex officio & potestate publica gestos non indiscriminatim omnes, sed eos duntaxat inficit ac irritat, de quibus id expressum est Jure: isto autem id de assistentia matrimoniali expressum non est; cùm ea non sit actus Jurisdictionis &, contrà quàm istius actus soleant, à Parocho præ-

cho præsente, contra ipsius assistentiam seria voluntate negantis intentionem ac protestationem, sufficienter præstetur: neque etiam alius ex enumeratis & Jure, ob eos exercentis censuram, irritatis actibus sit.

Neque pro eadem nullitate facit; quòd Parochus matrimoniis assistat tanquam eorum testis qualificatus: excommunicati autem vitandi testimonium idoneum non sit, *c. Veniens 38. in fine, de Test. & attest. c. Decernimus cit. & c. Licet 13. de Sent. excom. in 6.* Mascardus *de Probat. concl. 706. à n. 1. & n. 18.* quia, ut hic Doctor *n. 15.* advertit, id perpetuum non est; cùm hujusmodi censurati testimonium admittatur in causis Fidei, *c. In fidei 5. & c. Præsidentibus 6. de Hæret. in 6.* & aliis in quibus infamium testimonium recipitur, *arg. c. Tanta 7. de Simonia:* in causis autem matrimoniorum ad probandum eorum contractum infames & aliàs minùs habiles testes recipiuntur, ut cum *cit.* Mascardo *concl. 1024. n. 15.* Guttierez *de Matrim. cap. 62. n. 25.* & aliis latè ostendit *cit.* Sanchez *disq. 41. n. 5.*

Quin hujusmodi Parochi censurati non assistentiam duntaxat, sed ipsam quoque benedictionem Nuptialem, sponsis ab eo solenniter collatam, Jure validam esse, ex aliorum DD. communi sententia docent *citt.* Suarez *s. 3. n. 9.* & Perez *s. 4. n. 7.* quòd generaliter Sacerdotalis & Episcopalis Ordinis actus, qui jurisdictionis actum non involuunt, substantiali ritu observatò, à censurato etiam vitando valide exerceantur: licet temerariò eorum exercitiò irregularitas contrahatur, *can. Si quis Episcopus, 11. q. 3. c. Apostolicæ 9. & c. fi. de Clerico excom. ministr.* ut *ad hanc Rubr. à n. 3.* ostendetur.

55. Dubium octavò est de Parocho, cui propter imperitiam vel in criminis pœnam Sacramentorum administratio generaliter, vel specialiter assistentia matrimonialis ab Episcopo est interdicta. Coram quo, licet, interdictò insuper habitò, parochianorum nuptiis assistendò graviter delinquat, celebrata matrimonia valore non destitui, cum *cit.* Ledesma *q. 45. art. 5.* in eam rem decisionem Rotæ & S. Congreg. Cardd. Concilii Interpp. declarationem allegante, sustinent Henriquez *Lib. 11. cap. 3. n. 4. citt.* Sanchez *n. 11.* & Perez *n. 6.* quia, inhibitione illa non obstante, verè Parochus est, retinétque titulum beneficii Parochialis; cùm non eò ipsò; quòd generali, ne in Sacramentorum administratione se ingerat, vel speciali præceptò, ne aliquos matrimoniò conjungat, ipsi interdictum sit, privatus censeatur titulò & potestate parochiali; ac proinde ejusmodi inhibitione assistentia matrimonialis Parocho solummodo illicita, non etiam contra eam attentata invalida reddatur.

Dubium nonò est de valore matrimonii initi coram Parocho solùm existimato vel; quòd Parochiale beneficium ipsi invalidè collatum, vel; quod eò propter occultum vg. hæreseos crimen ipso Jure & facto fuerit privatus. Qua in re inhærendum est traditis *Lib. 2. art. 3. ad finem*, statuendúmque, sicut alia, quæ à Sacerdotali Ordine non dependent, imò si Parochus verè sacerdos sit, ab isto etiam dependentia ejus acta, sic etiam matrimonia, quibus assistit, valida esse; quòd, errore communi interveniente, propter utilitatem publicam & ad scandala aliáque haud sanè levia incommoda, quæ ex matrimoniorum aliorúmque actuum nullitate provenire possunt, excludenda ab Ecclesia tituli parochialis & potestatis defectus suppleatur, *arg. l. Barbarius 3. ff. de Offic. Prat.* §. *Veruntamen* post *can. Infamis, 3. q. 7. & c. Ad probandum cit.* 56.

Quod verum est, quantumvis tituli defectus ab ipso parocho existimato & ab ipsis etiam contrahentibus cognoscatur: dummodo communi errore verus Parochus esse existimetur, ut *arg. l. Nam ad ea 5. ff. de LL.* notant *citt.* Guttierez *cap. 62. n. 22.* Sanchez *disp. 22. n. 62.* Perez *s. 5. n. 3.* & Palao §. *& n. 10.*

57. Verisimiliùs id etiam procedit, quantumvis Parochus careat titulo colorato sive accepto ab eo, qui habuit potestatem conferendi; quia utilitas publica, cujus intuitu legitimæ potestatis defectus suppletur, tituli colorati deficientis casu non minùs urget, quàm casu, quô Parochus putativus habet titulum coloratum acceptũ ab eo, cui Parochiale beneficium conferendi potestas verè competebat, ut cum Pontio *Lib. 5. cap. 20. n. 3.* Diana *p. 3. tract. 4. resol. 122.* & aliis dictum *cit. Tit. 1. art. 3. ad finem.*

58. Præter Parochum proprium vel Ordinarium, ab iisque delegatum Sacerdotem, ut matrimonium validè ineatur, ejus contractui præsentes esse, necesse est, duos vel tres testes, ex decreto Synodali *cap. 1. §. Qui aliter cit.* Unde

59. Dubium decimum nascitur primò de eorum qualitate; Testes enim legitimos omnique exceptione majores ad valorem matrimonii exigunt quidam RR. ducti Primò rescriptô Alexandri III. in causis matrimonialibus *Testes circumspectos omni exceptione majores* exposcente, propter earum arduitatem: cujus intuitu etiam matrimonii causas non per quoslibet, sed discretos judices voluit tractari, *c. 1. in fine, de Consang. & Affinit.* Secundò; quia ad probationem matrimonii antiquo Jure exposcebantur testes non qualescunque, sed integri omnique exceptione majores: & repellebantur, quorum fides poterat esse suspecta, *c. Super eo 22. de Test. & attest.* ut aliis relatis docent Covarruvias *p. 2. de Sponsal. cap. 8. §. 12. n. 17.* & Ant. Gabriel *Tit. de Testibus, concl. 8. n. 3.* Cùm ergo ad excludendam Jurium correctionem novum recipiat interpretationem ab antiquo, sicut isto, sic & novissimo Jure S. Synodi Trident. *cap. & §. cit.* requisitos testes integros omnique exceptione majores esse, est necesse; quòd eorum præsentia ad legitimam matrimonii probationem exigatur: matrimonii autem legitima probatio non habeatur, nisi de ejus contractu fidem faciant duo vel tres testes integri omnique exceptione majores, *c. Consultationi 28. de Sponsi. & Matrim. & c. Attestationes 10. de Despons. impub.* quorum locorum priori, matrimonium legitimis & idoneis testibus probatum, refertur: posteriori ad illius probationem idonei testes à muliere exiguntur, juxta *can. Placuit 2.* ibi, *Ut quique optimi & fideliores in testimonium assumantur, 4. q. 3. & l. 1.* ibi, *Quorum fides non vacillet, ff. de Testibus*, ut cum Decio *in c. Veniens 38. de Test. & attest. n. 30.* tradunt Covarruv. *cit. §. 12. à n. 17.* Gabriel *n. 3. cit.* & Mascardus *de Probat. concl. 1024. n. 4.* Tertiò; quia S. Synodus *cit.* duos testes exigit; ne matrimonium sit clandestinum: quale ut id non sit, necessarium est; ut ejus legitima probatio habeatur; cùm matrimonium, cujus legitima probatio non habetur pro clandestino apertè habeatur *c. Quod nobis 2. de Clandest. desponsi.* ibi, *Si matrimonia ita occultè contrahuntur, ut exinde legitima probatio non appareat:* legitima autem rei probatio per testes non habetur, nisi, qui de illa deponunt, integri & majores sint legitima exceptione, *l. 1. ff. de Testibus & Novell. 90. pr. & cap. 1.*

At, licet rationes istæ primô occursu veri speciem magnam præ se ferant, cum 60

rant, cum Synodali tamen decreto collatæ eâ vi non pollent, ut persuadeant intentum. Iis certè nihil moti *citt.* Perez *s. 9. n. 5.* Palao *p. 12. §. 13. n. 3.* & Gobat *Experient. Tract. 9. n. 520.* cum Ant. Cuccho *Lib. 5. Instit. major. tit. 15. n. 61. citt.* Henriquez *cap. 3. n. 5.* Guttierez *cap. 24. n. 74.* Sanchez *disp. 41. n. 5.* & aliis, in testibus, qui fidelium matrimoniis cum Parocho assistant, ullam peculiarem qualitatem requiri, negant; ac proinde matrimonium coram proprio Parocho & testibus, contrahentium alteri cognatione aliáve necessitudine conjunctis, impuberibus, feminis, servis, paganis, excommunicatis, notatis infamiâ &c. validè iniri docent, unicâ sed solidâ nixi ratione; quòd S. Synodus Parochi & duorum triúmve testium præsentiam exigat simpliciter & sine peculiaris qualitatis mentione: atque insuper ejus decretum antiqui Juris, ad matrimonii valorem ullos testes non exposcentis & clandestina quoque tanquam valida sustinentis, correctorium odiosúmque & strictæ interpretationis sit; ut proinde in testibus matrimonio assistentibus ultra moralem eorum præsentiam nulla peculiaris, sed eæ solùm qualitates requirantur, quas exigit Jus Naturale, à testimonio dicendo neminem removens: nisi de quo justus timor est, eum verum dicere vel non posse vel non velle.

61. Confirmatur hæc ratio & Resolutio; quia hujusmodi testes aliàs minùs idonei & habiles rei gestæ fidem sufficienter faciunt Primò, quando communi partium consensu adhibentur, per tradita à Baldo *in l. Parentes 6. C. de Testibus n. 1.* & Gabriele *Tit. cit. concl. 10. n. 50.* in matrimonio autem testes comuni contrahentium consensu & rogatione adhibentur. Secundò, quando minùs habilis cum alio habili & omni exceptione majori concurrit; quòd tali casu habilitas unius suppleat alterius inhabilitatem, *cit.* Gabriel *concl. 5. à n. 1.* præsertim si habilis, ut in contractu matrimoniali, Parochus sit, *arg. c. Cùm esses 10. de Testament.* Tertiò in causis favorabilibus, ut causa Fidei, *c. In fidei 6. de Hæreticis in 6.* atque etiam matrimonii est, *c. fin. de Sent. & re jud. & c. Directa 39. de Appellat.*

Neque ita roboratam Resolutionem convellunt contra eam deducta argumenta. Primum; quia *c. 1. cit.* agitur de matrimonii propter impedimentum dissolutione: quæ malè facta cùm in conjugis & ipsius Sacramenti matrimonii gravissimum præjudicium cedat juxta dicta *Tit. 1. n. 37.* ejus càusa perinde ferè ut Criminales, *l. fin. C. de Probat.* exigit omnino liquidam probationem, testes non quoscunque, sed omni exceptione majores exposcentem, *c. 1. cit. & c. In literis 24. de Test. & attest. ubi* Felinus *n. 6. citt.* Gabriel *concl. 8. n. 5.* & Mascard. *à n. 10.*

Secundum; quia imprimis *c. Super eo cit.* mater ex speciali ratione admissa non est; quòd ejus fides esset valde suspecta, propter desiderium incrementi & honoris filiæ suæ, proveniens ex matrimonio cum viro nobilitate, honore & opibus præcellente, à quo filiam suam *Affidatam*, sive per verba de præsenti sibi desponsatam, voluit testificari. Deinde *c. cit.* repulsa non est mulier contestis, licet omni exceptione major non sit, *can. Mulierem 33. q. 5. & c. Forus 10. in fine de V. S.* Demum; quia, licet matrimonium exigat probationem plenam, ea tamen, sicut per duos testes exceptione majores, sic etiam per duos exceptione non majores, cum parocho, qualificato & magnæ fidei teste concurrentes, habetur, cùm quia, esto duorum singuli semiplenam probationem non faciant, talem tamen

faciunt

faciunt in causa matrimonii, cùm de eo dissolvendo non agitur, per tradita à Farinacio *Prax. Criminal. q. 62. n. 273. & 317.* tum verò; quia eorum defectus à tertio scilicet parocho, plus quàm habili & qualificato teste, suppletur, secundùm *cit.* Farinac. *à n. 328.* Unde corruit

Tertium; quia eô ipsô; quòd duobus minùs habilibus adjunctus integer & singularis fidei testis faciat probationem plenam, sufficit ad tollendum vitium Clandestinitatis, arg. à contrario ducto ex *c. Quod nobis cit.* præsertim; cùm testes mutuô contrahentium consensu & rogatione adhibiti sint, ut cum Baldo *in c. In nomine 2. de Test. & attest. n. 3.* Boërio *Decis. 246. n. 2.* & aliis observat Farinac. *q. cit. n. 111.*

62. Dubium undecimò est de matrimonio coram Parocho & testibus, non simul sed successivè præsentibus, contracto. De cujus valore dubitandi ratio est; quòd eorum ita præsentium testimoniis fides Ecclesiæ fiat de matrimonii contractu. Verùm, quia S. Synodus disertè irritat matrimonium initum *Aliter quàm præsente Parocho &c. & duobus vel tribus testibus*, & hos cum illo per copulativam dictionem *Et* conjungit, simultaneam illorum præsentiam ad matrimonii valorem necessariam esse, rectè docent *cit.* Sanchez *disp. 41. n. 3.* & Perez *s. 9. n. 3.* Ratio est; quia ex mente S. Synodi Parochus & testes de uno eodémque contractûs nuptialis actu fidem Ecclesiæ facere debent: quod non possunt, si non simul sed successivè tantùm sint præsentes; cùm, si successivè præsentes sint, de unô contractûs actu solus Parochus: testes autem de alio actu testimonium perhiberent, elsémtque singulares, quorum tres minùs, quàm totidem non singulares, sive de uno eodémque contractûs actu testificantes, probant secundùm Glossam *in c. Cùm dilectus 32. V. Probatio, de Electione*, præsertim de actu contractûs nuptialis, de quo Parochi & duorum triúmve aliorum testimonium S. Synodus requirit.

Dubium duodecimò est de modo, 63.
quô testes cum Parocho præsentes esse debent contractui matrimoniali. Et eos quidem huic præsentes esse debere modô humanô & morali, sive ita; ut sponsos in matrimonium de præsenti consensisse intelligant, & de hoc Ecclesiæ fidem facere possint, facilè convenit inter omnes.

Non etiam, an sufficiat eorum præsentia coacta, violenta, casualis; hoc enim aliqui inficiantur: & Segura quidem *Direct. Judic. p. 2. cap. 15. n. 588.* Parochi inviti coactam: Barbat. *Vol. 1. Consil. 45. n. 3.* cum Glossa *in can. Testes 3. q. 9.* testium non vocatorum seu non rogatorum: Gonzalez *ad Reg. 8. Gloss. 48. n. 35.* Bonacina *l. cit. q. 2. p. 8. n. 20.* & Pontius *l. cit. cap. 21. n. 4.* istorum & illius merè casualem præsentiam sufficere, negârunt.

Verìus *citt.* Sanchez *disp. 39. n. 9.* 64
Guttierez *cap. 60. n. 10.* eósque secuti Perez *disp. 40. s. 10. n. 5. & 9.* Diana *p. 10. Tract. 13. Resol. 16.* Barbosa *de Offic. Parochi cap. 21. n. 50.* Gobat *Tract. cit. n. 492.* & alii RR. Cardd. declarationem pro se allegantes, sicut illorum præsentiam vi dolóve extorquentes, & procurantes graviter peccare, & pœnis Ecclesiasticis esse obnoxios, sic validè contrahi docent matrimonium, cui Parochus, & testes etiam non rogati, inviti, & casu, modô tamen humanô, sive; ut, quid inter sponsos agatur, intelligant, intersunt. Ratio est; quia etiam sic obtinetur finis, & impletur præceptum S. Synodi Tridentinæ. Finis quidem; quia illorum ita, quôcunque demum modô,

præsen-

præsentium testimoniô Ecclesiæ fides fieri de contracto matrimonio, *arg. l. Ad fidem 11. ff. de Testibus* ejusque dissolutio & alterius celebratio impediri potest. Præceptum verò; quia *cap. 1. cit. §. Quodsi & §. Qui aliter* solùm præcipitur; ut matrimonia celebrentur Parocho, & duobus vel tribus testibus præsentibus: præsente autem aliquo, sive coram eo fieri dicitur; quod fieri etiam invitus advertit, secundùm *l. Coram 209. ff. de V. S.* & Gloss. *in Extravag. Execrabilis V. Coram, Joan. XXII. de Prabend.*

Confirmat ista praxis Curiarum Episcopalis Germaniæ nostræ pro valido non ita pridem habentis matrimonium, quod duo propter impedimentum sponsalium, ab altero eum alia priùs initorum, prohibiti coram proprio Parocho in ædibus suis occupato: & Archiepiscopalium, Mediolanensis atque Apostolicæ Romanæ, idem pronuntiantium de matrimonio, quod alii, cùm propter Ordinarii prohibitionem Parochi copiam aliter habere non possent, coram eo, dum in Ecclesia Sacram Deo Hostiam offerens ad populum se converteret & nihil tale suspicaretur, præsentibus, quos secum adduxerant, duobus aliis testibus celebrârunt, teste Diana *p. 10. Tract. 13. resol. 16.* Unde, quas Pontius *l. cit.* in contrarium allegat Cardd. declarationes, si Authenticæ sint, Diana *resol. cit. §. Nota*, & Bossius *de Matrim. cap. 3. n. 6.* intelligendas ajunt de casu, quô Parochus & testes vi, dolo, aut casu præsentes, quid inter sponsos, & an seriò & matrimonii ineundi intentione actum sit, non satis intellexerunt.

ARTICULUS IV.
De Matrimonialis Assistentiæ Commissione.

SUMMARIUM.

65. Committi ea Sacerdoti extraneo,
66. A Parocho vel Ordinario,
67. Verbô, scriptô &c. etiam generaliter potest,
68. Et censetur, commissa administratione Sacramentorum.
69. Ad assistentiam nuptialem sufficit licentia tacita præsens:
70. Non solummodo futura;
71. Ut ratihabitio mandato non comparetur.
72. Milites hodie sæpe contrahunt coram Curione legionis alienæ,
73. Ex commissione vel consuetudine.
74. Non sufficit licentia nondum intimata,
75. Nisi petita sit, sciente sacerdote.
76. Cujus tamen usus fere illicitus est.
77. Valida est licentia extorta metu,
78. Doléve obtenta:
79. Nisi allegationis veritati fuisset alligata.
80. Licentia generalis non comprehendit casum, in specie non concedendum.
81. Extra parochiam usus non est licentiæ ad eam restrictæ.
82. Et, secundùm aliquos, sine restrictione concessæ.
83. Quâ verius extra illam uti licet.

SIcut proprius utriusque vel alterius contrahentium Parochus, sic etiam utriusque vel alterius Ordinarius, & ex ejusdem Parochi vel Ordinarii commissione vel licentia fidelium illis subjectorum matrimoniis assistere valet alius sacerdos, ex decreto Concilii Trid. *Sess. 24. cap. 1. V. Qui aliter, de Reformat. Matrim.* 65.

Ordinarii autem nomine, præter proprium diœcesis Episcopum & Archiepiscopum 66.

piscopum respectu subditorum propriæ suæ diœcesis (non etiam diœcesium suorum suffraganeorum extra casum appellationis, per sententiam, quæ in rem judicatam transiit, justificatæ, vel tempus actualis visitationis, *arg. c. Pastoralis 11. pr. de Offic. Ordin.* Guttierez *de Matrim. cap. 66. n. 3.* Sanchez *Lib. 3. disp. 28. n. 3. & 4.* & Palao *Tract. 28. disp. 2. p. 13. §. 11. n. 1.*) veniunt Sedis Apostolicæ Legati respectu subditorum provinciæ suæ legationis, S. R. E. Cardinales respectu subditorum Ecclesiæ sui quisque Tituli, Capitulum Cathedrale sede Episcopali vacante, Abbates & alii Prælati, non subjecti Episcopo & in certi territorii populum obtinentes jurisdictionem quasi Episcopalem: uti & Vicarius Episcopi & vacante sede Capituli generalis; cùm sit judex Ordinarius idémque tribunal eandémque jurisdictionem cum ipsis habeat, per tradita *Lib. 1. tit. 28. à n. 31. citt.* Guttierez *à n. 5.* Sanchez *à n. 6.* & Palao *n. 1.*

67. Porro ab istis subditorum suorum matrimoniis assistendi licentiam cuivis alii sacerdoti verbô, scriptô, alióve signô externô, per se vel intermediam personam, non solùm specialiter sed generaliter quoque, concedi posse: itáque functionum sive muneris parochialis commissione concessam censeri, res est explorata; quòd generalem dispositionem generaliter itáque, ut omnes species sub se comprehendat, exaudiendam, Regulæ instar sit *can. 1. dist. 19. & l. Si chorus 39. ff. de Legat. 3.* Navarrus *Consil. 13. hâc Rubr. citt.* Sanchez *disp. 35. n. 7.* & Palao *p. 13. §. 12. n. 1.* Hæc satis certa.

68. Dubium autem est primò, an matrimoniis assistendi licentia concessa intelligatur generali commissione administrationis omnium Sacramentorũ. Id enim negant Henriquez *Lib. 11. cap. 3. n. 5. cit.* Sanchez *n. 8.* & Perez *de Matrim. disp. 41. s. 1. n. 8.* quòd Sacramenti matrimonii minister non sit Parochus ab eóve delegatus Sacerdos, sed ipsi contrahentes, juxta dicta *Tit. 1. n. 154.* Verùm, esto hoc ita sit, præsentia tamen parochi necessaria est ad ejus Sacramenti administrationem: & generali ejusmodi commissione comprehendi censentur omnia munera Parochialia, ipsáque assistentia & benedictio nuptialis ex S. Congreg. Cardd. Trident. Interpp. declaratione: secundùm quam, ut de Parochi licentia sacerdos alius parochianorum matrimoniis assistat, *Requiritur commissio administrandi Sacramenta vel, si hac absit, expressa vel specialis licentia*, quam ex Farinacio *Vol. 4.* referunt & hujusmodi generalem commissionem sufficere, verius censent Pontius *de Matrim. Lib. 5. cap. 29. n. 2.* & Palao §. *cit. n. 1.*

69. Dubium secundò est, an sufficiat licentia tacita. Qua in re in speciem pugnantes DD. Opiniones in concordiam haud ægrè reducuntur ope distinctionis inter licentiam tacitam præsentem & futuram; vel enim parochianorum matrimonio alius sacerdos assistit ex præsumptione ratihabitionis parochi præsentis &, cùm ad assistendum se pararet aut actu assistere vellet, tacentis & sine contradictione acquiescentis: vel solummodo ex præsumptione ratihabitionis futuræ sive, quòd credat, parochum assistendi licentiam, si peteretur, concessurum, & assistentiam etiam attentatam ratihabiturum.

Si prius, & parochus præsens, cùm facilè posset, non contradicat, matrimonium alio sacerdote assistente celebratum, subsistit; quòd hujusmodi taciturnitas sit expressum signum consensûs; cùm scientia & patientia in favorabilibus & iis, quæ ta-

quæ tacenti modicum præjudicium afferunt, consensum operetur, *arg. c. Unic. §. fin. de Despons. impub. in 6. l. Si ut proponis 5. C. de Nuptiis & l. Labeo 19. ff. de Aqua plu. arcend.* Panormit. *in c. Nonne 5. de Præsumpt. n. 3.* Bartol. *in l. Quæ dotis 33. ff. Soluto matrim. n. 22.* Petr. Barbosa *in l. cit. n. 153.* & Mascard. *de Probat. conclus. 1158. n. 34.* matrimonium autem favorabile sit, *c. fin. de Sent. & re jud. & c. Directæ 39. de Appell.* eique ab alio sacerdote præstita assistentia scienti ac tacenti parocho modicum, imò nullum præjudicium afferat. Accedit; quòd, ubi licentia requiritur in actu, sufficiat tacita & præsumpta ex ratihabitione præsenti, ut patet exemplô Vicarii generalis: qui, licet beneficia ad Episcopi collationem pertinentia sine mandato seu commissione speciali conferre nequeat, *c. fin. de Offic. Vicar. in 6.* sciente tamen & præsente Episcopo ab eo facta beneficii collatio Jure subsistit, ex Boërii *Decis. 347. n. 13.* Germonii *de Indult. §. Tibi quoad n. 65.* & aliorum sententia communi.

70. Si posterius, & parochianorum matrimonio alius sacerdos assistat ex præsumptione ratihabitionis futuræ; quòd rationabiliter credat, Parochum vel Ordinarium assistentiam suam approbaturum & ratihabiturum, matrimonium non valet. Ratio est; quia S. Synodus ad valorem matrimonii coram alio sacerdote ineundi exposcit; ut id coram isto celebretur *De ipsius Parochi vel Ordinarii licentia*, sive; ut illi assistendi ab horum altero habeat licentiam: is autem, qui licentiam, si petatur ab illorum altero concedendam sive assistentiam ei gratam fore credit, licentiam actu non habet, sed solummodo est habiturus; ac proinde matrimonio invalidè assistit. Confirmatur; quia, quoties ad valorem actus licentia desideratur, ea actum præcedere in eóve intervenire debet, *l. Si quis mihi 35. §. 4. ff. de Adquir. hæred.* Tiraquell. *ad L. Connub. gloss. 6. n. 1.* Atque ita dubitationem hanc resolvunt *citt.* Sanchez *disp. 35. n. 17. & 20.* Pontius *cap. 29. n. 1.* Palao §. *13. n. 4.* Perez *s. 1. n. 6. & 7.* & Gobat *Experient. Tract. 9. n. 488.*

71. Neque posteriori ejus parti adversatur; quòd, si assistentia matrimonialis ante contractum vel istius initi tempore fuisset mandata, matrimoniũ validum foret: ratihabitio autem ad contractûs celebrati tempus retrotrahatur & mandato comparetur, *Reg. 10. in 6.* quia Regulæ huic locus non est, in contractu nuptiali: qui sicut à procuratore sine antecedente mandato non iniri, *arg. c. fin. de Procurat. in 6.* sic etiam à sacerdote non parochiali absque antecedente vel præsente Parochi vel Ordinarii licentia ei assisti non potest, ex decreto Synodali §. *Qui aliter cit.* cùm; quia isto licentia requiritur ad valorem: ubi autem licentia desideratur ad valorem actûs, istum præcedere in eóve intervenire debet, *arg. l. Si quis cit.* tum verò; ut contractûs matrimonialis valor non sit incertus: qualis tamen est, qui pendet à futura ratihabitione; cùm, sicut istâ secutâ validus, sic eâ non secutâ irritus foret. Unde

72. Dubium tertium nascitur, an ergo invalida sint matrimonia militum Cæsareanorum, qui ea, absente proprio suæ, coram alienæ legionis Curione seu Capellano Castrensi contrahunt. Cujus casûs frequentiæ occasionem præbet nostri ævi exitialibus armis, præsertim modernô per Europæ Regna & provincias fere omnes diffuso bellô recepta partitio legionum; ut sæpe cohortes & manipuli militum ejusdem diversis, & diversarum legionum co-

num cohortes & manipuli eidem præsidio imponantur, & plerumque unius tantùm legionis Curio seu Capellanus Castrensis sit præsens, & coram eo matrimonium ineant milites diversarum legionum. De quorum valore dubitandi ratio obvia & gravissima est; quòd, cùm hujusmodi militum matrimoniis assistendi licentia à proprio ipsorum Curione, cum alia legionis parte procul & sæpe diu absente, haberi plerumque non possit, is, qui præsens & diversæ legionis curio est, illis assistat ex licentia solùm tacita, fundata in futuræ ratihabitionis præsumptione: cujusmodi licentiam ad contractûs nuptialis valorem non sufficere, antè est dictum.

73. Hâc tamen ratione non obstante, ejusmodi matrimonia pro validis communiter habentur, & habenda sunt; partim propter generalem conventionē Curionum seu Capellanorum Castrensium, quorum in spiritualibus curæ singulæ legiones sunt commissæ: & commissionem Superioris omnium Castrensis, cum potestatis & facultatum à Sedis Apostolicæ ad Aulam Cæsaream Legato acceptarum communicatione, sicut Sacramenta suis & proprio earum Curione absente alienis legionariis administrandi, sic etiam eorum matrimoniis assistendi licentiam concedentis: partim propter generalem & rationabilem consuetudinem, hujusmodi licentiam conferentem; cum enim eâ, si rationabilis & legitimè præscripta sit, acquiri valeat jurisdictio fori interni, ut cum Panormit. *in c. fin. de Pœnit. & remiss. n. 5.* & Franco *in c. Si Episcopus 2. Rubr. cit. in 6. n. 3.* docent Sylvester *V. Confessor 1. n. 8. in fine*, Navarrus *in can. Placuit 3. dist. 6. de Pœnit. n. 40.* & Laiman. *Lib. & Tract. 5. cap. & n. 4.* eâdem acquiri etiam poterit licentia, talibus casibus occurrentibus, alienornm legionariorum matrimoniis, proprio ipsorum curione absente, assistendi.

Dubium quartò est de valore ma- 74.
trimonii celebrati alio sacerdote assistente de licentia concessa, sed nondum intimata. Qua in re multùm interesse primò intuitu videtur, an illi assistendi licentia à Parocho vel Ordinario concessa sit motu proprio, aut etiam ad alicujus instantiam, sed sacerdote ignorante: vel ab isto eóve sciente ab alio per nuntium aut epistolam petita, & ab illorum altero concessa sit; horum enim casuum priori coram extraneo sacerdote, antequam licentiæ concessæ notitia ad ipsum perveniret, assistente celebratum matrimonium non valere: posteriori autem casu id subsistere, cum *cit.* Sanchez *disp. 36. n. 8.* sustinent Filliucius *Tract. 10. p. 1. n. 220.* Palao *cit. §. 12. n. 6.* & Barbosa *in Trident. cap. 1. cit. n. 117.* Ratio prioris partis est; quia eo casu assistendi licentia ab extraneo sacerdote non est acquisita; cùm licentiæ concessio sapiat naturam gratiæ privilegiô concessæ & donationis: &, sicut istæ, sic & illa à Parocho vel Ordinario liberaliter & nullo cogente fiat: quæ privilegia & donationes effectum non sortiuntur, nisi à tempore acceptationis, *c. Si tibi absenti 17. de Præb. & dignit. c. 1. §. Ex parte, de Concess. præbend. utrobique in 6. & l. Qui absenti 38. pr. ff. de Adquir. possess.* licentia autē non petita, sed motu proprio vel ad instantiam alicujus tertii concessa, à sacerdote ignorante acceptari non potest, *arg. l. Si per errorem 15. ff. de Jurisdict. & l. Nec ignorans 10. C. de Donat.* Posterioris verò ratio est; quòd privile- 75.
gii, gratiæ & facultatis concessio ab ipso concessionis tempore prosit, *arg. l. Consensisse 2. ff. de Judiciis & l. Licet 6. C. de Repud.* quarum *ll.* prioris §. *1.* prorogatæ ju-

gatæ jurisdictionis usum habet ignorans: ex dispositione posterioris matrimonium dissolvitur, quamvis repudii libellus nondum traditus & cognitus sit; cùm privilegii & facultatis concessio æquiparetur voluntati testatoris, *Novell. 22. cap. 2. §. Disponat*, à quo relictum legatum acquiritur à tempore mortis, *l. Cùm pater 77. §. 3. ff. de Legat. 2.* Quæ ratio eô saltem casu vim habet, quô facultas seu licentia petita, ejúsque concessio per nuntium vel epistolam est transmissa; quia hôc casu licentia vg. matrimonio assistendi à Sacerdote acquisita jam est; cùm ejus nomine à nuntio, imò ab ipsomet antecedenter jam sit acceptata; ut adeò nihil impediat, quô minùs matrimonio validè assistat, licet concessionis notitia ad eum non pervenerit.

76. Rectè tamen DD. *citt.* monent primò, assistentiam matrimonialem extraneo Sacerdoti illicitam esse ante licentiæ sibi concessæ notitiam acceptam; quòd, si antè assistat, periculum sit invalidæ administrationis Sacramenti matrimonii; cùm hoc irritum esset casu, quô licentia à Parocho vel Ordinario ex quacunque causa esset denegata. Secundò, à Sacerdote extraneo non facilè credendum asserenti, se matrimonium coram ipso ineundi licentiam à Parocho vel Ordinario accepisse, præsertim si matrimonium sine denuntiationibus contrahere vellet; cùm propter rationem allatam, & gravissima incommoda, quæ inde oriri facilè possunt: tum verò; quod matrimonium pertineat ad forum Ecclesiæ externum: in iis autem, quæ ad hoc forum pertinent, in suum favorem aliquid asserentibus non facilè credatur, *arg. c. Sicut nobis 39. de Sent. excom.*

77. Dubium quintò est, an valida sit assistentia matrimonialis ex licentia extorta metu. Ratio dubitandi est; quòd, sicut matrimonium, sic etiam constitutio procuratoris metu extorta, itáque facta promissio dotis propter relationem vel accessionem ad matrimonium irritæ sint, juxta dicta *Lib. 1. tit. 40. à n. 40.* Unde idem statuendum videtur de ita obtenta licentia matrimonio assistendi; cùm, quia etiam hæc ad matrimonium refertur: tum verò; quia actus est potestatis, affinis jurisdictioni, cujus prorogationem metu extortam pro invalida habent Glossa *in c. Abbas 2. V. Coactus, de Iù, quæ vi metúsve cauſ.* Panormit. *ibid. n. 12.* & Anchoran. *n. 3.* Sed leve est, quod ab istorum actuum nullitate ad assistentiæ matrimonialis licentiam ducitur argumentum; cùm, metu extortam jurisdictionis prorogationem & collationem Jure subsistere, liqueat ex dictis *cit. Tit. 40. n. 49.* Procuratoris autem nuptialis constitutionem dotisque promissionem valore destitui, proditum sit Jure: quô metu injustè incusso obtentæ matrimonio assistendi licentiæ nullitas expressa non reperitur; ut propterea hanc & matrimonium, cui vigore licentiæ metu extortæ Sacerdos extraneus assistit, esse invalida, meritò negent *citt.* Guttierez *cap. 69. n. 14.* Sanchez *disp. 39. n. 13.* Hurtad. *Disp. 5. n. 39.* Perez *ſ. 5. n 2.* & Palao *§. 12.* quòd, licet ea extraneo Sacerdoti necessaria sit ad valorem matrimonii, istius tamen libertatem ex parte contrahentium metus, quô illi assistendi licentia extorta est, non afficiat, multóque minùs lædat.

Dubium sextò est, de matrimonio assistendi licentiâ, obtenta dolô, vg. urgentis necessitatis causâ falsò allegatâ, vel nomine alicujus Magnatis à Parocho vel Ordinario per mendacium petitâ & impetratâ. Cujusmodi licentiæ valorem ancipitem reddit defectus consensûs in concedente, illam non daturo, si dolosô mendaciò deceptus non fuisset, & errante cir- 78.

rante circa causam motivam concessionis; cùm consensui nihil magis contrarium sit quàm error, *l. Si per errorem cit. & l. Non idcirco 9. C. de J. & F. J.* & falsæ causæ expressio ob vel subreptitiam & irritam reddat dispensationem, *c. Ad præsentiam 2. de Filiis presb. & c. Quia circa 6. de Consang. & affinit. ubi* Glossa *V. Falsa*, Panormit. *n.* 4. & Fagnan. *à n.* 2.

79. Rationi huic non nihil & non nimium tribuendum; quia plurimùm interest, an dolosum ejusmodi mendacium rationẽ habuerit causæ finalis vel solumodo impulsivæ; cùm, licet licentia ex eáque secuta nuptialis assistentia irrita sit, quando falsò allegata causa, vel nomen & authoritas Magnatis fuit causa finalis concessionis ita; ut hæc illius veritati à concedente fuerit alligata; quòd tali casu apertè deficiat consensus: casu tamen, quô Parochus vel Ordinarius, intellectâ allegationis vanitate, licentiam nihilominus fuisset concessurus: uti &, si hanc quidem allegationis falsitate cognitâ concessurus non fuisset, ejus tamen veritati, ut communiter solet, licentiæ concessio alligata non fuit, licentia assistendi ipsáque assistentia & contractus matrimonialis subsistunt. Ratio est; quia posteriori hôc casu non deficit consensus; cùm eô ipsô, quòd causæ & authoritati allegatæ non fuerit alligatus, simpliciter & absolutè præstitus sit. Ita aliis DD. relatis *citt.* Sanchez *disp. 39. à n.* 14. Perez *s. 6. à n.* 2. & Palao §. 12. *n.* 2.

Neque cum posteriori Resolutionis parte pugnat nullitas dispensationis aut alterius gratiæ Apostolicæ, impetratæ per falsitatis narrationem aut reticentiam veritatis, quâ cognita dispensatio aliáve gratia concedenda non fuisset; quia etiam hujusmodi gratiam ob vel subreptitiam non reddit cujuscunque hujusmodi, sed ejus tantùm falsitatis expressio aut reticentia veritatis, cujus expressæ veritatem, aut veritatis, si subsit, expressionem ita requiri, ex Jure, Curiæ stylo vel Consuetudine constat; ut, si, quod narratur seu exprimitur, falsum sit, aut veritas, quæ subest, non exprimatur, Papa dispensationem aliámve gratiam suam valere nolit, per tradita *Lib. 1. tit. 3. à n.* 41. *& 46.* Unde pro firmanda posteriori Resolutionis parte à contrario arguendô infertur, eô ipsô; quòd dolosô mendaciô expressa causæ vel Magnatis nomine factæ petitionis veritati à Parocho vel Ordinario cõcessa matrimonio assistendi licentia alligata non sit, istius eámque secutæ assistentiæ & contractûs nuptialis valori causæ expressæ falsitatem & nominis sive authoritatis vanitatem non obstare.

Hinc tamen legitimè non infertur 80. valor licentiæ, matrimonium cum paris conditionis juvene (ejus nomine & familia non expressis) coram quocunque Sacerdote contrahendi: vi cujus ab Ordinario diœcesano obtentæ Bertha coram Sacerdote non parochiali matrimonium iniit cum Titio, cui propter litem super sponsalibus & defloratione cum Caia pendentem; ne quid in istius præjudicium innovaret, ab eodem Ordinario fuerat interdictum; cùm enim *In generali concessione non veniant ea, quæ quis non esset verisimiliter in specie concessurus*, tenor est *Regulæ 81. in 6.* & cum Titio matrimonium coram quocunque Sacerdote contrahendi licentia Berthæ petenti nullatenus concedenda, sed deneganda fuisset, generalis illa licentiæ concessio porrecta non fuit ad matrimonium, quod Bertha cum Titio erat initura; propter defectum consensûs, in Ordinario concedente meritò præsumptum ex antè facta inhibitione; ne à Titio aliquid iñovaretur in præjudicium Caiæ; quia isti nulla alia re magis quàm matrimoniali contractu cum Ber-

cum Bertha poterat præjudicari; cùm, matrimoniô cum ista contractô, Caiæ pro matrimonio cum Titio agentis intentio fuisset elusa, & perpetuò vel saltem, juxta dicta *Tit. 1. n. 100.* usque ad Berthæ obitum excluſa

81. Dubium sextò est, an Sacerdos, cui parochianorum suorum matrimonio assistendi licentia à Parocho concessa est, istâ uti, illíque assistere valeat extra parochiam concedentis. Certum est, id non posse, quando licentia à Parocho ad Ecclesiam Parochialem vel alium locum, intra istius limites situm, fuit restricta.

82. Casu etiam, quô licentia sine tali restrictione concessa fuit, matrimonio extra concedentis Parochiam assisti à Sacerdote non posse, suadet ratio; quòd assistentia matrimonialis, licet actus jurisdictionis propriè non sit, ad voluntariam tamen jurisdictionem reducatur; cùm, sicut ista, sic etiam ipsa non nisi in volentes & sine judiciali causæ cognitione exerceatur: voluntaria autem jurisdictio, licet, quando est ordinaria, extra propriũ territorium exerceri queat, extra hoc tamen explicari nequeat, quando ab aliquo, Principe inferiore, obtinetur, ut *arg. l. Omnes 2. ff. de Offic. Proconsul.* tradunt Baldus *in l. cit. pr. n. 1.* Albericus *ibid. n. 10.* & Francus *in c. fin. de Offic. Vicarij in 6.* sic enim, licet Parochus aliúsve Ordinarius subditorum suorum confessiones extra propriam parochiam vel diœcesin excipere valeat, non tamen id possunt ab ipsis delegati: ut vg. sunt Religiosi ab Episcopis ad confessiones excipiendas approbati, *Clement. Dudum 2. de Sepult.* ut *ibi* notant Immola *n. 32.* Zabarella §. *Extra q. 5.* & Anchoran. §. *Statuimus q. 5. dub. 3. §. Sed de istis.*

83. Sed ratio hæc id, quod intendit, non persuadet, multóque verius est, sicut Parochum, sic & de ejus licentia Sacerdotem alium nuptiis extra parochiam validè assistere. Ratio est; quia S. Synodus *cap. 1. §. Qui aliter cit.* ad valorem matrimonii solùm exigit; ut contrahatur *Præsente Parocho vel alio Sacerdote de ipsius parochi seu Ordinarij licentia & duobus vel tribus testibus:* de loco autem & aliis tanquam merè accidentariis nihil decrevit; ut adeò ultra ea, quæ decretô suô expressit, ulla alia circumstantia requirenda non sit ad matrimonii valorem; cùm id favorabile & pro ejus, Jure non irritati, valore pronuntiandum sit, *c. fin. de Sent. & re jud. & c. Directæ 39. in fine, de Appellat.* Ita *citt.* Sanchez *disp. 34. n. 2.* Coninck *disp. 27. dub. 3. n. 38.* Pontius *Lib. 5. cap. 29.* & Perez *s. 3. n. 2.*

Neque delegati Sacerdotis assistentiam parochiæ limitibus concludi, evincit in eam rem deducta ratio; quia jurisdictionem voluntariam etiam delegatam delegantis territoriô non constringi, Dominici *in c. fin. cit. in fine*, Boërii *Decis. 30. n. 6.* Sylvestri *V. Confessor 1. q. 14.* Covarruv. *Lib. 3. Var. cap. 20.* Menochii *de Arbitr. Lib. 1. q. 43. n. 19.* Bruneman. *in l. Omnes cit. num. 2.* & aliorum, *à cit.* Sanchez *disp. 34. num. 2.* congestorum, est doctrina: cui nequaquam adversantur *l. Omnes & Clement. Dudum citt.* textus.

Prior; quia eô Proconsulis Legato manumissio & alii jurisdictionis voluntariæ actus solùm ante provinciæ ingressum & ideo negantur; quòd ante ingressum careat jurisdictione, ut cum Glossa *in l. cit. V. Potest* notat Bruneman. *cit. n. 2.* cùm non habeat jurisdictionem, nisi mandatam à Proconsule, *l. Legati 13.* qui eam ante ingressum provinciæ mandare non potuit, *l. Observare 4. §. 6. ff. de Offic. Proconsul. & leg.* Alia ratio est Sacerdotis, ad assistentiam matrimonialem à Parocho delegati; cùm enim iste potestatem ju-

tem jurisdictioni voluntariæ similem & à delegante ad certum locum non restrictam habeat, eam extra committentis parochiam poterit exercere.

Posterior; quia Religiosi, ad excipiendas subditorum diœcesanorum confessiones ab Episcopo approbati & delegati, eas excipere extra delegantis diœcesin possunt, *Clement. cit.* non obstante; quia, cùm istâ dicitur, eos pœnitentium confessiones audire posse intra diœcesin, extra hanc audire solùm prohibentur confessiones eorum, qui Episcopi approbantis ac delegantis subditi non sunt; ne unius Episcopi approbatio ad omnium totius Orbis fidelium confessiones excipiendas porrigi videatur.

ARTICULUS V.

De Matrimonii Clandestini Pœnis.

SUMMARIUM.

84. Illegitima est proles suscepta ex nuptiis non denuntiatis,
85. Initis cum consanguinitatis, affinitatis,
86. Et quovis alio impedimento dirimente occulto;
87. Quod crassa aut affectata sit ignorantia parentum,
88. Propterea non habentium spem dispensationis.
89. Eisdem assistens Parochus triennio suspenditur.
90. Sine Parocho &c. contrahentes ad sic contrahendum inhabiles sunt,
91. Et arbitrariâ pœnâ plectuntur.
92. Parochus sine testibus assistens non suspenditur:
93. Nisi sine vel cum iis assistat alienis Parochianis.

MAtrimonia Clandestina contrahere præsumentium temeritatem Ecclesia semper detestata, gravibúsque, & aliquando in ipsas proles ex iis susceptas redundantibus pœnis est persecuta. 84.

Primò enim ex eo, quod coram Parocho quidem & testibus, adhibitâ etiam benedictione nuptiali, sed denuntiationibus sine dispensatione nulláque justa causa urgente omissis, cum impedimento dirimente contractum est, procreatæ proles illegitimæ sunt; quantumvis impedimenti ignorantiam habuerit contrahentium uterque, ex decreto Concilii Lateranensis *c. fin.* §. *Si quis, hâc Rubr.* relato; ut adeò ex illo susceptæ proli ignorantia parentum *& c. Cùm inter 2. c. Ex tenore* 14. *Qui filij legit.* favorabilis dispositio non prosit. Ratio redditur §. *cit.* quòd matrimonium ita contrahentes latentis impedimenti scientiam, aut affectatam ignorantiam, quæ scientiæ æquiparatur, & propterea malam fidem habere, præsumantur.

Dubium hîc est, an ex conjugio ita inito susceptæ proles illegitimæ sint, quando ejus inter parentes clam contracti nullitas ex quocunque, non tantùm Consanguinitatis, Affinitatis aut alterius Cognationis, sed alio etiam impedimento provenit. Ratio dubitandi desumitur ex §. *cit.* verbis, *Si quis hujusmodi clandestina vel interdicta conjugia inire præsumpserit in gradu prohibito:* ex quibus Gosfredus *in Summa Rubr. Qui filij legit. n.* 11. Zabarella *in c. fin. cit. n. 4.* Lupus *Tract. de Matr. p. 2. n. 9. & 19.* & nonnulli alii, eósque secutus Pontius *de Imped. Matr. cap. 26. §. 7. V. Secundò* & Palao *Tract. 28. disp. 2. p. 13. §. 14. n. 3.* inferunt, cum Affinitatis duntaxat, Consanguinitatis aut alterius Cognationis; non etiam cum aliis impedimentis clam 85.

contra-

contrahentium proles illegitimas esse; quòd §. *Si quis cit.* pro illegitimis habeantur proles susceptæ ex clandestino matrimonii contractu *In gradu prohibito*: quæ verba, cùm soli matrimonio, inter affines, consanguineas, aliásve ejusmodi personas conjunctas clam inito conveniant: & dispositionem pœnalem proles, omnino innocentes, afficientem, & propterea odiosissimam contineant, ad matrimonia inter personas aliunde impeditas inita, non sunt extendenda: sed quantùm possunt, restringenda, *arg. Reg. Odia 15. in 6.* Hâc tamen ratione, ut speciem veritatis magnam præseferat, non obstante.

86. Ex conjugio, cum impedimento dirimente quocunque, quod per denuntiationes detegi potest, clam inito procreatas proles pro illegitimis cum præcipui nominis Interpp. in *c. fin. cit.* habent Sylvester *V. Legitimus n. 1.* Palæotus *de Nothis cap. 9. n. 5.* Covarruv. *de Sponsal. p. 2. cap. 6. initiô n. 12.* Mascard. *de Probat. conclus. 798. n. 6.* Sanchez *Lib. 3. disp. 42. n. 4.* Barbosa *in c. fin. cit. n. 13.* & alii RR. Moventur Iure & ratione.

Jure quidem ipsius *c. fin. cit.* esto enim §. *Si quis cit.* disertè solius Consanguinitatis & Affinitatis mentio fiat, alia tamen etiam impedimenta eô comprehendi, non obscurè inde desumitur; quòd de matrimoniis cum impedimento aliquo clam contractis sermo sit *cap. cit. pr. ibi, Clandestina conjugia penitus inhibemus,* & *Qui voluerit & valuerit, legitimum impedimentum opponat:* & clarius ibi, *Investigent, utrum aliquod impedimentum obsistat:* ad quæ verba §. *Si quis cit.* referri; ac proinde istius dispositionem, quantumvis expressè *In gradu prohibito,* in quo frequentius quàm cum alio impedimento contrahi solent, initorum meminerit, de impedimentis generaliter procedere, patet ex verbis, *Si quis hujusmodi,* id est, de quibus ante sermo fuit, *Clandestina vel interdicta conjugia inire præsumpserit &c.* Id ipsum clarè eruitur ex *c. Cùm inter 2.* uti etiam *c. Ex tenore citt. 9.* quorum textibus proles susceptæ à parentibus, ligaminis vel alio impedimento dirimente laborantibus, legitimæ pronuntiantur: quòd hoc uterque vel saltem alter ignorârit, & matrimonium in facie Ecclesiæ fuerit contractum, luculentô indiciô, illegitimas fore, si à parentibus, impedimenti notitiam habentibus aut matrimoniô clam conjunctis fuissent susceptæ.

Ratione verò; quòd etiam cum alio 87.
impedimento dirimente clam contrahentes, ejus scientiam vel ignorantiam affectatam habere, præsumantur; ac proinde ab ipsis procreatæ proles justorum natalium defectu laborent non minùs, quàm eæ, quæ ex consanguineis, affinibus &c. clam conjunctis sunt susceptæ.

Neque adversatur; quòd §. *Si quis cit.* dispositio Pœnalis: & propterea, tanquam odiosa, ad casus & personas non expressas non sit extendenda; quia imprimis cætera impedimenta sine extensione comprehendit. Deinde, legem etiam pœnalem ad casus ratione, in ipsa expressâ, comprehensos, dummodo de his lex contrarium non statuat, extendi, receptissima est doctrina Panormit. *in c. fin. de Rescript. n. 10.* Sylvestri *V. Lex, q. 18.* Lambertini *de Jure Patron. Lib. 2. p. 1. q. 10. art. 4.* Covarruv. *in c. Alma p. 2. §. 4. n. 7.* Gomez *Lib. 2. Var. cap. 5. n. 11.* & Guttierez *Q. Q. Canon. Lib. 1. cap. 10. n. 3.* præsertim, si ejus dispositio spectet favorem & salutem animarum, per tradita à Tiraquello *Causa Pia privileg. 161.*

Secundò, personis, quæ matrimonia 88.
cum impedimento dirimente, etiam occulto, si-

culto, sine præviis denuntiationibus inierunt, dispensationis super illo postea detecto facilè consequendæ spes adempta est à Concilio Tridentino *Sess. 24. cap. 5. de Ref. Matr.* Quô etiam decretô non cum solo Consanguinitatis aut Affinitatis, sed quocunque alio impedimento dirimente clam contrahentes affici, aliis DD. relatis, docent *cit.* Sanchez *disp. 42. n. 7.* & Barbosa *in cap. 5. cit. n. 1.* idque Curiæ Romanæ stylô receptum, luculentus testis est Corradus *Prax. Dispens. Apostol. Lib. 8. cap. 3. n. 2.* Ratio decreti ab ipso Tridentino redditur; quòd dignus non sit, qui Ecclesiæ benignitatem facilè experiatur, cujus salutaria præcepta temerè contempsit.

89. Tertiò, Parochus matrimonii sine denuntiationibus celebrandi contractum non prohibens: & tam ipse quàm alius Sacerdos illi interesse præsumens suspensione ab officio, triennô duratura, aut etiam graviori pœnâ plecti jubentur *c. fin. cit. §. fin.* Eam etiam suspensionem, quòd durationis tempus à Iure determinatum sit, ante triennii lapsum relaxari ab eáque Parochum absolvi ab Episcopo posse, negant *citt.* Guttierez *cap. 75. n. 22.* Sanchez *disp. 52. n. 2.* & Pontius *Lib. 5. cap. 37. n. 11.*

90. Quartò, matrimonium aliter quàm coram proprio Parocho & duobus vel tribus testibus celebrare præsumentes S. Synodus Tridentina *cit. Sess. 24. cap. 1. V. Qui aliter, de Ref. Matr.* ad sic, hoc est, non simpliciter, sed eô modô clandestinô contrahendum omnino inhabiles reddit; ut, licet id postea publicè coram Parocho & testibus inire, si velint, liberè valeant, clam tamen, hoc est, sine Parocho & testibus id validè celebrandi licentiam seu dispensationis gratiam obtinendi spes ipsis perpetuò sit adempta, *citt.* Sanchez *disp. 42. n. 2.* Pontius *num. 13.* & Palao *Tract. 28. disp. 2. p. 13. §. 14. num. 9.*

Quintò, Parocho aliive Sacerdoti 91.
sine testibus: his sine proprio Parocho, & ipsis etiam sponsis, isto vel illis non adhibitis, matrimonii celebrationem attentantibus arbitrariam pœnam infligere Ordinarius jubetur *cit. cap. 1. §. Insuper*; ut illis pro delicti, eô matrimonii contractu vel ita contracti consummatione commissi, qualitate pœnam non infligens graviter peccet; quòd ejus omissio sit contra S. Synodi præceptum, ut cum *cit.* Sanchez *n. 6.* observat Perez *disp. 42. de Matrim. s. 1. n. 3.* ubi uterque monet, in eos quarundam diœcesium statutis latam excommunicationem, quæ ipsô clandestini contractûs factô incurratur.

Præterea in Parochum, non adhibitis duobus vel tribus testibus, nuptiis assistentem triennalis ab officio suspensionis sententiam ferendam, Maiolus *Lib. 3. de Irregularit. cap. 25. n. 17.* Vega *Lib. 6. Summæ, casu 112.* & nonnulli alii desumunt ex *c. fin. cit.* cujus §. *fin.* relato Concilio Lateranensi S. Synodus Tridentina non derogat: imò se ejus vestigiis insistere apertè profitetur. Sed, licet hæc ita sint, triennali tamen illa suspensione Parochum, subditorum suorum matrimonio denuntiato sine testibus assistentem, non affici, cum *cit.* Sanchez *disp. 48. n. 4.* defendit Perez *cit. disp. 42. s. 4. n. 3.* quòd memorata triennalis suspensionis pœna, à Concilio Lateranensi decreta, tantùm spectet Parochum assistentem matrimonio clandestino ob temerè omissas denuntiationes, ut ex ejus textu liquet & cum Pontio *cit. cap. 37. n. 12.* observat *cit.* Perez *n. 4.* 92.

Sextò demum, Parochus & qui- 93.
cunque alius Sacerdos, tam Regularis quàm Secularis, qui cujuscunque etiam immemorialis consuetudinis & privilegii prætex-

prætextu alienos parochianos matrimonio conjungere aut benedicere sine proprii parochi licentia ausus fuerit, ipso Jure incurrit suspensionem duraturam, donec ab Ordinario Parochi, qui matrimonio interesse debebat, seu à quo benedictio suscipienda erat, absolvatur, ex decreto Tridentini *cap. 1. cit. V. Quod si quis, citt.* Guttierez *cap. 75, n. 16.* Sanchez *disp. 52. n. 2.* & Palao §. *14. n. 15.*

TITVLVS IV.

De Sponsa duorum.

SUperioribus cæptam Nuptialium Obstaculorum materiam Gregoriana Compilatio *hâc Rubricâ* prosequitur, proponitque duo Matrimoniorum Impedimenta. Unum Ligaminis dirimens; alterum Sponsalium, solummodo impediens matrimonium contrahendum.

ARTICULUS I.

De Matrimonio inito cum duabus.

SUMMARIUM.

1. *Matrimonium est conjunctio unius cum una;*
2. *Ut neque una mulier pluribus viris:*
3. *Nisi de potentia Dei absoluta,*
4. *Neque uni viro plures mulieres copulari queant.*
5. *Uxorum pluralitatem Naturali,*
6. *Et Positivô tantùm Jure illicitam esse, asserentium Opiniones.*
7. *Quæ conciliantur;*
8. *Ut illa Divinæ conjugij institutioni.*
9. *Et hac suppositâ etiam Naturali Juri adversetur.*
10. *Et Paganis etiam illicita sit:*
11. *Ullâque etiam Apostolica dispensatione,*
12. *Vel consuetudine licita fieri,*
13. *Et uni copulatus aliam ducere validè non possit:*
14. *Licet conjugium solummodo sit Ratum:*
15. *Nisi istius vinculum à Papa relaxetur.*

CAtholica Veritas est, matrimonium esse conjunctionem unius maris cum fœmina una, juxta illud, *Ad hærebit uxori suæ & erunt duo in carne una,* Genes. *cap. 2. v. 24.* quibus verbis apertè insinuatur, matrimonium non nisi inter duos diversi sexûs consistere posse; ac proinde illicitam esse Polygamiam; nam ut Tiberiadis Episcopo Innocentius III. rescripsit, *In carne una erunt*, Dominus Deus, *non dixit, tres vel plures, sed duo: nec dixit, adhærebit uxoribus, sed uxori, c. Gaudemus 8. V. Verùm, de Divortiis.* 1.

Est autem Polygamia duplex. Una, quâ una mulier duobus vel pluribus viris; al-

ris: altera, quâ uni viro duæ vel plures mulieres copulantur. Quarum

2. Priorem ſive, ut quidam loquuntur, Polyviriam Divino & Naturali Juri repugnare, cum S. Auguſtino *Lib.* 3. *de Doctr. Chriſtiana cap.* 12. *& Lib. de Bono Conjug. cap.* 17. & D. Thoma *in* 4. *diſt.* 33. *q.* 1. *art.* 1. *ad* 7. concors omnium DD. ſenſus & ratio manifeſta eſt; quòd, cùm, duorum pluriúmve virorum commixtione cum una muliere, prolis procreatæ, quòd incerta ſit, etiam bona educatio impediatur, conjugii primario & à natura præcipuè intento matrimonii fini adverſetur: eámque ob cauſam nullâ diſpenſatione unquam fuerit permiſſa, nulliúsque bene inſtitutæ & barbaræ quóque gentis uſu recepta; ut adeò in

3. Dubium & quæſtionem vocetur, an Divina diſpenſatione fieri queat; ut unâ mulier pluribus viris nubat; nam etiam hoc negat Bellarminus *Lib.* 1. *de Matrim. cap.* 11. propter dictam Polyviriæ cum primario conjugii fine repugnantiam: ratione cujus, ſicut perjurium & mendacium, ſic & illam ullo caſu licitam fieri poſſe, inficiatur. Veriùs tamen, etiam hujusmodi nuptias ex Divina permiſſione ſubſiſtere poſſe, cum Majore *diſt. cit. q.* 1. *ad* 1. in ſuis *Tractat. de Matrimonio* ſuſtinent Petr. de Ledeſma *q.* 65. *art.* 2. *dub. & concl.* 2. Sanchez *disp.* 80. *n.* 15. Coninck *disp.* 26. *dub.* 2. *n.* 29. Hurtad. *disp.* 9. *n.* 9. & Perez *disp.* 35. *ſ.* 4. *n.* 3. propter ſupremum & abſolutum dominium Dei, ſicut in cæteras res creatas omnes, ſic etiam in maris ac fœminæ corpora, quô uxori concedere poteſt; ut abſque ulla mariti injuria corpus ſuum ad uſum & actus conjugales tradat alii viro: útque iſte ejus ad hujusmodi uſum traditionem acceptet & viciſſim ſuum corpus ad ejusmodi uſum fœminæ tradat: atque ex mutua hujusmodi traditione acceptationéque oriatur vinculum conjugale; cùm id ſimpliciter non repugnet &, ne adverſetur bono prolis, provideri à Deo poſſit.

Poſteriorem etiam Polygamiam, 4. quâ unus vir plures ducat uxores, illicitam eſſe, omnino exploratum eſt ex definitionibus Conciliorum Oecumenicorum, Niceni *can.* 24. ut nemo duas pluréſve habeat uxores, à Deo ordinatum, aſſerentis, & Tridentini, cujus de vetita uxorum pluralitate Canon eſt, *Si quis dixerit, licere Chriſtianis plures ſimul habere uxores, & hoc nulla lege Divina prohibitum, Anathema ſit, Seſſ.* 24. *can.* 2. *de Sacram. Matrim.* ſi enim in nova lege, unâ uxore dimiſſâ, alia duci non poteſt, æterna Veritate prohibente, Matth. *cap.* 19. *v.* 9. multò minùs, primâ retentâ, aliam ducere licebit, ut rectè arguit Innocentius III. *c. Gaudemus cit. V. Nec ulli unquam.*

Eam autem uxorum pluralitatem prohibendi rationes graviſſimæ fuerunt; quia imprimis etiam ipſa primarium matrimonii finem aliquô modô impedit, inducendô orbitatem; cùm, pluribus fœminis conjunctos ſæpe minùs fœcundos eſſe, doceamur exemplô Salomonis, qui ex mille cùm uxoribus tum concubinis unicam prolem maſculam, ſcilicet Roboamum, cui Regnum reliquit *Lib.* 3. Regum *cap.* 11. *v.* 43. & duas filias Eraphet & Baſemat ſuſcepit, teſte Suida apud Pontium *Lib.* 7. *de Matrim. cap.* 49. *num.* 2. Deinde non ſatis convenit cum fine ejusdem ſecundario; cum ſocialis vitæ pax & tranquillitas propter inæqualitatem affectûs maritalis, & ex iſto inter uxores naſci ſolitam zelotypiam, odia, rixas plurimùm turbetur: uti & cum remedio Concupiſcentiæ, *can. Nuptiarum* 27. *q.* 1. cùm duabus exigentibus debitum ſimul reddi non poſſit. Demum eadem tollit ſignificationem Sacramenti, quam ex Divina in-

vina institutione conjugia fidelium consummata habent, scilicet repræsentationem conjunctionis Christi cum Ecclesia, unius cum unica eáque immaculata sponsa, *c. Debitum 5. de Bigamis*, juxta illud S. Gentium Doctoris, *Sacramentum hoc magnum est : ego autem dico in Christo & Ecclesia*, Ephes. *cap. 5. v. 32.* Unde

5. Dubium & controversia ingens nata inter DD. est de Jure, quô Polygamia hæc sive uxorum pluralitas est interdicta; eam enim ipso Naturali Jure inhibitam, asserunt Henriquez *Lib. 12. cap. 16. citt.* Ledesma *q. 69. art. 1. concl. 2.* Bellarm. *cap. 11.* Hurtad. *n. 3.* & Menoch. *de Arbitr. jud. casu 420. à n. 49.* Negant contrà Abulens. in Matth. *cap. 19. q. 30. ad 2.* Durand. *cit. dist. 33. q. 1. n. 9.* Cajetanus in Genes. *cap. 16. post pr.* Palatios *dist. cit. disp. 1.* & Veracrux *Speculi p. 2. art. 15. concl. 1. & 2.*

Illi, eam Juri Naturali repugnare, desumunt partim ex *Epist. 2.* ad Corinth. *cap. 7.* cujus *v. 4.* Apostolus *Mulier*, inquit, *sui corporis potestatem non habet, sed vir : similiter & vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier :* quibus verbis vir & mulier, quoad mutuam corporum traditionem æquiparatur; ut adeò, sicut conjugii naturæ repugnat, à muliere viro facta traditio aliter quàm in solidum, sive ita; ut, viro superstite, id tradere mulier etiam alteri valeat: sic eidem repugnet, à viro sui corporis traditio facta aliter quàm in solidum sive ita; ut, muliere vivente, id tradere etiam alteri queat: partim ex legibus Gentilium prudentiæ & honestatis laude præ aliis florentium & solius luminis & rationis naturalis ductu reprobantium nuptiarum pluralitatē; nam & apud Athenienses Cecropis lege sancitum erat; ut una esset unius uxor, teste Athenæo *Dypnosoph. Lib. 13.* & apud Romanos neque XII. Tabularum neque posterioribus legibus plures simul habere unquam licuit uxores adeò; ut Caii Cæsaris scripta lex id permittens fuerit rejecta apud Suetonium illius *Vitæ cap. 52.* Quinimò, qui binas nuptias eodem tempore constitutas haberet, ex Prætoris Edicto infamiâ notabatur *l. 1. in fine ff. de His, qui not. infam. & l. Neminem 2. C. de Incest. & inutil. nupt.* & stupri atque adulterii crimine tenebatur, *l. Eum qui 18. ff. C. ad L. Jul. de Adult.* & publicationis partis bonorum ac relegationis vel fustigationis aliisve pœnis coercebatur, Salycet. *in l. cit.* Theophil. *in §. ff. Affinitatis 6. Instit. de Nupt. Ant.* Matth. *de Crimin. ad Lib. 43. ff. Tit. 3.* & Menoch. *casu cit. à n. 96.*

Rationem, ultra ante *n. 4.* deductas, reddunt; quòd Naturalis Juris principia exigant; ut ex contractu nuptiali vir uxori præstet id, quod ab ista illius contractûs vi ipse exigit. Cùm ergo ex contractu nuptiali vir ab uxore exigat; ut corpus suum ad actus ex se aptos ad prolis generationem ulli alteri non tradat, ex illo hoc à viro uxor quoque Jure exposcit; quia uxor & maritus quoad hujusmodi actus & thori conjugalis fidem ad imparia non judicantur, *can. Si quis uxorem 4. in fine, 32. q. 1.*

Isti quoque, uxorum pluralitatem Naturali Juri non adversari, argumentis haud sanè levibus ostendunt. 6.

Primò quidem exemplis plurium Gentium, illam non solùm tolerantium, sed legali permissione non obscurè approbantium, & relatarum ab Alexandro *Genial. dier. Lib. 1. cap. 24.* Tiraquello *Connub. l. 7. n. 16.* & Menochio *casu cit. à n. 72.* uti & veterum Patriarcharum Abraham, Jacob, Moysis & Helcanæ: Davidis, Salomonis, Roboami aliorúmque

rúmque Regum, quos plurìbus uxoribus simul retentis fuisse copulatos, ex veteris Testamenti tabulis & Josepho *Antiquit. Judaic. Lib. 17. cap. 1.* constat & omnes Juris Naturalis cognitione fuisse destitutos, aut in ejus principia impegisse, ab omni veritate istiúsque similitudine est alienum.

Secundò, authoritate SS. Ecclesiæ Patrum ac Doctorum Augustini & Hieronymi: quorum ille Jacob, qui quatuor habuit uxores, & alios Patriarchas à culpa excusat, propter prisci illus temporis Morem; quia, *Quando mos erat, crimen non erat*, verba sunt ex illo relata *can. Obiiciuntur 32. q. 4.* ille verò, Polygamiam antiquitùs lege interdictam non fuisse, minimè obscurè sensit *Epist. ad Oceanum*, eíque hac in re consensit S. Augustinus *Lib. 16. de Civitate cap. 38. & Doctrinæ Christianæ Lib. 3. cap. 12.*

Tertiò ratione; quia uxorum pluralitas minùs, quàm primô intuitu videtur, adversatur conjugii fini, cùm; quia prolis generatio, quæ finis illius primarii pars præcipua est, illâ non tam excluditur, quàm promovetur; quòd ab uno viro fœcundari queant uxores plures, & istarum unius sterilitas alterius fœcunditate suppleatur; atque idcirco plures uxores priscis illis Patriarchis ad humani generis & gentis suæ electæ faciliorem propagationem multiplicationémque à Deo permissæ credantur: Ipsa etiam susceptæ prolis educatio, quæ ejusdem finis pars altera est, difficultate careat, si ex pluribus susceptarum prolium apud suam quæque matrem, ab aliis ejusdem thori consortibus separatam, educetur: partim verò; quia eadem non excludit cohabitationis tranquillitatem, quæ finis matrimonii secundarius est; quia ea & singularum uxorùm in maritum reverentia facilè conservatur, & inter ipsas etiam uxores excitari solitæ discordiæ evitantur, si eæ quoad habitationem separentur: & incommoda, quæ sic etiam propter sequioris sexûs imbecillitatẽ improbitatémque non excluduntur, toleranda sint; ut, si uterque matrimonii finis ex accidenti plenè non obtineri queat, secundarius primario subordinetur ac cedat.

7. Inter has extremè oppositas media via tenenda, statuendúmque est, uxorum pluralitatem Naturali quidem Juri adversari & irritã esse: non tamen; ut eam excludat ipsa matrimonii natura & essentia, sed ex ipsius institutione, in ipso mundi exordio, & voluptatis adhuc innocentis Paradiso facta à Domino Deo, unam tantùm uni conjungente, ut cum DD. aliis à *cit.* Sanchez *n. 18. in fine* relatis tenent Pontius *cit. cap. 49. n. 4.* Laiman. *Lib. 5. Tract. 10. p. 3. cap. 6. n. 7.* Palao *Tract. 28. disp. 3. p. 1. à n. 3.* & præsertim Perez *cit. disp. 35. s. 2. à n. 4. & 6.* Cujus Assertionis prima pars, sive; quòd uxorum pluralitatem matrimonium naturâ & essentiâ suâ non excludat, satis superque ex paulò antè *n. 6.* dictis constet.

8. Altera; quòd eam excludat institutio Conjugii Divina, indubitatè desumitur ex illo Domini Dei, *Quamobrem relinquet homo patrem suum & matrem suam & adhærebit uxori suæ: & erunt duo in carne una*, Genes. *cap. 2. v. 24.* Quibus verbis nuptiale fœdus sic institutum est; ut ab eo, sicut maritorum, sic & uxorum pluralitas excludatur, ut omnino liquet Imprimis testimoniô Christi Domini unitatem matrimonii in ejus primam institutionem refundentis, dum ait. *Qui fecit hominem ab initio, masculum & fœminam fecit eos, & dixit, propter hoc &c. & erunt duo in carne una* Matth. *cap. 19. v. 5.* Deinde ex Conciliorum Niceni *can. 24. cit.* pluralitatis uxorum prohibitioni subiicientis, *Sicut Deus or-*

Deus ordinavit : & Tridentini eandem prohibitionem in legem Divinam resundentis *can. 2. cit.* Et demum ex rescriptis Nicolai I. *ad Consulta Bulgarorum cap. 5.* & Innocentii III. *c. Gaudemus V. Verùm cit.* eandem referentium *in ipsam originem conditionis humanæ* & nuptiarum in Paradiso institutarum *initium.* Confirmatur ; quia, si uxorum pluralitatem ipsa matrimonii natura & essentia excluderet, ullâ dispensatione Divinâ licita fieri non posset, per tradita *Lib. 1. tit. 2. n. 154.* ad eam autem dispensari à Deo posse, apertè supponit laudatus Innocentius *c. cit.* ibi, *Nec ulli unquam licuit in simul plures uxores habere : nisi cui fuit Divina revelatione,* sive Dei revelantis dispensatione *concessum &c. Per quam Patriarchæ & alii viri justi, qui plures leguntur simul habuisse uxores, ab adulterio excusantur.* Imò *citt.* Sanchez *n. 13.* & Pontius *n. 4.* cum Bellarmino *cit. cap. 11. propos. 5.* Pineda *Lib. 7. de Reb. Salomon. cap. 5. n. 5.* & aliis verisimiliter existimant, eam dispensationem non solùm cum Hebræis, sed cum aliis quoque gentibus factam à Deo, corporum fœmineorum usum ad humani generis propagationem prisco illo tempore viris multò majorem, quàm nunc habent, indulgente, iisque permittente Repudii libellum : qui tamen postea abolitus, ipsâque uxorum pluralitate, ob cessantem ejus concessæ causam, sublatâ, conjugale fœdus ad primæ institutionis statum & Monogamiam universè revocatum fuit, ut ex *cap. 5. & V. Neo ulli cit.* desumunt Becanus *Analogiæ cap. 16. q. 10. & cap. 21. concl. 3. cit.* Pontius *n. 6.* & Gonzalez *in c. 1. hâc Rubr. n. 4.*

9. Tertiæ partis sive ; quòd, suppositâ matrimonii institutione & Divinâ dispensatione seclusâ, uxorum pluralitas Naturali Juri adversetur, ratio est ; quòd, cùm corporis sui homo usuarius duntaxat : Deus autem ejus dominus sit, illô uti homo non possit, præterquam ad actus à Deo ipsi concessos. Cùm ergo Dominus Deus ipsa nuptiarum institutione viro corporis sui usum per traditionem ad actus conjugales solummodo concesserit respectu mulieris unius, vir, corpus suum ad ejusmodi actus tradendô pluribus mulieribus, Domini Dei jus lædit, & peccat contra Jus Naturale, alieni & præsertim Divini juris læsionem vetans, sicut vetat vg. furtum. Ex hactenus dictis

Infertur primò, conjugali fœdere ad Divinæ institutionis primævum statum revocatô Repudiique libellô antiquatô non fideles tantùm, sed infideles quoque plures uxores simul vel primâ dimissâ aliam ducendo contra Divinum & Naturale jus graviter delinquere, & primæ retentæ vel repudiatæ superinductam alteram dimittere teneri, ut ex *c. Quantò 7. & c. Gaudemus cit. de Divortiis* cum *citt.* Henriquez *cap. 6. n. 2.* Ledesma *q. 67. art. 2.* contrarium sine erroris ac temeritatis nota sustineri non posse, asserentibus, & aliis tradit *cit.* Sanchez *n. 4.* 10.

Infertur secundò, ulla humana, etiam Apostolica, authoritate dispensari non posse ad uxorum pluralitatem, ut cum S. Thoma *cit. dist. 33. q. 1. art. 2.* Soto *q. cit. art. 2.* Covarruv. *p. 2. de Sponsal. cap. 7. §. 3. n. 1.* Bellarmino *cit. cap. 11. cit.* Sanchez *n. 9.* cæterorum DD. concors sententia est, & perspicuè habetur *c. Gaudemus V. Nec ulli cit.* Ratio obvia est ; quia nullâ humanâ potestate relaxari potest Jus Naturale vel Divinum per tradita *Lib. 1. tit. 2. n. 154.* 11.

Infertur tertiò, eandem uxorum pluralitatem nullâ quanticunque, etiam immemorialis, temporis consuetudine licitam fieri posse, ut cum Soto, Covarruv. 12.

varruv. *l. citt.* & aliis DD. rectè docet *cit.* Sanchez *n. 10.* Ratio est; quia nulla Consuetudo prævalere & derogare potest Juri Divino aut Naturali, *c. fin. de Consuet.* cùm consuetudo sit jus merè humanum non-scriptum, usu & moribus populi, Legali & Canonica approbatione accedente, introductum, §. *Constat 6. Instit. de I. N. G. & C.* ulla autem humana potestas prævalere nequeat Divinæ, *can. Inferior 4. dist 21. & c. Cùm inferior 16. de Majorit & Obed.*

Neque hanc illationem convellit; quòd uxorum pluralitatem, *Quando mos erat, crimen non fuisse*, assertio sit S. Augustini, relati *can. Obiiciuntur 32. q. 4.* quia exaudiendus est de *More*, seu consuetudine, fundata in revelatione seu dispensatione Divina, ab eáque, non à solo virorum plures uxores ducentium usu vim obtinente, ut cum memorato Innocentio Papa *c. Gaudemus V. Nec ulli cit.* notant *citt.* Sanchez *n. 16.* & Pontius *n. 4.*

13. Infertur quartò, in Novo Testamento Polygamiam utramque non solùm illicitam, sed insuper matrimonium, quod post nuptias initas cum una unóve cum alia alióve contrahitur, irritum nullúmque esse, per expressos textus *c. 1.*
14. *c. Accepisti 2. c. Tua 4. hâc Rubr.* etiamsi cum priore solummodo Ratum: cum posteriore verò per carnalem copulam fuisset consummatum, *c. Si inter 31. de Sponsal. & matrim. c. Licet 3. & c. fin. hâc Rubr.* Ratio est; quia per prius matrimonium vir & mulier jus in corpus suum ad potentiam copulæ jam transtulerunt in eum, quocum priùs contraxerunt: quâ translatione factâ, cùm jus in corpus suum ad ejusmodi potentiam jam non uxor, sed vir: & in suũ jam non vir, sed uxor habeat, 1. Corinth. *cap 7. v. 4.* jus ejusmodi potentiam respiciens in alium transferre neuter amplius potest, ut ex *c. Quod autem 5. in fine, de Jure Patronat.* rectè arguunt Petr, Barbosa *in Rubric. ff. Soluto Matrim. p. 2. n. 85.* & Fagnanus *in c. Si inter cit. n. 7.*

Neque huic illationi obstat primò *l. Si à Titio 72. ff. & l. Quoties C. de R. V.* ex quarum dispositione, re duobus venditâ is, cui ea tradita est, præfertur; quia in matrimonio juris in corpus ad potentiam copulæ traditio fit ipso contractu per verba de præsenti *c. 1. cit.* cui consummatio solùm corporis traditi usum supperaddit, ut cum Victoria *in Relect. de Matrim. n. 5.* & aliis notant *cit.* Barbosa *n. 78. & 85.* & Gonzalez *in c. Licet cit. n. 3. in fine.*

Neque eidem adversantur verba, *Quamvis aliter à quibusdam Prædecessoribus nostris sit aliquando judicatum*, quæ sunt Alexandri III. Archiepiscopo Salernitano consulenti rescribentis *c. Licet cit.* quia ab illis aliter judicatum est non per Canonem, sive Constitutionis alicujus universalis promulgationem; cùm in antiquis Collectionib⁹ ejusmodi Canonis nulla mentio uspiam fiat *cit.* Gonzalez *n. 2.* Sed solummodo in litibus inter partes in supremo Ecclesiæ tribunali agitatis: quas illi, suam & aliorum DD. privatorum, eô tempore receptam Opinionem sequendô aliter, quàm postea Alexander *c. cit.* statuit, deciderunt, ut cum Covarruvia *cit. §. 3. n. 5.* Guttierez *QQ. Canon. Lib. 1. cap. 17. n. 22. &c.* Augustin. Barbosa *in c. cit. n. 5.* desumit ex verbo *Judicatum*, privatæ litis Judicialem decisionem: non Cathedralem definitionem vel Legis institutionem, promulgationémve significante. Fortas- 15.
sis etiam Alexandri Papæ Prædecessores aliter judicârunt, matrimonium Ratum propter subsequens Consummatum ex gravi causa dissolvendô, ut notat Wagnereck

gneteck *in Exegesi c. cit.* Hæc de Impedimento dirimente Ligaminis seu vinculi matrimonialis.

ARTICULUS II.

De Sponsalibus initis cum duabus.

SUMMARIUM.

16. *Sponsalia, cum una inita, cum alia nuptias illicitas:*
17. *Et sponsalia cum ea ferè irrita reddunt:*
18. *Licet his accedat juramentum.*
19. *Hæc tamen, prioribus solutis, obligant, si conditionata:*
20. *Non etiam, si absoluta sint:*
21. *Nisi posterioribus accesserit copula carnalis:*
22. *Hæc tamen etiam priora sponsalia non tollit:*
23. *Nisi aliquando ratione gravis,*
24. *Et solùm nuptiæ reparabilis damni.*
25. *Priora sponsalia relaxari à Papa:*
26. *Non etiam ab Episcopo valent.*

16. SPonsalia cum una inita de futuro, sive mutua promissio matrimonii futuri ex eáque orta obligatio, id cum sponso sponsáve contrahendi, licet supervenientibus cum alia sponsalibus de præsenti, sive actu initô cum ea contractu matrimoniali solvantur, *c.* 1. non tamen, quando absolutè inita sunt,
17. solvuntur supervenientibus sponsalibus initis de futuro, sive de matrimonio cum alia contrahendo: imò posteriora hæc, quatenus priùs initis præjudicant, ipsô Jure irrita esse, non obscurè desumitur ex *c. Unico de Sponsal. & matr. in 6.* ex cujus decisione in prius initorum præjudicium contracta sponsalia non producunt Justitiæ publicæ Honestatis impedimentum: quod cum certa & determinata persona absolutè & validè initorum sponsalium effectus est, *c. Juvenis 3. c. Ad audientiam 4. & c. Sponsam 8. Rubric. cit.* Ubi

18. Dubium oritur, an priora sponsalia de futuro absolutè inita etiam non solvantur per posteriora, firmata juramentô. Istius enim Religione posteriora prioribus prævalere, & præferenda voluerunt Innocentius *in c. Veniens 6. de Jurejurando n°* 1. Imola *ibid. n. 4.* & Ant. de Butrio *in c. Sicut 22. de Sponsal. & matr. in fine.* Sed veriùs alii extra casum, quô à prioribus resiliendi justa causa, vg. alterius fornicatio præcessit, sicut ipsa sponsalia posteriora, sic etiam his adjectum juramentum pro irrito habent; quòd adjectum sit in præjudicium tertii: & propterea tanquam vinculum iniquitatis obligatorium nequeat esse, per text. *can. Inter cætera, 22. q. 4. & c. Quantò cit.* & argumentô à contrario ductô ex verbis, *Cùm in alterius præjudicium non redundet, c. Cùm contingat 28. de Jurejurando & c. Quamvis 2. de Pactis in 6.* Ita *in c. Sicut cit.* sibi contrarius Innocent. *n. 1.* Joan. Andr. *n. 4.* Panormit. *n. 8.* Alex. de Nevo *n.* 12. & cum ipsis Sylvester *V. Sponsalia, q. 10. d. 3.* Carerius *de Sponsal. Lib. 1. cap.* 11. Covarruv. *de Sponsal. p. 1. cap. 4. initiô n. 3.* Guttierez *de Juramento p. 1. cap. 51. n. 6.* & Sanchez *Lib. 1. disp. 50. n. 2.*

19. Dubium secundò est, an posteriora sponsalia etiæ non obligent casu, quô alterius conjugum morte, ingressu Religionis, renuntiatione &c. priora dissolvuntur. Illa enim hôc casu obligare, negant *cit.* Sanchez *Lib. 1. disp. 50. n. 6.* & Pontius *Lib. 12. de Matrim. cap. 14. n. 2.* affirmant autem Covarr. *p. 1. de*

Sponsal. cap. 4. §. 1. *n.* 10. & Rebellus *Lib.* 4. *de Oblig. Justit. q. & s. 8. n. 55.* Quorum pugnantes Opiniones auxiliò distinctionis in concordiam non malè reducit Perez *disp. 9. de Matrim. s. 8. n. 6.* ex cujus mente posteriora, quando non absolutè, sed sub priorum dissolvendorum conditione inita, & in tempus habile collata sunt, sicut ab initio sub conditione, sic istâ per priorum dissolutionem impletâ, absolutè obligabunt. 20. Si verò inita absolutè, & collata sint in tempus, quò promittens prioribus obligatur, ea per se non obligabunt, etiam post priorum dissolutionem. Ratio est; quia, durante priorum valore & obligatione, promissio matrimonii alteri facta ab initio invalida fuit, tanquam facta de re Jure impossibili, *arg. can. Faciat* 51. junctâ Glossâ *V. Eôdem*, 22. *q.* 2. &, invalida manet, *arg. Reg. Quod ab initio 29. ff. & Reg. Non firmatur 18. in 6.* ac proinde non obligat etiam postea fere, sicut professio Religiosa, à conjugum uno, post matrimonium jam consummatum edita, altero insciò aut invitò: vi cujus illum ad Religiosum statum etiam pro tempore, quò matrimonium per alterius obitum dissolutum est, non obligari, liquet ex *c. Quidam 3. & c. Placet 12. de Convers. conjug.* & notat Panormit. *in c. cit. n. 4.*

21. Dixi, *Per se & Vi promissionis*; per accidens enim vg. casu, quò sponsalium antè initorum ignaram virginem defloràsset, aut viduam honestam sub spe matrimonii corrupisset, eam prioribus dissolutis ducere teneretur saltem ratione damni, quod alia ratione compensari non posset: & ratione similis jacturæ famæ, quam ejusmodi fœmina est passura, Sanchez *cit. n. 6. in fine.*

22. Dubium tertiò, & Curiarum Ecclesiasticarum Præsidibus aliquando satis molesta controversia est, an posteriora sponsalia etiam invalida; & propterea priora adimplenda sint, quando illis accessit copula carnalis futuri matrimonii promissione & secuturi spe extorta. Non quidem casu, quò ista etiam priùs initis sponsalibus accessit; cùm enim hôc casu utriusque damnum sit æquale, prioris sponsæ jus utique potius erit, *arg. Reg. Qui prior 54. in 6.* Neque etiam casu, quò posteriora sponsalia inita sunt cum personâ conscià priorum; cùm, quæ istorum notitiam habuit, decepta dici nequeat, *arg. l. 1. §. 6. ff. de Ædilit. Edicto.*

Sed, quò prioribus carnale commercium non accessit, & posteriora à persona illorum ignara sunt contracta; hôc enim casu priora sponsalia utrinque solvi, & posteriora adimplenda, cum Majore *in 4 dist. 27. q. 5.* asserunt Pontius *Lib. 12. cap. 14. n. 4.* & Palao *Tract. 28. disp. 1. p. 22. n. 6.* Moventur duplici ratione. Una est; quòd per copulam fiat anticipata quædam traditio corporis: quæ, cùm ante Concilium Tridentinum habuerit vim inducendi matrimonium, *c. Veniens 15. &c. Is, qui fidem 30. de Sponsal. & matr.* hodie saltem inducet sponsalia cum posteriore, & cum alia persona priùs inita sponsalia dissolvet, *arg. l. Quoties 15. C. de R. V.* ex cujus dispositione in re uni venditâ, alteri verò, licet cum primi emptoris injuria insuper traditâ, potius est jus posterioris. Altera; quòd, cùm duo, unus de lucro captando, alter de damno vitando certant, huic potiùs favendum sit, quàm illi; ac proinde in proposito casu potiùs defloratæ, de vitando damno: quàm alteri, de lucro captando certanti.

Alii & meliori ratione propositam 23
dubitationem resolvunt auxiliò distinctionis; vel enim, inquiunt, deceptæ damnum non est grave, aut saltem aliò modò, quàm

tô, quàm secutis nuptiis, compensari potest, vel non?

Si posterius, & deceptæ illatum grave damnum aliter, quàm nuptiis compensari nequeat, eam, quacum priora sponsalia inita sunt, jure suo cedere teneri, asserunt ex Charitate, ad subeundum leve damnum quemlibet obligante,
24 si ita grave damnum proximi valeat impediri. Quòd si ista nollet, nihilominus deceptorem ad ducendam posteriorem, saltem ex Æquitate, condemnari posse, volunt Henriquez *Lib. 11. cap. 13. n. 3.* & *cit.* Sanchez *disp. 49. n. 6.*

Si prius, & deceptæ damnum grave non est, aut aliâ ratione vg. constitutâ vel auctâ dote potest compensari, recessum à prioribus sponsalibus, invitâ sponsâ permissum, cum Soto *in 4. dist. 27. q. 2. art. 4.* negant Guttierez *de Matrim. cap. 27. n. 7.* & Sanchez *l. cit. n. 5.* Ratio est; quia sponsalia illa firmitatem ex parte sponsi, ab eóque illorum impletionem & nuptialem contractum petendi jus conservant priori sponsæ, in cujus injuriam posteriora sponsalia, hísque deceptæ defloratio est attentata; cùm, licet ipsa sponsalibus non ampliùs adstringatur; quòd notabilis mutatio intervenerit ex parte sponsi, *c. Quemadmodum 25. pr. de Jurejurando*, & iste, fidem alteri dandô eámque corrumpendô, priùs initis sponsalibus ipsô factô renuntiârit: ex parte tamen sponsi priora & cum ipsa inita sponsalia soluta non sunt; cùm soluta non sint ratione promissionis; hæc enim, cùm nulla sit, jus matrimonii à priore in posteriorem transferre non potuit, *arg. l. Non dubium 5. pr. V. Sed & si C. de LL. & c. Illud 8. de Jure Patronat.* Neque etiam ratione damni; quia hoc, ut ponimus, resarciri alia ratione potest, sicut quando copulam promissio non præcessit.

Neque contrarium evincunt allatæ rationes. Prior partim; quia copula sponsalibus præsertim invalidis supervéniens post Tridentinum, cùm merè fornicaria sit, Juris effectum, cum alia priùs inita sponsalia respicientem, non habet: partim verò; quia post Concilium illud mutua corporum traditio ad potentiam & jus copulæ, non per copulam sponsalia subsecutam, sed per ipsum contractum matrimonialem fit, Petr. Barbosa *in Rubric ff. Soluto matrim. p. 2. à n. 84.* & Gonzalez *in c. Licet 3. hâc Rubricâ n. 3. in fine.* Posterior; quia prærogativa certantis de damno vitando vim non habet, jure suo alterum privandi, cùm damnum aliter compensari potest.

Dubium quartò est, an, ut ex duo- 25.
bus sponsalibus posteriora validentur, priora dissolvi queant Ecclesiasticâ authoritate. Non quidem; si ex parte sponsi sponsævè prioris post illa legitimè inita superveniat vel appareat justa resiliendi causa: cujusmodi variæ, recessum à sponsalibus propriâ aut saltem Ordinarii superioris Ecclesiastici publicâ authoritate, licitum reddentes, *Tit. 1. art. 5.* toto enumeratæ sunt. Sed hujusmodi causa deficiente, & ideò solùm; quòd is, qui utraque iniit, à sponsa sponsóve priore valde abhorrere eúmve odisse cæperit, aut affectu multô proniore ferri in posteriorem, cum eâve nuptiæ statui magis convenire, aut privatim publicéque utiliores fore judicentur. Ex cujusmodi aliqua, præsertim spirituale animæ vel publicum bonum spectante causa, sponsalia dirimi Apostolica authoritate posse, nemo facilè ambigit; cùm enim ex gravi & præsertim publica causa eâ relaxari valeat vinculum matrimonii rati, ut *Tit. 19. art. 3.* statuetur & hoc antecedentia sponsalia dirimat, juxta dicta *Tit. 1. n. 98.* dissolvi etiam multó-

que magis poterunt sponsalia, inita de futuro, secundùm Brocardicum illud, *Si vinco vincentem te, multò magis vinco te*, l. *In accessionibus* 14. §. 3. ff. *de Diverſ. temp. præſcript.* & Regulam, *Cui licet, quod eſt plus, licet utique quod eſt minus*, quæ eſt 43. *in 6.*

Eadem Episcopali quoque aliáve Ordinaria authoritate solvi posse, suadet ratio; quòd, cùm Episcop⁹ pastor Ordinarius sit suæ diœcesis, sicut respectu omnium totius Christiani orbis fidelium est Papa, cum subditis suis diœcesanis dispensare valeat in omnibus casibus, in quibus respectu omnium Christi fidelium Papa dispensat: nisi casus isti speciales sint reservati, ut à pluribus Regulæ instar tradi solet cum Abulensi in Matth. *cap. 6. q. 86.* Victoria *Relect. de Matr. p. 1. n. 7.* & Soto *Lib. 10. de Justitia, q. 1. art. 3. ad 2.*

26. Verius tamen, sponsalitiam obligationem per viam dispensationis relaxandi potestatem Episcopo competere, cum Paludano *in 4. dist. 27. q. 1. art. 2. n. 14.* Cajetano *in Summa V. Matrimonium, cap. 1. §. Et scito* Henriquez *Lib. 12. cap. 2. n. 2.* & aliis negat *cit.* Sanchez *Lib. 7. disp. 17. n. 13.* in eam rem allegans *c. Ex literis 10. de Sponſ. & matrim.* Ubi Alexander III. Episcopo Pictavienſi mandat; ut spònsum ad fidem sponsæ datam per nuptias adimplendam compellat, non obscuro indiciò, sponsalia relaxari ab Episcopo non posse. Ratio est; quia dissolutione sponsalium, & ex istis ortæ obligationis remissione, in sponsorum unius gratiam factâ, alteri ex illis justè acquisitum jus aufertur: jus autem alteri quôcunque justô titulô acquisitum auferre summo Principe inferior nemo, & ipse etiam Princeps sine gravi feréque publica causâ non potest: &, tali etiam causâ poscente, non facilè solet sine ejus, quod interest, & damni ea ablatione illati compensatione, per tradita à Panormit. *in c. Quæ in Eccleſiarum 7. de Conſtitut. n. 11.* Felino *ibid. n. 26. & 29.* Jasone *in l. Barbarius 3. ff. de Offic. Prætor. à n. 24.* Laiman. *in c. cit. n. 12.* & Pirrhing *in Rubric. cit. n. 20.*

Neque hac in re patrocinium efficax Episcopis præstat Regulare dogma pro ipsis allegatum; quia eô jactatam Episcopalis & Apostolicæ potestatis æquiparationem omni Juris adminiculô destitutâ; &, si non variis limitationibus adhibitis temperetur, omnino vanam esse, rectè observat Suarez *Lib. 6. de LL. cap. 14. n. 6.* & latè ostendit Fagnanus *in c. Permitioſam 1. de Offic. Ordin. n. 29. & à n. 55.* ut ad *eandem Rubr.* dictum est *à n. 810.*

TITULUS V.

De Conditionibus appositis in Desponsatione, vel in aliis Contractibus.

Sicut Contractibus aliis, sic etiam Desponsationibus, saltem de futuro, apponi non rarò solent Conditiones: quarum uti & Modi, sub quo illæ aliquando ineuntur, varietas ac vis declaranda *hâc Rubricâ* proponitur.

ARTI-

ARTICULUS 1.

De Desponsatione sub Conditione Necessaria & Contingente Honesta.

SUMMARIUM.

1. *Natura Conditionis ac Modi,*
2. *Eorumque differentia,*
3. *Et varietas Conditionum.*
4. *Desponsationem non suspendit Conditio de præterito & præsenti:*
5. *Sed, si ista impleta non sit, illam vitiat;*
6. *Ut etiam carnali copulâ accedente non convalescat.*
7. *Eadem vis est Conditionis de futuro Necessario.*
8. *Desponsationem tamen suspendit conditio Honesta de futuro contingente:*
9. *Quâ impletâ desponsatio perfecta est,*
10. *Sine novo contrahentium consensu,*
11. *Etiam post Concilium Tridentinum:*
12. *Licet post hoc de conditione impleta Parocho & testibus debeat constare.*
13. *Sub conditione cum duabus initorum sponsalium priora:*
14. *Matrimoniorum id prævalet, cujus conditio priùs impleta est.*
15. *Horum utriúsque conditionibus simul impletis, neutrum valet.*
16. *Conjugia conditionata non facilè permittenda.*

1. CONditio, à verbo *Condere* derivata & strictè, sive pro ea, quæ de futuro & contingente eventu est, sumpta secundum Sylvestrum *V. Conditio n. 15.* est Oratio dispositionem in tempus & eventum futurum incertum suspendens. Latè autem, & in præsentis Rubricæ sensu accepta ad mentem Zabarellæ in *c. Verùm 4.* & Molinæ *Tract. 2. de J. & J. disp. 206. n. 1.* est Oratio sive adjectio, contractûs vel alterius actûs dispositionem &, quam ista inducit, obligationem in aliud resolvens aut suspendens.

Ei affinis est Modus: qui secundùm Sylvestrum *V. cit. n. 3.* est Adjectio alicujus oneris, ad quod post contractum perfectum obligare volumus contrahentem. Differt à Conditione; quòd ista 2.
dispositionem & obligationem ferè suspendat; ut hæc effectum non consequatur, nisi illa verificetur: modus autem dispositionem perfectam supponat, eámque duntaxat temperet oneris adjectione, *l. 1. l. Si rerum 2. C. de Donat. quæ sub modo &c.* Glossa in *c. Verùm cit. V. Conditione, ubi* Panormit. *n. 2.* & Gomez *Lib. 1. Var. cap. 12. n. 70.* Unde Conditio per dictionem *Si*, vg. *Ducam te, si pater consenserit:* Modus autem per dictionem *Ut*, vg. *Ducam te, ut divitias consequar*, exprimi solet, Sylvester *V. cit. num. 3.* & Pirrhing *ad hanc Rubric. num. 1.*

Conditio latiùs accepta alia est de 3.
Præterito vel Præsenti, quæ dispositionem resolvit & dependentem reddit ab aliquo, quod extitit aut jam existit: alia de Futuro, quæ eam suspendit in tempus seu eventum futurum, *§. Sub conditione 4. Instit. de V. O.* Atque hæc sive de Futuro Conditio rursus alia Possibilis, alia Impossibilis: alia Necessaria, alia Contingens: alia Honesta, alia Inhonesta est sive turpis. Ex quibus Necessaria & Impossibilis, cùm eventum habeant vel non habeant certum, & qui suspendi propriè non possit, à strictè dicta Conditione de-

ficiunt, *l. Quod si ea 18. ff. de Condict. indeb. & l. Si impossibilis 7. l. In illa 8. ff. de V. O.* sicut ab ea etiam deficit, quæ de præsenti vel præterito est; quia dispositionem & obligationem non suspendit, *l. Conditio 100. l. Si ita 120. ff. eâdem Rubr. & l. Itaque 39. ff. de Reb. credit.* Pontius *Lib. 3. de Matr. cap. 1. n. 5.* & Gonzalez *in c. 1. n. 4. & 5.*

4. Hactenus declaratarum Conditionum, sicut contractibus & actibus aliis, sic etiam Matrimonio & Sponsalibus appositarum, varia vis est & effectus;

Primò enim, conditio de præterito & præsenti, vg. *Contraho, si pater mortuus est, Si nobilis es*, matrimonialis & sponsalitii contractus obligationes non suspendit, neque eos etiam vitiat: sed facit; ut contrahens statim sit, vel non
5. sit obligatus, §. *Conditiones 6. Instit. & l. Si ita 120. ff. de V. O.* etiamsi conditionem jam existere vel extitisse contrahentium uterque ignoret, *l. Cùm ad præsens 37. ff. de Reb. Credit. & l. Cùm in secundo 16. pr. ff. de Injusto rupto &c.* cùm enim contractus indéque nata obligatio pendeat à voluntate contrahentium, *Reg. Contractus 85. in 6.* & hi in matrimonium vel sponsalia consentiant sub conditione paternæ mortis vel nobilitatis, his de præterito vel præsenti existentibus jam nata erit obligatio: licet, ut ex ea agere aut jure quæsito uti valeant, conditionis ita existentis notitia exigatur, ut rem hanc eruditè explicat Gonzalez *in c. 1. cit. n. 5.* Unde

Infertur, invalidum esse matrimonium cum muliere initum sub conditione, *Si legitima es*, quando illa legitima esse creditur, sed non est; quia conditio illa est possibilis & honesta: cujusmodi conditio de præsenti vel præterito nuptiali contractui adjecta, si vera, conjugium validum: si falsa est, irritum statim reddit, *arg. l. Cùm ad præsens & l. Cùm in secundo citt.* Fagnanus in *c. fin. à n. 14.* Sed hinc

Dubium oritur, an matrimonium 6.
sub hujusmodi conditione contractum, subsecutâ carnali copulâ convalescat; ut, natalium defectu postea detectô, qui id contraxerunt, separari amplius non possint. Ratio dubitandi est; quia sponsalia & matrimoniũ contrahens sub conditione, vg. *Si pater consenserit*, si ante istius eventum ita desponsatam carnaliter cognoscat, à conditione recessisse præsumitur, *c. De illis 3. c. Super eo 5.* & præsertim *c. Per tuas 6.* quô textu de tali contractu ab Episcopo Marsicano, vel potiùs Messanensi, per notata à Gonzalez *ibi n. 1.* consultus Innocentius III. in hæc verba rescripsit, *Cùm liquidò constet, quòd post contracta sponsalia carnalis est inter eos copula subsecuta, pro matrimonio est præsumendum*; quia creditur à conditione recessisse, præsumptione Juris & de Jure, contrarii probationem directam non admittente, *arg. c. Is, qui fidem 30. de Spons. & matr.* Glossa in *c. Per tuas cit. V. Præsumendum*, Menochius *Lib. 3. præsumpt. 1. n. 15.* & Barbosa *in c. cit n. 4.*

Sed verius, ejusmodi matrimonium, sub conditione de præsenti vel præterito initum, subsecutâ copulâ non convalescere vel confirmari, cum Panormit. *in c. Per tuas cit. n. 4.* Anchorano *n. 3.* docent Covarruvias *p. 2. de Sponsal. cap. 3. §. 1. n. 13.* Fagnanus *in c. Per tuas cit. n. 22.* & Gobat *Experient. Tract. 10. n. 452.* quòd, licet ex copula subsecuta à conditione de futuro: non tamen ab ea, quæ de præsenti vel præterito est, recessus præsumatur; quia conditio de præsenti & præterito actui adjecta & non impleta illum initiô invalidum ac nullum reddit, *arg. l. Cùm ad præsens & l. Cùm in secundo citt.* ut eum secuta carnalis copula fornicaria sit, non conjugalis: licet talis ex Juris præsumptione sit, quæ super-

ivenit ma-

venit matrimonio initò sub conditione de futuro; quia sub tali initus contractus initiò non est invalidus, sed solummodo suspensus usque ad eventum conditionis, *c. De illis c. Super eo citt. & l. Eas causas 80. ff. Condit. & demonstr.* Unde, istâ nondum impletâ, per supervenientem copulam carnalem à conditione recessum, & ad excludendum peccatum fornicationis, illa processisse præsumitur ex affectu conjugali, *citt.* Ant. de Butrio *n. 7.* & Fagnanus *n. 23.* Confirmatur hæc Resolutio; quia etiam sub conditione de futuro, vg. accessuri consensûs paterni inita sponsalia in matrimonium solummodo transeunt, si copula carnalis eventum conditionis antecedat: non etiam, si illa inter personas ita desponsatas intercedat, postquam conditio per patris contradictionem jam defecit; quòd, eâ deficiente, sponsalia jam evaserint nulla, Glossa *in c. Per tuas cit. V. Sponsalibus.* Unde, cùm in matrimonio cum muliere inito sub conditione, *Si legitima es*, istâ non subsistente, matrimonium nullum fuerit ab initio, per copulam cum illa subsecutam non convalesceret.

7. Secundò, eôdem modô matrimonium & sponsalia non suspendit neque vitiat ipsis apposita conditio de futuro Necessario, vg. *Contraho, si cras sol orietur*: sed statim obligat perinde, ut si illa purè & sine conditione contracta fuissent, *l. Impossibilis cit. l. Si pupillus 9. §. 1. ff. de Novationibus*; quia conditio necessariò futura, quòd determinata jam sit in sua causa, pro præsente & jam existente habetur; ideóque obligationem non moratur, §. *Conditiones cit.* Ita cum S. Thoma *in 4. dist. 29. q. Unica, art. 3.* Navarro *Manual. cap. 22. n. 66.* & Covarruvia *de Sponsal. p. 2. cap. 3. §. 2. n. 10.* Sanchez *Lib. 15. de Matrim. disp. 2. n. 2.* & Pontius *cit. cap. 1, n. 8.*

Tertiò, conditio de futuro contingente Honesta saltem matrimonii substantiæ non contraria, vg. *Contraho si Pater consenserit, si dignitatem vel munus publicum fueris consecutus*, sicut cæteros §. *Sub conditione cit. l. Conditionales §. 4. ff. de V. O.* sic etiam sponsalitios ac matrimoniales contractus suspendit; ut sponsalia & matrimonia ante ejus eventum non sint absoluta, *c. De illis 3. & c. Super eo 5.* nisi carnalis copula esset subsecuta; tali enim casu à conditione recessus & novus consensus de præsenti præstitus præsumebatur Jure antiquo, *arg. c. Veniens 15. & c. Is, qui fidem 30. de Sponsal. & matrim.* Novissimo autem Jure hujusmodi matrimonia præsumpta irritata sunt à S. Synodo Tridentina *Sess. 24. cap. 1. de Ref. Matr.* 8.

Neque obstat; quòd sponsalia & matrimonium sint actus legitimi, qui conditionem non recipiunt, per *Regg. Actus legitimi 77. ff. & 50. in 6.* quia Regulæ istæ exaudiendæ sunt de actibus, quibus vel ex natura rei, vel ex speciali legis dispositione conditio adjici prohibetur; quòd vg. iis præscripta sit certa forma, ut sunt Sacramenta Baptismi, Pœnitentiæ, Eucharistiæ &c. non autem de actibus, qui à voluntate nostra pendent, ut plerique contractus, atque hos inter etiam sponsalia & matrimonium, quæ neque certam formam habent à lege Divina, neque conditionem recipere à Jure prohibentur, imò clarè permittuntur *c. De illis & c. Super eo citt.* ut aliis DD. allegatis ostendit Barbosa *in Reg. Actus 50. cit. n. 8.* Unde

Dubium oritur, an matrimonium, initum sub hujusmodi conditione honesta, istâ positâ, perficiatur; ut non sit opus novo consensu. De sponsalibus id affirmandum, clarè colligitur, argumentô à contrario ductô, ex *c. Unico, de Sponsal. & matr.* 9.

& matrim. in 6. ubi ex ipsis, si conditionata sint, ante eventum conditionis publicæ Honestatis impedimentum nasci, negatur ob defectum consensûs. De matrimonio verò id negant multi præsertim TT. & ex JCT.is Covarruvias *p. 2. cit. cap. 3. pr. n. 15.* & Guttierez *Canon. Q. Q. Lib. 1. cap. 12. n. 21.* quos Pontius secutus est *cit. cap. 14. n. 3.* id desumens partim ex *c. Super eo cit.* quô textu is, qui matrimonium cum muliere iniit sub conditione consensûs paterni, ad matrimonium contrahendum non cogendus dicitur ante eventum conditionis. Unde à contrario infertur, hâc eveniente, contrahere, utrinque novô consensu positô, cogendum: partim verò; quòd matrimonium sit Novæ Legis Sacramentum; ac proinde, sicut cætera Sacramenta, sic etiam ipsum à futura conditione nequeat pendere: sed; ut statim valeat aut non valeat, sit necesse.

10. Sed verius est, sicut sponsalia, sic & matrimonium, conditionatè initum, impletâ conditione, perfici sine novo consensu, ut cum Innocentio *in c. Super eo cit.* Navarro *Manual. cap. 22. n. 63.* & aliis Juris Pontificii Interpp. ac DD. defendunt *cit.* Sanchez *disp. 8. n. 5.* Coninck *disp. 29. dub. 10. n. 11.* & novissimè Card. de Lugo *de Pœnit. disp. 13. s. & n. 5.* eâ ducti ratione; quòd obligatio conditionalis positâ conditione transeat in absolutam; quia consensus ille, cùm in eventum conditionis relatus sit, ad hunc usque moraliter perseverat, sicut accidit in contrahente per procuratorem, *c. fin. de Procurat. in 6.* & propterea, positâ conditione, non minùs obligabit, quàm si novus poneretur, ut patet inductione omnium aliorum contractuum, qui positâ conditione sine novo consensu perficiuntur; ut ab ejus positæ tempore valeant perinde, ut si ab initio purè initi fuissent, *l. Potior 11. §. 1. ff. Qui potiores in pign. & l. Hac venditio 7. ff. de Contrab. empt.*

Neque obstat textus allegatus in contrarium; quia, *c. cit.* verbum *Contrahere* idem significat quod *Consummare*, ut responsio congruat interrogationi, *l. 1. C. de diverf. rescript. & c. Qualiter 24.* ibi, *Ut juxta formam judicij sententiæ quoque forma dictetur, de Accusat.* Eôdem modô, cùm ibi dicitur, consensum, pendentem ab eventu futuro, non esse de præsenti, sensus est; quòd de præsenti non sit absolutus & omnino perfectus; cùm effectum non habeat de præsenti: non verò; quòd sit tantùm sponsalitius obligans ad matrimonium de futuro contrahendum, Fagnanus *in c. cit. àn. 2.*

Non magis quàm textus urget ratio; quia matrimonium est contractus; cujus natura cùm per elevationem ad dignitatem Sacramenti à Christo Domino mutata non sit, sicut contractus cæteri, sic etiam ipsum contrahi sub conditione, & hâc impletâ sine novo consensu perfici potest, Fagnanus *cit. n. 3.* asserens id Curiæ Romanæ praxi observari etiam post Tridentinum; ut matrimoniô, coram Parocho & testibus initô sub conditione, istâ purificatâ seu impletâ, necesse non sit contractum iterari.

Quantumvis autem hoc necessarium 11.
non sit, post S. Synodum Tridentinam tamen, sicut tutior in praxi, sic & in theoria probabilior est doctrina Rebelli *Lib. 2. de Oblig. Just. q. 10. s. 6. n. 44.* & Coninck *disp. 29. dub. 1. n. 15.* ad matrimonium initum sub conditione exigentium; ut Parochus & testes intersint non solùm illius contractui, sed etiam impletioni conditionis; quia aliàs Ecclesiæ non 12.
possent testificari, contractum matrimonialem secundùm externam speciem legitimè celebratum & perfectum; & propterea conjugium, alterô negante conditionem

tionem impletam, ad conjugii validè initi dissolutionem posset deveniri: ad cujusmodi incommoda evitanda parochi & duorum triúmve testium præsentia à memorati Concilii PP. requisita est *cap. 1. cit.* Unde necessarium est; ut literæ dispensationis super impedimento istis exhibeantur ab iis, qui sub ejus à sede Apostolica impetrandæ conditione contraxerunt, ut vult Perez *disp. 16. de Matr s. 14. n. 7.* vel saltem; ut eam impetratam & conditionem impletam, coram ipsis affirment: quod cum *cit.* Coninck *n. 17.* sufficere, existimat Laiman *Lib. 5. tract. 10, p. 2. cap. 7. n. 3.*

13. Dubium est de sponsalibus & matrimonio, sub conditione de futuro initis cum duabus. Qua in re varii sensus sunt DD. ex quibus à vero minùs aberrare videntur, qui inter sponsalia & matrimonium statuunt discrimen; ex binis enim sponsalibus priora præferenda sunt, sive ipsis apposita conditio impleatur ante, sive post impletam conditionem, quæ posterioribus est adjecta; quia posteriora, in priùs initorum præjudicium contracta, irrita sunt; cùm priora etiam conditionata pariant obligationem expectandi eventum conditionis: quam obligationem tollendi vim non habent, quæ cum alia sub eadem vel sub alia conditione postea sunt contracta, hôc ipsô; quòd sponsalia, licet contrahentium utriusque mutuô, non tamen unius duntaxat consensu, vel potiùs dissensu, dissolvantur; cùm, *Quod* ea ineundo contrahenti *Semel placuit, displicere amplius non possit, Regula* est 21. *in 6.* Unde invalida sunt postea cum alia inita, etiam sub conditione: nisi collata essent in eventum, quô priùs inita essent dissoluta; ut adeò priora, conditione, sub qua inita sunt, impletâ, evadant absoluta: etiamsi posterioribus adjecta conditio antè impleta fuisset; quia hæc adjecta est sponsalibus initis in præjudicium priorum, & ipso Jure invalidis. Ita Coninck *disp. 29. dub. 1, n. 20.* Laiman. *Lib. 5. Tract. 10. p. 2. cap. 7. n. 6.* & Pontius *Lib. 3. de Matrim. cap. 13, n. 1.*

Idem de matrimonio, sub ejusmodi conditione cum duabus contracto, statuendum videri primô intuitu potest; quòd initum sub conditione vim habeat sponsalium, ex communi sententia TT. teste *cit.* Sanchez *disp. 8. n. 17.* Sed hoc leve est; quia matrimonium, initum sub conditione de futuro, sponsalium vim eatenus tantùm habet; quòd ante eventum conditionis, sponsalium instar, ipsum quoque absolutum & perfectum non sit: non in aliis; cùm, conditione purificatâ, matrimonium sine novo consensu absolutum sit perfectúmque, & contrahentes insolubili vinculô conjungantur: quali vinculo non conjunguntur, qui sponsalia, etiam absoluta, injerunt. 14.

Quare verisimiliùs *citt.* Coninck *n. 20.* Laiman *n. 7.* eósque secutus Pirrhing *ad hanc Rubric. n. 28.* ex duobus matrimonius conditionatis prævalere docent id, cui adjecta conditio priùs est impleta. Ratio est; quia contractu matrimoniali posteriori, priùs præstito in aliam censensui, non absoluto, sed solùm conditionato faciliùs, quàm contractui sponsalium per alium ejusmodi contractum, cum alia subsecutum, præjudicatur; ut consensus prior, licet non justè, validè tamen valeat revocari; cùm iste, sub conditione primùm eventura in aliquam præstitus, per contractum matrimonialem absolutum cum alia celebratum indubitatè revocetur, & contractus matrimonialis absolutus prævaleat præterito solùm conditionato. Cùm ergo ex duobus matrimoniis, initis sub conditione eventûs futuri, id, cui apposita conditio priùs impleta est,

pleta est, ipsô istius eventu evadat absolutum, hoc sub conditione priùs inito prævalebit saltem, si contrahens in consensu, sub conditione præstito in matrimonium posterius, perseveret.

15. Casu, quô utrique adjecta conditio impletur simul, neutrum perfici sed utrumque vitiari, *citt.* DD. aiunt fere, sicut contingit, quando matrimonium cum duabus simul contrahitur absolutè, propter incertitudinem, quâ matrimonium vitiari, *arg. Reg. Ubi repugnantia 148. ff. de R. J.* docent Alex. de Nevo in *c. 1. hâc Rubr. n. 5.* Sylvester *V. Matrimonium 3. q. 6. citt.* Sanchez *disp. 8. n. 15.* & Laiman *n. 7.*

16. Cæterùm sub conditione, præsertim de futuro, etiam cum una duntaxat inita matrimonia, licet sacri Canones non improbent, hodie ferè inusitata: &, quòd variis incommodis obnoxia sint, à Parochis non, nisi gravi causa urgente, permittenda, cum Tamburino *Tract. 4. de Matr. cap. 5. §. 10. rectè* monet Gobat *cit. Tract. 10. num. 451. & Tract. 9. num. 138.*

ARTICULUS II.

De Desponsatione sub Conditione Impossibili.

SUMMARIUM.

17. *Conditio impossibilis in matrimonio rejicitur.*
18. *Non quidem, si pro possibili habita,*
19. *Vel à contrahentibus seriò adjecta sit:*
20. *Sed in dubio de eorum intentione;*
21. *Ob specialem matrimonii favorem:*
22. *Idque ex Constitutione Ecclesiæ,*
23. *Consensum non supplentis sed, absolutum fuisse, præsumentis:*
24. *Licet sponsi, eam à Jure rejici, ignorent.*
25. *Neque refert, an Conditio per naturam,*
26. *Vel de facto impossibilis:*
27. *An ea de futuro,*
28. *Vel de præterito aut præsenti sit.*
29. *Eadem conditio secundùm aliquos etiam rejicitur in sponsalibus.*
30. *Veriùs hæc irritat.*
31. *Conditionem, si Papa dispenset, aliqui impossibilibus:*
32. *Meliùs alij possibilibus ac censent,*
33. *Extra casum, quô non solet dispensari.*
34. *Qua conditio, si non exprimatur, non subintelligitur.*

Conditionem impossibilem, vg. 17. *Contraho, si cœlum digitô tetigeris, si Lunam cælô detraxeris, Si mare ebiberis*, adjectam matrimonio istius favore haberi pro non adjecta; ac proindè id sub ea, perinde ut purè contractum subsistere & statim obligare, à Gregorio IX. decisum est *c. fin.* cujus *V. fin.* ait, *Licet aliæ conditiones appositæ in matrimonio, si turpes aut impossibiles fuerint, debeant propter ejus favorem pro non adjectis haberi.* Ubi

Dubium est, quâ ratione ejusmodi conditiones pro non adjectis ab Ecclesia haberi, & matrimonia statim valida esse possint. Dubitandi ratio haud sanè levis est; quia matrimonium perficitur consensu ipsorum contrahentium, *l. Nuptias 30. ff. de R. J.* qui clarè desideratur in contrahente sub impossibili conditione: imò sub ista contrahens necessariò dissentit; cùm consensum suum conferat in eventum conditionis, neque aliter consentiat, quàm si ista evenerit; & propterea con-

rea conditionalis promissio tantùm afferat spem, debitum iri, si evenerit conditio §. *Sub conditione 4. Instit. de V. O.* conditio autem impossibilis evenire per rerum naturam non possit; quia id, quod impossibile est, necessariò non est, ut ait Aristoteles *Lib. 2. de Interpret. cap. 3.* Confirmatur hæc ratio primò; quia matrimonium est contractus: qui impossibili conditione adjectâ vitiatur, §. *Impossibilis 11. Instit. de Inutilib. stipulat. & l. Non solùm 39. ff. de O. & A.* Secundò; quia, sicut ad alios, sic etiam ad matrimonialem contractum non sufficit consensus merè internus, sed requiritur; ut verbis vel aliis signis externis sit expressus, *c. Cùm apud 23. de Sponsal. & matrim. & c. 1.* ibi, *Corde & ore, de Sponsa duor.* qui in contrahente sub conditione impossibili, ex natura sua dissensum significante, omnino desideratur & ab Ecclesia supplerì, vel sine eo matrimonium constitui non potest, ut aliis DD. allegatis ostendit Covarruvias *de Sponsal. p. 1. cap. 4. pr. num. 4.*

18. Hujus ita confirmatæ rationis ea vis est; ut, §. *fin. cit.* dispositioni locum esse non posse, existimem imprimis casu, quò contrahentium uterque vel alteruter matrimonio à se appositam conditionem impossibilem esse, ignoravit; hôc enim casu eam effectum sortiri, eáque, sicut cæteros sic etiam matrimonialem contractum vitiari, & in utroque foro pro irrito habendum, cum *cit.* Covarruvia *p. 2. cap. 3. §. 2. n. 5.* & aliis rectè censet Sanchez *Lib. 5. disp. 3. n. 8.* partim propter paritatem ultimæ voluntatis ita conditionatæ: quæ, si testator conditionem possibilem esse existimavit, nulla est, per textum & Glossam in *l. Servos 58. ff. de Condict. indebiti* & Bartol. *in l. 1. ff. eádem Rubricâ n. 5.* partim; quòd casu, quo adjecta conditio impossibilis habetur pro possibili, eam jocò & non seriò adjectam, non præsumatur: eámque adjiciens, non nisi in eventum conditionis se obligare voluisse, censeatur.

Deinde, eidem locus non est, quando 19.
ejusmodi conditionem à contrahentibus, impossibilitatis conscìis, seriò adjectam esse constat; tali enim casu eos, hôc ipsô; quòd se non nisi in eventum necessariò non futurum obligârint, se obligare noluisse, patet; ac proinde, sicut propterea alii, sic etiam matrimonialis contractus vitiabitur, ut cum *citt.* Covarruvia & Sanchez *n. 16.* tradit Perez *disp. 16. de Matr. s. 3. n. 5.*

Quare in matrimonio, inito sub con- 20.
ditione impossibili, ista pro non adjecta §. *fin. cit.* eô solùm casu habetur, quô contrahentium, impossibilitatis notitiam habentium, intentio dubia est: &, an jocô vel seriò, consensum aliàs legitimum firmandi vel irritum reddendi animô, apposita sit, aliunde non constat; tali enim 21.
casu, Ecclesia favore matrimonii, pro quo in dubio ex ejusdem Gregorii decisione *c. fin. de Sent. & re judicat & c. Directa 39. in fine, de Appellat.* pronuntiandum est, ad evitanda gravissima damna & animarum pericula, quæ ex matrimonii validè contracti dissolutione oriri, *c. Licet 47. in fine, de Test. & attest.* insinuatur. Hôc, inquam, casu Ecclesia, ad conservandum matrimoniũ, impossibilem conditionem ei in legitimo consensu aliunde non deficienti, jocô potiùs quàm seriò & dissentiendi aut actum irritum reddendi animô adjectam, præsumit; quia matrimonium non minùs favorabile est quàm ultimæ voluntates: quas adjecta impossibilis conditio non vitiat, sed ipsa vitiatur & habetur pro non adjecta, §. *Impossibilis 10. Instit. de Hæred. instit. l. Obtinuit 3. & l. Multa 6. §. 1. in fine, ff. de Condit. & demonstr.* favore testatoris, cujus interest,

ultimam suam voluntatem adimpleri, *l. 1. C. de SS. Eccles.* imò ipsius Reipublicæ; cùm publicè expediat, suprema hominum judicia exitum habere, *l. Vel negare 5. ff. Quemadmodum testam. aper.* Ita præter alios Covarruvias *cit. n. 5.* & Sanchez *disp. 3. cit. n. 15.*

22. Dubium secundò est, an *c. fin. cit.* novum jus à Papa conditum sit. Eô enim anterius & Naturale Jus solùm declarari, aiunt Pontius *Lib. 3. de Matrim. cap. 4. n. 10.* & Rebellus *Lib. 3. de Oblig. Justit. q. 10. s. 4. n. 27.* partim; quòd *c. cit.* Papa; ut conditiones impossibiles pro non adjectis in posterum habeantur, non decernat ac statuat: sed solùm dicat, eas debere haberi pro non adjectis, spectatâ scilicet nuptialis contractûs naturâ: partim verò; quòd, si *c. fin. cit.* dispositione seclusâ, matrimonium sub conditione impossibili initum esset invalidum, valor ei à Papa conferri non potuisset; cùm invalidum esset ob defectum consensûs, alligati impletioni conditionis, cujus eventus & impletio impossibilis est; ut à Papa, valorem matrimonio conferente, necessariò suppleri deberet consensus: quem tamen ullâ humanâ etiam Apostolicâ authoritate suppleri in matrimonio non posse, cùm Sylvestro *V. Matrimonium 2. q. 15. citt.* Covarruv. *p. 1. cap. 4. initiô n. 4.* Sanchez *Lib. 2. disp. 23. n. 2.* & aliis dictum est *Tit. 1. n. 135.* &, si non suppleretur, conjuges, quorum alter conditionem, quam impossibilem esse scivit, seriò adjecit, eámque ita adjectam probare non potuit, debitum sibi mutuò reddendô, viverent in continua fornicatione.

Verius tamen est, *c. fin. cit.* novum Jus à Papa conditum matrimonii favore, ut cum *cit.* Sanchez *disp. 3. n. 19.* defendunt Coninck *disp. 29. n. 42.* Hurtad. *disp. 7. de Matrim. n. 41.* Perez *cit. disp. 16. s. 3. n. 9.* & Haunold. *Tom. 3. de J. & J. tract. 8. n. 284.* Ratio est; quia conditio impossibilis actui adjecta, ex sua natura & communi usu modóve loquendi, dissensum potiùs significat quàm consensum; cùm enim petita negare volumus, dicere solemus: *Dabo aut præstabo, si digitô cælum tetigeris, si lunam cælô detraxeris*; ut adeò matrimonium initum sub conditione impossibili, istius præcisè naturâ spectatâ, invalidum foret, sicut invalidi sunt alii contractus initi sub tali conditione; quia talem conditionem, sicut cæteris, sic etiam nuptiali contractui adjiciens, eâ indicare & exprimere velle præsumitur dissensum, *l. Non solùm 31. ff. de O. & A. ubi* Mæcianus JCT.º contractus generatim omnes, impossibili conditione interpositâ celebratos, nullius esse momenti, ait, ejúsque rationem subjicit; *Quia in ea re, quæ ex duorum pluriúmve consensu agitur, omnium voluntas spectetur: quorum procul dubio in hujusmodi actu talis cogitatio est; ut nihil agi existiment, appositâ eâ conditione, quam sciant esse impossibilem;* quibus verbis apertè docemur, conditionis impossibilis adjectione in aliis contractibus dissensum significari: idémque fore in nuptiali: nisi; ut pro non adjecta haberetur conditio, speciali ejus favore statutum esset *c. fin. cit.* quô de matrimonio novum jus constitutum Papa satis indicat verbis *Propter ejus favorem:* cujus solius causâ, non propter ipsâ naturâ contractûs, conditionem impossibilem in matrimonio haberi voluit pro non adjecta. Unde corruit in contrarium deducta ratio prima.

23. Speciosa etiam magis quàm efficax est altera; quia Ecclesia, conditionem impossibilem à matrimonio rejiciendô, non supplet defectum consensûs: sed hunc, conditionis illius expressione non obstante, absolutè præstitum rationabiliter præsumit;

sumit; quòd verisimile non sit, contrahentem in re tam gravi & sancta contractum irritum reddere & nugandò peccatum committere voluisse; atque idcirco in dubio & quoties conditionem seriò adjectam non constat, contrahentem consensum à conditione impossibili independentem habuisse, *arg. c. fin. de Sent. & re jud. & c. Directa cit. in fine*; ne, si consensum verè conditionatum fuisse præsumatur, & contra matrimonium tanquam invalidum pronuntietur, & contrahentes separati copulentur aliis, cum animarum suarum manifesto discrimine in perpetuo adulterio vivant, *citt.* Sanchez *n. 15* & Hurtad. *n. 42.*

Ne autem cum simili animæ periculo in matrimonio vivat is, qui ei conditionem impossibilem seriò adjecit: &, quòd eam ita adjectam non constet nec valeat probari, illi, quocum sub conditione illa contraxit, tanquam verus conjux adjudicetur: ne, inquam, id eveniat, is qui consensum suum conditioni alligavit, conditione rejecta verè consentire tenetur: sicut ita consentire tenetur is, qui in matrimonium fictè, hoc est, verbis & signis tantùm externis consensum expressit, juxta dicta *Tit. 1. n. 143.* & alii, pro quorum matrimonii (quòd error aut metus, quô id obtentum vel extortum fuit, probari non potuerit) valore pronuntiatur, *citt.* Sanchez *n. 13.* & Hurtad. *n. 42.*

24. Dubium tertiò est, an §. *fin. cit.* decisio locum habeat in contrahentibus, hanc ejus de impossibili conditione decisionem ignorantibus. Quod negant Alexand. Carerius *Lib. 3. de Sponsal. cap. 5. citt.* Covarruvias *n. 1.* & Sanchez *n. 11.* eâ ducti ratione; quòd conditio impossibilis ex natura sua significet dissensum, & propterea sub ea contrahens, qui relatæ decisionis ignarus est, à conjugio potiùs esse alienus, quàm in id consensisse, debeat præsumi.

Sed, licet hæc ratio relatam Opinionem probabilem reddat, ego tamen probabiliorē censeo doctrinā *citt.* Rebelli *Lib. 2. q. 10. s. 4. n. 8.* & Pontii *Lib. 3. cap. 4. n. 8.* asserentium, dictæ decisionis ignorantiam non obstare, quò minùs conditio impossibilis in dubio pro non adjecta habeatur, partim; quòd in dubio fideles quicunque tam ignari, quàm ejus consciī, contrahere velle præsumantur secundùm intentionem Ecclesiæ; ac proinde conditionem, quam ista, etiam ipsi habere velle pro non adjecta: partim verò; quòd in dubio contrahens in re valde gravi, cujusmodi contractus matrimonialis est, potiùs jocari, quàm actuum suum irritum reddere voluisse videatur: & judicium pro matrimonii valore potiùs quàm pro ejus nullitate sit ferendum, *c. fin. c. Licet & c. Directa citt.* Unde in contrarium allata ratio, licet in aliis magnam, in nuptiali tamen contractu, cujus favore consensus potiùs quàm dissensus præsumitur, exiguam vim habet.

Sic declarata *c. fin.* decisio probabiliùs procedit, sive conditio impossibilis sit per naturam, ut vg. *Contraho, si digitô cœlum tetigeris*, sive de facto tantùm, qualis vg. est, quâ matrimonium initurus cum paupere, cui illudere velle aliunde non videtur, dicat, *Contraho, si millionem aureorum, si regnum dederis*, cùm; quia *c. fin.* textus de conditionibus impossibilibus loquitur omnino indistinctè: tum verò; quia hujusmodi conditio impossibilis pro non scripta habetur etiam in ultimis voluntatibus, ut colligitur ex *l. Si quis ita cit.* ex cujus dispositione institutio, facta sub conditione monumenti proximô triduô excitandi, quæ de facto impossibilis est, non vitiatur: 25. 26.

sed conditio habetur pro non adjecta, secundùm Molinam *Tract. 2. de I. & I. disp. 206. n. 9.* Accedit; quòd de facto tantùm impossibiles conditiones non aliâ intentione matrimonio apponi videantur, quàm impossibiles per naturam: & in dubio, quò animò adjectæ sint, matrimonii favor pro non adjectis haberi exigat utrasque, ut cum laudato Molina rectè observat Perez *cit. disp. 16. s. 3. n. 24.*

27. Dubium est quartò, an à matrimonio etiam conditiones impossibiles de præterito & præsenti reiiciantur; eas enim duntaxat, quæ de futuro sunt, reiicere videtur tenor *c. fin. cit.* in illo pro non adjectis simul habens conditiones impossibiles & turpes: quarum posteriores, si de præterito vel præsenti sint, à matrimonio non reiici, *n. 39. & n. 47.* statuetur. Unde idem statuendum erit de hujusmodi conditionibus impossibilibus; cùm hæ quoque, si sint de præterito vel præsenti, conditiones strictè & propriè non sint; quòd actum non suspendant, ut propriè & strictè dictæ conditiones, ut dictum *n. 2. & 3.* Cui rationi non parum roboris addit; quòd legum & canonum verba propriè accipienda sint, *c. Inter 2. V. Sed neque, de Translat. Episc. & l. Non aliter 69.* junctâ Glossâ *V. A significatione ff. de Legat. 3.* Tuschus *Practic. V. Verba, concl. 91. à n. 1. & 7.* & Petr. Barbosa *in l. Quia tale 13. ff. Soluto matrim. n. 37.* Qua ratione ductus Pontius *cit. cap. 4. n. 12.* dispositionem *c. fin. cit.* ad conditiones impossibiles de futuro matrimoniis appositas restringit cum Sylvestro *V. Matrimonium 3. q. 1. in fine & cit.* Ledesma *q. 47. art. 5. dub. 1. §. Hôc positô.* Contrà quos &

28. Meliori ratione *c. fin. cit.* à matrimonio conditiones impossibiles indiscriminatim omnes; ac proinde etiam eas, quæ sunt de præterito vel præsenti, reiici, cum Durando *in 4. dist. 28. q. 2. n. 2.* sustinent Alex. Carerius *de Sponsal. Lib. 4. cap. 5.* Covarruvias *cit. cap. 3. §. & n. 2. citt.* Sanchez *disp. 4. n. 3.* & Perez *s. 3. n. 2.* Rationem reddunt; quia *c. cit.* Papa conditiones impossibiles non reiicit; quòd ad aliquid impossibile obligent: sed; quia omnino impossibiles sunt. Cùm ergo tales, sicut quæ de futuro, sic etiam quæ de præterito vel præsenti apponuntur, sint, conjugio appositæ conditiones impossibiles indiscriminatim omnes rejectæ intelliguntur. Confirmatur; quia matrimonii favor non minor est, quàm ultimæ voluntatis, à qua conditionem impossibilem de præsenti reiici & pro non scripta haberi, liquet ex *l. Si Mævia 45. ff. de Hæred. instituend.* ubi conditio, *Si filia vivet*, casu, quò testator filiam nunquam habuit, tanquam impossibilis, à testamento reiicitur: licet ea de præsenti, & non de futuro sit, Glossa *in l. cit. V. Vivent*, id est, *In tempore præsenti*; cùm, eam quæ nata nunquàm fuit, per rerum naturam de præsenti vivere, impossibile sit.

Neque hac in re conditio impossibilis par est turpi; quia ista matrimonii favore ideo solùm reiicitur; quòd inducat ad peccandum & agendum, quod est turpe atque inhonestum: illa autem præcisè propter impossibilitatem. Cùm ergo ad peccandum & turpitudinem committendam conditio de præterito ac præsenti non inducat aut obliget, sed hoc ea tantùm faciat, quæ de futuro est: contra verò impossibilitas in conditione impossibili æquè reperiatur, sive de futuro, sive de præterito vel præsenti apponatur, hæc quoque in conjugio reiicienda est: licet impossibiles, quæ sunt de præsenti vel præterito, minùs propriè & strictè conditiones sint, quàm quæ de futuro apponuntur; quia *c. fin. cit.* Papa à matrimonio

trimonio reiiciendô conditiones impossibiles non tam ad earum proprietatem, quàm ad impossibilitatem attendit.

29. Dubium quintò est, an conditio impossibilis pro non adjecta habeatur etiam in sponsalibus. Quod à DD. tantâ concordiâ teneri, ait *cit.* Sanchez *disp. 5. n. 2.* ut ipse, quantumvis rationes in contrarium admodum urgeant, ab ipsis divertere non sit ausus. Ratione ipse & illi eâ potissimùm nituntur; quòd sponsalia sint initium & via ad matrimonium; ut, quod de isto Jure dispositum est, ad illa non malè extendatur, *arg. l. Oratio 16. ff. de Sponsal.*

30. Sed, ut *cit.* D. ultro fatetur, hæc ratio facilè diluitur; quia argumento ex *l. cit.* desumpto locus non est, quando do matrimonio aliquid statuitur ex speciali & in sponsalibus non urgente ratione, per ea, quæ cum Baldo, Decio aliisque DD. relatis tradunt Guttierez *de Jurament. p. 1. cap. 51. à n. 9.* & ipse Sanchez *Lib. 1. disp. 12. n. 3.* decisio autem §. *fin.* continet specialem favorem matrimonii: à quo si conditiones impossibiles in dubio de proferentis intentione non reiicerentur, & propterea judicaretur contra valorem matrimonii, cui sunt adjectæ, periculum esset; ne hoc validè contractum cum gravi injuria Sacramenti & animarum pernicie dissolveretur: cujusmodi periculum cùm sponsalium etiam validè contractorum dissolutio non afferat, prædicto matrimonii favore non afficientur; ac proinde conditiones impossibiles, sicut alios, sic etiam sponsalitium contractum vitiabunt, ut cum Salmanticensibus, à Petro de Ledesma eorum assecla *de Matrim. q. 43. art. 5.* relatis, docent Rebellus *q. 10. cit. s. 4.* & Perez *disp. 12. s. & n. 3.*

31. Dubium sextò est de sponsalibus, à personis laborantibus impedimento dirimente, initis sub conditione, *Si Papa in impedimento* vg. consanguinitatis *dispensârit*: quæ hujusmodi conditione adjectâ vitiari, existimârunt ex Interpp. *in c. Super eo 5.* Hostiens. *pr.* Joan. Andr. *n. 2.* Anchoran. *n. 7.* Panormit. *n. 8.* & ex aliis DD. Sylvester *V. Matrimonium q. 9.* & Henriquez *Lib. 11. cap. 10. n. 4.* quorum aliqui conditionem illam; quòd à voluntate Principis scilicet Papæ dispensantis pendeat, pro impossibili, *arg. l. Continuus 137. §. 6. ff. de V. O.* alii; quòd Juri adversetur, pro inhonesta habent.

Sed melius alii cum Covarruvia 32.
cit. cap. 2. pr. n. 8. & Sanchez *Lib. & disp. 5. n. 12.* eam conditionem pro possibili honestáque: & sponsalia, quibus adiicitur, pro obligatoriis habent; ut ante & post illam dispensationis impetratione impletam neutri liceat resilire. Ratio est; quia, licet quasi, non verè, ut *cit.* Covarruvias *n. 9.* observat, impossibile censeri valeat, quod Princeps difficillimè concedit, tamen neque impossibilia neque turpia reputanda sunt, quæ ab illo ex justa causa frequenter peti & impetrari, ut dispensationes in plerisque impedimentis Jure Ecclesiastico introductis, consueverunt: quod Sanchez *l. cit.* variis instantiis declarat. Deinde; quia, licet observatio legis ferè magis honesta, quàm super ea impetrata dispensatio sit, ista tamen; quòd Juri modô ab ipsomet Jure approbatô deroget, inhonesta reputari nequaquam potest, ut rectè monet Palao *Tract. 28 disp. 1 p. 16. n. 8.*

Neque obstat *§. 6. cit.* uti & in con 33.
trarium allegari solita *l. Inter stipulantem 83. §. 5. ff. de V. O.* secundùm quam non valet stipulatio de re sacra, publica vel homine libero sub conditione, *Si illa profana, aut privata, & iste servus fiat*; quia præterquam, quod conditiones istæ,

nes istæ, tanquam dignitati & statui derogantes, inciviles ac tristes, & propterea earum eventus timendus potiùs quàm expectandus sit, *l. Cùm tale 72. ff. de Condit. & demonstr.* leges illæ exaudiendæ sunt de conditionibus, in quibus non solet dispensari: quarum proinde argumentô sponsalia vg. inter fratrem & sororem inita sub conditione, *Si Papa dispensârit*, ab ista tanquam impossibili, vitiari, cum Petr. de Ledesma *q. 47. art. 5.* meritò concedunt Pontius *Lib. 3. cap. 15. n. 1.* & Perez *cit. disp. 16. s. 4. n. 3.* licet inter duos consanguineos in tertio vel quarto gradu aliósque similes, sub conditione dispensationis obtinendæ inita, pro validis habeant. Propositi Resolutio ansam præbet

34. Dubio septimo de valore promissionis matrimonii à duobus, consanguinitatis alióve impedimento dirimente laborantibus ejúsque conscíis, factæ sine expressione conditionis, *Si Papa dispensârit*; eam enim pro valida habet Sotus *in 4. dist. 29. q. 2. art. 1. §. Revera* cum eóque, si promissio sit jurata, sentiunt Tabiena *V. Sponsalia q. 8. n. 9.* & Armilla *V. cit. n. 11.* Rationem reddunt; quòd, cùm inter tales matrimonium aliter, quàm Apostolicâ dispensatione impetratâ, consistere nequeat, ejus promissio ita accipienda sit, ut conditionem, *Si Papa dispensârit*, tacitè includat; cùm verba quantumcunque generalia restringenda, itáque exaudienda sint; ut actus Juri conformetur & conservetur, *arg. l. fin. C. de Usufructu.*

Verisimiliùs tamen, ejusmodi promissionem, saltem si de petenda dispensatione tractatum non sit, valore destitui, cum *cit.* Ledesma *art. 5. dub. 2. ad 4.* docent Covarruvias *p 2. de Sponsal. cap. 3. initiô n. 7.* Guttierez *Lib. 1. QQ. Canon. cap. 22. n. 17. & cit.* Sanchez *disp. 5. à n. 26.* in eam rem allegans *l. Si stipulor 35. ff. de V. O.* cujus §. 2. inutilis habetur stipulatio ejus, quod leges prohibent. Ratio est; quòd promissio secundùm præsentis temporis jus accipi debeat, *l. Continuus cit.* cujus §. 6. relatum ICT. responsum est, *Non secundùm futuri temporis jus, sed secundùm præsentis æstimari debet stipulatio*; sic enim institutio spurii purè facta, itáque factum res seu bona majoratûs alienandi præceptum non valet, licet subsistant facta sub conditione *Si Princeps legitimaverit vel dispensârit*, minimè obscurô argumentô, in actibus sine hac conditione adjecta invalidis, conditionem, *Si Princeps dispensaverit*, tacitè non comprehendi, cósque invalidos esse, si conditio non exprimatur, ut in simili notant *in l. Conditioni 2. C. de Instit. & substitut.* Glossa *V. Voluerit* cum aliis Interpp. Mantica *Lib. 11. de Conjectur. ult. volunt. tit. 18. n. 6.* Covarr. *cit. cap. 3. initiô n. 7.* Petr. Ledesma *de Matrim. q. 47. art. 5. dub. 2. ad 4.* & Sanchez *cit. n. 26. in fine.*

Neque in contrarium urget; quòd verba sic accipienda sint; ut actus Juri conformetur & conservetur; quia hoc solummodo procedit, quando verba sunt dubia: non etiam quando, ut in propositæ matrimonialis promissionis casu, sunt clara; quia in tali actu, quod verbis expressum non est, pro omisso habetur, & sine Juris authoritate non suppletur; cùm, licet interpretandi jus sit, supplendi tamen sine legis vel canonis authoritate jus non habeamus: & mens in corde retenta, actibus hominum non accommodetur, ut cùm Cujacio *ad l. Commodissimè 10. ff. de Liber. & posthum.* observat Berlich. *Decis. 262. à n. 7.* & Barbosa *Lib. 13. cap. 21. Axiom. 2.*

ARTI-

ARTICULUS III.

De Desponsatione inita sub Conditione Turpi & Modo.

SUMMARIUM.

35. *Conditio Turpis, si matrimonii substantiæ non repugnet, reiicitur:*
36. *Non quidem, si habeatur pro honesta,*
37. *Vel matrimonio seriò adiiciatur:*
38. *Sed in dubio de adiicientis intentione:*
39. *Nisi de præterito vel præsenti,*
40. *Vel sponsalibus apposita sit.*
41. *De vi conditionum,* Si te virginem invenero,
42. Si mecum concubueris,
43. *Et,* Si donaveris centum.
44. *Tres Conditiones matrimonii substantiæ repugnant:*
45. *Quæ ipsum,*
46. *Et sponsalia quoque irritant:*
47. *Nisi sint de præterito vel præsenti,*
48. *Vel ei contrahentium alter contradicat.*
49. *DD. sensus de conditione,* Si Castitatem servaveris:
50. *Sub qua matrimonium probabiliter validè:*
51. *Probabiliùs invalidè initur.*
52. *Conditio illa repugnat substantiæ matrimonii,*
53. *Mutui juris in corpora translationem exigentis:*
54. *Et ipsum matrimonii contractum excludit.*
55. *Modò adjectò non vitiantur desponsationes.*

QUintò, Conditiones de futuro contingente Turpes, quæ tamen substantiæ matrimonii & tribus ejus bonis, paulò post declarandis, non repugnant, vg. *Contrahо, si occideris, si furatus fueris*, in matrimonio pro non adjectis haberi, à Gregorio IX. decisum est *c. fin. V. Licet*, & jam antè à Concilio Africano, relato *c.* 1. quò textu nomine *Conditionis*, non quamcunque sed Turpem duntaxat, quæ tamen matrimonii substantiæ non repugnet, intelligi, cum Glossa *V. Frangatur*, Panormit. *n.* 2. Covarruvia *p.* 2. *de Sponsal. cap.* 3. §. 2. *pr.* docet Canisius *in c. cit. n.* 2. *&* 3. 35.

Non quidem, si ea habeatur pro honesta; hôc enim casu, sicut aliæ hujusmodi conditiones, sic ipsa quoque contractum ad eventum usque suspendit. 36.

Neque etiam, si eam à contrahentibus seriò adjectam, & consensum non nisi sub ejus eventu præstitum, constet; cùm enim matrimonium perficiatur consensu, *l. Nuptias 30. ff. de R. I.* & iste in contrahentibus deficiens suppleri ab Ecclesia non possit, casu, quò ejusmodi conditioni consensum alligatum constat, pro non adjecta haberi non potest; ac proinde ad ejus eventum matrimonium suspendetur, *cit.* Covarr. *n.* 6. *&* 7. & Sanchez *Lib.* 5. *de Matrim. disp.* 15. *n.* 7. 37.

Sed in dubio, quò animò adjecta sit; hôc enim solò casu favore matrimonii, sicut impossibiles, sic etiam turpes conditiones matrimonii substantiæ non repugnantes, ab Ecclesia pro non adjectis habentur, & matrimonium purè initum præsumitur, *cit.* Sanchez *n.* 1. & Perez *disp.* 16. *de Matrim. s.* 9. *n.* 2. *&* 3. Ratio est partim; quòd invitent ad delinquendum; ideóque Jure pro impossibilibus reputentur, *arg. can. Faciat*, 22. *q.* 2. ubi Glossa *V. Eodem*, *Id solùm*, inquit, *di-* 38.

quit, *dicimur facere posse, quod justè facere possumus*: partim verò; quòd, eam jocó potiùs quàm seriò, sive contractum, aliàs in nullo deficientem, irritandi animô adjectam præsumi, exigat favor matrimonii, in dubio conservandi potiùs quàm dissolvendi, *arg. c. fin. de Sent. & re judic. & c. Directæ 39. in fine, de Appellat.*

39. Dixi autem, *De futuro & In matrimonio.* Prius; quia conditio de præsenti & præterito vg. *Contraho, si occidisti*, pro non adjecta non habetur: & propterea matrimoniũ, eâ verificatâ, subsistere, eáque non verificatâ, non valere, cum Alexand. de Nevo *in c. De illis 3. n. 16.* Alexand. Carerio *Lib. 4. de Sponsal. cap. 5.* & Covarr. *cit. §. & n. 2.* communis est doctrina; quòd ea non sit propriè dicta Conditio, & ad delinquendum non invitet. Contrarium tamen & idem, quod de collatis in eventum futurum, etiam de his conditionibus sentit Victoria *in Summa, de Matrim. n. 260.* & suadere videtur favor matrimonii, *arg.*

40. *c. fin. cit.* Posterius; quia in sponsalibus conditio turpis substantiæ matrimonii non contraria, licet ante eventum nullam, & eventum etiam expectandi, obligationẽ non imponat; cùm inducat ad peccatũ, ad quod obligatio non datur: eventu autem secuto ad matrimonium ineundum obligat absolutè. Quare in sponsalibus, sicut impossibilis, sic etiam turpis conditio, in dubio an jocô vel seriò apposita sit, favore libertatis, pro qua in dubio pronuntiandum, *arg. l. Arrianus 47. ff. de V. O.* censetur adjecta seriò, impletáque absolutam parit obligationem, ut cum Rebello *Lib. 2. de Matrim. q. 10. §. 5.* & Pontio *Lib. 12. de Matrim. cap. 7. n. 3.* & Petr. de Ledesma, cum DD. Salmanticensibus id probabile asserente *de Matrim. q. 47.* censet Palao *Tract. 28. disp. 1. p. 16. n. 4.*

Dubium hîc est de conditionibus, 41.
Si te virginem invenero, Si mecum concubueris. Quarum prior, si de licita virginitatis exploratione, quæ per honestas matronas & obstetrices fit, juxta *c. Causam 14. de Probat.* accipiatur, matrimonialem & sponsalitium contractum suspendit. Si verò de illicita & per concubitum facienda intelligatur, pro non adjecta habetur; ut matrimonium, quod sub ea contractum est, purè initum censeatur, Perez *disp. cit. §. 10. n. 7. & 8.*

De matrimoniali contractui adjectæ 42.
conditionis, *Si mecum concubueris*, vi DD. variè sentiunt ac loquuntur apud *cit.* Sanchez *disp. 16. à n. 1.* Mihi multum interesse, videtur, an ea referatur ad concubitum, qui contractũ matrimonialem antecedit, vel ad eum, qui ante vel post bimestre à contractu matrimoniali lapsum sequitur; cùm, ad antecedentem relata, pro non adjecta habenda sit, juxta *c. fin. cit.* Si verò relata sit ad eum, qui contractum matrimonialem & duos menses ad deliberandum de ingressu Religionis à Jure indultos *c. Verùm 2. & c. Ex publico 7. de Conversf. conjug.* sequitur, matrimonium, perinde ut, si ea conditio apposita non fuisset, purè initum censetur, *arg. l. Heredis 7. §. 5. ff. Quando dies legat. & l. Si servo 47. ff. de Condit. & demonstr.* quia ad hunc concubitum relata conditio ferè inest ipsô Jure: ea verò, quæ ita insunt, supervacuè exprimuntur, & perinde, ut non expressa, *l. Cornelius 69. ff. de Hared. instit.* vel admonitionis potiùs quàm conditionis vim habere censentur, *l. Muto 6. §. 1. ff. de Tutelis.* Demum relata ad concubitum intra primum bimestre neque inhonesta est, neque inest ipso Jure: & propterea contractum verè conditionalem reddit; ut non nisi conditionis impletione transeat in absolutum, Perez *s. cit. à n. 2.*

Dubium

43. Dubium secundò est de adjecta sponsalibus & matrimonio conditione, *Si donaveris centum* Aliqui enim eam pro turpi absolutè habent; quòd conjugium quasi venale reddat, *l. Nec esset 2. ff. de Donat. inter vir. & uxor.* & tanquam libidinis, aut alio pravo affectu adjecta reprobetur, *l. Si ita 97. §. 2. ff. de V. O.* At meliùs conditionem istam, quando, ut ferè solet ac præsumitur, ex justa, vg. dotis, nobilitatis, juventutis aut alterius qualitatis in altero excellentis & ab altero compensandæ causâ apponitur, pro honesta &, ut alias de futuro contingenti, obligatoria cum Panormit. *in c. De illis cit. n. 3.* Covarruvia *cit. cap. 3. §. 3. n. 1. & 2.* habet *cit.* Sanchez *Lib. 1. disp. 33. n. 4.* permotus textu *c. cit.* ejusmodi conditionem non reiiciente: quem proinde cum *l. Si ita cit. §. 2.* dispositione ita conciliat; ut *c. cit.* de ejusmodi conditione ex justa: §. 2. *cit.* textus autem de ea, quæ ex inhonesta, & matrimonium libidini venale reddente causa est apposita, sit exaudiendus: cujusmodi causam præsumi existimat, quando non fœmina viro: sed *Si sibi nupserit*, centum fœminæ promittit vir, illi nobilitate, opibus aliisque dotibus par aut præcellens. Confirmatur conciliatio hæc ex eo; quòd §. *cit.* dicatur, eam conditionem adiicienti actionem denegandam, cognitâ causâ, hoc est, præmissâ judiciali cognitione, an honesta & probabilis causa ejusmodi stipulationis fuerit, vel inhonesta, juxta *l. fin. §. 1. ff. de O. & A.* indubitatò indiciò, eâ ex honesta dotis vel compensationis causa adjectâ stipulationem non vitiari, ut *in c. cit.* notant Panormit. *n. 3.* & Canisius *n. 2.*

Neque cum ea pugnat; quòd *c. cit.* textus dicat, *Si mihi donaveris*: id autem, quod compensandæ nobilitatis &c. uti & dotis gratiâ datur, donatum dici nequeat; cùm ad supportanda matrimonii onera detur, *l. Pro oneribus C. de Jure Dotium.* Non, inquam, cùm conciliatione allata hoc pugnat; quia *c. cit.* verbum *Donaveris* non rigorosè, sed pro eo, quod ex causa aliqua datur, accipiendum, inde satis liquet; quòd *c. cit.* agatur de donatione deducta in pactum; ac proinde non merè gratuita, sed onerosa, Panormit. *cit. n. 3.* Sanchez *cit. n. 4.* Barbosa *in c. cit. n. 4.* & Wagnereck §. 1.

Sextò, Conditiones matrimonii substantiæ tribúsve ejus bonis repugnantes, matrimonio adjectæ, ejus contractum vitiant & invalidum reddunt, *c. fin. cit. pr.* Pro quo notandum est, in consensu in matrimonium à contrahentibus præstito, in quo ejus substantia consistit, *can. Sufficiat, 27. q. 2. c. Cùm locum 14. &c. de Sponsal. & matr. c. 1. de Sponsa duor. & l. Nuptias 30. ff. de R. I.* includi tria Bona matrimonii, quæ sunt Proles, Fides, Sacramentum, secundùm S. Augustinum, relatum *can. Omne, 10. q. 2. cit.* & Glossam *ibi, V. Omne.* 44.

Primum sive Prolis bonum spectat procreationem & educationem liberorum, *pr. Instit. de J. N. G. & C.* quantumvis enim proles, & ipse ejus generationis actus non sit de substantia matrimonii, ex consensu tamen in hoc præstito nascitur obligatio ad exhibendos, si exigantur, actus ex se aptos ad generationem prolis & nihil illicitè agendum, quô ejus procreatio impediatur, juxta dicta *Tit. 1. à n. 130.* Unde prolis bono repugnant contractui nuptiali appositæ conditiones, de sumenda potione sterilitatis, istáve aliis modis illicitis procuranda: de semine extra vas emittendo & impedienda carnalis copulæ consummatione & prolis conceptione; de procu-

rando abortu illius conceptæ, de natæ suffocatione aliáve peremptione.

Altera seu bonum Fidei consistit in mutua fidelitate, quam conjugum uterque alteri servare tenetur, *can. Solet, 32. q. 2. & l. Viro atque uxore 39. ff. Soluto matrim.* non solùm conjugale debitum, si exigatur, solvendô: sed etiam alteri se non commiscendô, *can. Omne cit. & can. fin. 32. q. 6.* S. Thomas *in 4. dist. 32. q. 1. art. 2.* ut adeò bono fidei adversentur eidem contractui adjectæ conditiones, excludentes obligationem etiam radicalem ad actus conjugales sibi mutuò exhibendos, vel imponentes obligationem pro quæstu se aliis prostituendi.

Tertium sive Sacramenti bonum exposcit individuam societatem vitæ; quam licet matrimonium ex sua institutione inducat, *cc. 1. de Sponsal. & matr. & de Sponsa duor. & l. 1. ff. de Jure dot.* multò tamen majorem ac firmiorem individuitatem consecutum est Christi Domini ad dignitatem Sacramenti elevatione; ut, saltem si consummatum sit, ejus vinculum dirimi aliter non possit, quàm conjugum alterius morte, quæ omnia soluit, *Novell. 22. cap. 20.* Atque idcirco cum hoc Sacramenti bono pugnant matrimonio appositæ conditiones de vitæ societate restricta ad certos annos, imò etiam ad incertos, vg. donec sponsa opulentior, nobilior, honoratior offeratur: de ea dissolvenda cùm alter alteri displicuerit: de dando Repudii libello, Perez *cit. disp. 16. s. 7. n. 2. & s. 8. n. 1. & 4.* & Gonzalez *in c. fin. cit. n. 3.*

45. De hujusmodi ergo, conjugii substantiæ tribúsve ejus bonis contrariis conditionibus de futuro, nuptiali contractui à contrahentibus adjectis, Gregorii IX. *c. fin. cit. pr.* relata percelebris decisio, & ad judicum Ecclesiasticorum instructionem Juris Corpori inserta Constitutio est, *Si conditiones contra substantiam conjugii inserantur, puta, si alter dicat alteri, Contraho tecum, si generationem prolis evites, vel donec inveniam aliam honore vel facultatibus ditiorem: aut, si pro quæstu adulterandam te tradas, matrimonialis contractus, quantumcunque sit favorabilis, caret effectu.* Quæ decisio verisimiliùs, sicut de matrimonio, sic etiam de sponsalibus procedit saltem, quando his adjecta ejusmodi conditio cadit supra ipsum matrimonium; ut post hoc jam contractum contra Prolis, Sacramenti aut Fidei conjugalis bonum sit adimplenda; tali enim casu eâ, sicut matrimonium, sic etiam sponsalia irritari, *arg. l. Oratio 16. de Sponsal.* communi cæterorum DD. sensu recepta doctrina est D Thomæ *in 4. dist. 27. q. 2. art. 1.* & D. Bonaventuræ *ibid. dist. 28. q. 3. n. 13.* 46

Ratio decisionis est; quia contrahens sub conditione, matrimonii substantiæ triúmve ejus bonorum alicui contrariâ, manifestè non vult contractum matrimonialem; cùm enim sine substantialibus suis subsistere nihil possit, talium aliquô à contractu remotô, exclusus ipse contractus censetur, *arg. can. Detrahe, 1. q. 1.* Everard. *Legal. arg. loco 10. n. 5.* recensitæ autem conditiones matrimonii substantiæ contrariæ esse asseruntur *c. fin. cit.* Neque id immeritò; quia de matrimonii substantia ex ipsa ejus institutione & ad Sacramenti dignitatem elevatione est perpetua & mutua translatio juris in corpora sive istorum traditio ad actus ex se aptos ad generationem prolis, & obligatio fidei conjugalis servandæ, non solùm sibi mutuo reddendo debitum: sed etiam corpus aliis non tradendô, ut cum S. Thoma *q. 1. art. 3.* & Turrecremata *art. 2.* post *can. Sicut omnis 22. q. 2.* communis & certa est fere omnium doctrina:

trina: cui sive mutui juris in corpora traditioni obligatio solùm temporanea sive ad certum incertúmve tempus restricta: uti & perpetua, vi cujus tamen prolis generatio impediatur, aut unius corpus prostituendum sit, manifestè adversatur.

Obstare quidem huic decisioni & rationi videtur; quòd conditio retinendi proprietatem, quantumvis sit contra substantiam professionis Religiosæ, *c. Cùm ad monasterium 6. de Statu Monach.* hanc tamen non vitiet, ut colligitur ex *c. fin. Qui clerici & vovent.* ubi ab Innocentio III. rata habetur ejusmodi professio à muliere edita cum conditione, in domo propria cum omni substantia remanendi. Sed revera non obstat; quia dicta mulier substantiam suam tantùm retinuit quoad usũ pro suis necessitatibus, & administrationem à superioris voluntate pendentem, ac proinde Religiosæ professionis substantiæ non repugnantem, ut in *c. cit.* cum Glossa *V. In domo,* notant Barbosa *n. 3.* & Fagnanus *n. 21.*

47. Dixi autem *n. 45. De futuro & A contrahentibus.* Prius; quia sub ejusmodi conditione de præterito aut præsenti initum matrimonium, illâ jam existente, tenet, eâve non impletâ, irritum est, ut cum Covarruvia *cit. cap. 3. §. 1. num. 9.* Sanchez *Lib. 5. disp. 9. n. 6.* & aliis observat Barbosa in *c. fin. cit. n. 8.* partim; quòd *c. cit.* textus loquatur de conditionibus veris, quales, quæ præteritum aut præsens tempus respiciunt, propriè non sunt, *l. Institutio 10. ff. de Condit. Instit.* partim verò; quòd ejusmodi conditio de præterito & præsenti non respiciat prædictis tribus bonis contrariam obligationem, sed tantùm actûs executionem: matrimonialis autem contractûs substantiæ non ejusmodi actuum executio, sed ad ipsos exequendos obligatio adversetur, ut cum *citt.* D. Thoma, Turrecremata &c. ostendit idem Sanchez *Lib. 2. disp. 29. n. 12.* Posterius, sive *A. contrahentibus,* intellige *Ambobus;* si enim ejusmodi turpi conditioni, ab eorum altero adjectæ, alter contradicat, matrimonium valet perinde, ut si apposita non fuisset, *arg. can. Aliquando 32. q. 2.* quia ille, istius contradictione non obstante, ad contractum matrimonialem, qui mutuò utriusque consensu perficitur, procedendò, favore matrimonii ab apposita conditione recessisse videtur, *arg. c. Per tuas 6. citt.* Covarruvias §. *1. n. 11.* Barbosa *in c. fin. cit. n. 9.* & *ibi* Fagnanus *n. 4.* 48.

Dubium hìc & controversia inter DD. in utramque partem militantes ingens est de adjectis matrimonio conditionibus honestis, ut sunt, *Contraho, si mecum vivas in perpetua Castitate, Si hanc voves:* quibus matrimonium vitiari, negant Abulensis *in Lib. Numer. cap. 30. quæst. 32.* Paludanus *in 4. dist. 30. q. 2. art. 1. concluſ. 2. n. 6.* eósque secuti Rebellus *Lib. 2. q. 10. ſ. 3.* & Pontius *Lib. 3. cap. 11. à n. 5.* Id contrà etiam talibus conditionibus vitiari, affirmant Covarruvias *cit. cap. 3. §. 1. n. 3.* Sanchez *Lib. 5. disp. 10. n. 2.* & Barbosa *in c. fin. cit. n. 3.* pro se præter SS. DD. Angelicum in *4. dist. 28. q. unic. art. 4.* & Seraphicum *dist. cit. q. ult. n. 33.* multos alios & præcipui nominis I. T. & Canonistas allegantes. 49.

Illi moventur primò; quòd inter conditiones matrimonium de Jure irritantes hæ non recenseantur. Secundò, quòd jus & obligatio ad copulam non sit de substantia matrimonii; cùm hoc solô consensu contrahatur, *l. Nuptias 30. ff de R. J.* &, alterô in adulterium vel incestũ cum sui conjugis consanguineo lapsô, innocens illi debitum reddere non teneatur, *c. Significâsti 4. de Divort. c. 1. &* 50.

c. Transmissa 4. de Eo, qui cognovit &c. &, utróque Castitatem mutuô consensu vovente vel Religionem professô, ejus exigendi jus ac reddendi obligationem habeat neuter, *c. Dudum 20. de Convers. conjug.* Tertiò; quòd matrimonium validè ineant duo, quorum uterque adstrictus est votô Castitatis: licet debitum exigere neuter valeat. Cur non ipsi matrimonii contractui adjici valeat conditio de eo non reddendo vel exigendo? præsertim cúm, si hæc illi adjici non posset, verum matrimonium inter B. Virginem & S. Josephum non constitisset, contra Historiam Evangelicam Matth. *cap. 1. V. 18.* & Lucæ *cap. 1. V. 27.* & textum *can Conjux, 27. q. 2.*

51. Isti se fundant partim in decisione Gregoriana *c. fin. cit.* quâ matrimonium vitiari asseritur conditione contrariâ bono prolis, inter honestam ac turpem non distinguendô, & vim in sola contrarietate cum matrimonii substantia, non in sola conditionis turpitudine, ponendô; partim verò in ratione; quia ex una, licet ad matrimonii ejúsque contractûs substantiam copula & istius exigendæ vel reddendæ intentio non pertineat: de con-
52. tractûs tamen matrimonialis essentia est mutua traditio corporum, vi cujus ab utroque in corpus suum jus & potentia ad actus conjugales in alterum transferatur; ac proinde ad ejusmodi actus reddendos saltem implicitè uterque obligetur: ex altera verò parte, contrahentes sub conditione perpetuæ Castitatis servandæ aut vovendæ non tantùm copulam carnalem ejúsque expressam intentionem, sed etiam jus ac potentiam ad eam, vi ejusmodi conditionis excludunt; cùm vi ejus, contractui matrimoniali adjectæ, ad copulam non exigendam & non reddendam obligentur.

Ex duabus his Opinionibus probabilem judico utramque, ita tamen; ut præferendam censeam posteriorem. Ad rationum, contra eam pro priori allegatarum, primam patet responsio ex dictis. Unde etiam

Secundæ solutio desumitur; quia 53.
consensus, quô matrimonium perficitur, essentialiter tendit in mutuam traditionem corporum, & juris ac potentiæ ad copulam in alterum translationem. Cui non obstat; quòd hoc jus & potentia, salvâ matrimonii substantiâ, valeat tolli; quia hæc semel ritè posita per pactum superveniens aut alium actum, licet contrarium, non vitiatur, *arg. l. Pretij 9. ff. de Rescind. vendit. & l. Empti 9. C. de Contrah. empt.* secundùm quas, licet sine pretiò non contrahatur emptio, venditio, nihilominus, si conventione de pretio ejúsque substantiâ positâ non solvatur pretium; quia vg. remissum vel pro eo res est præstita, contractus semel perfectus non perit, ut ad hanc Rubricam advertit Zœsius *n. 3. & 5.* & Wagnereck *in c. fin. cit.*

Neque majorem vim habet tertia; quia imprimis votô Continentiæ obstricti matrimonium validè contrahere ideo possunt; quòd per votum simplex corporis ad continentiam promissio, non etiam traditio, facta sit; quia res uni promissa alteri tradi validè potest; ut in hunc ejus dominium transferatur, *arg. l. Si à Titio 72. ff. & l. Quoties 15. C. de R. V.* ac proinde etiam in corpus, ex promissione Deo ad continentiam obligatum, jus ad actus conjugales per contractum matrimonialem in alterum transire. Deinde, 54
quia in contractu matrimoniali conditio ad continentiam obligans locum juxta dicta ideo non habet; quòd ejus adjectione mutui juris in corpora ad potentiam copulæ translatio, & consequenter ipse matrimonialis contractus impedia-

tur; si-

tur: sicut, si emptioni apponatur conditio, auferens necessitatem sive obligationem pretii vel rei tradendæ, impeditur ipsa emptio; ut nihil actum censeatur *arg. l. In vendentis 13. C. de Contrah. empt.* Et demum; quia Beata Virgo Virginum, sicut sine consensu in copulam, sic etiam contraxit sine ejusmodi conditione: & tamẽ jus ac potestatẽ in corpus suum in S. Josephum verè transtulit, & transferre licitè potuit; quòd de conjugali debito ex Divina dispositione nunquam exigendo divinâ revelatione fuerit certa, ex doctrina S. Augustini *can. Beata, 27. q. 2.* relati & *cit.* D. Angelici *dist. 30. q. 2. art. 1. quæstiunc. 2.*

55. Septimò demum matrimonio adjectus Modus, sive possibilis sive impossibilis sit, id non vitiat aut annullat: sed, si ipse possibilis & honestus est, adimpleri debet ab eo, ad quem obligandum est adjectus, Sylvester *V. Matrimonium 3. q. 12.* Si verò est impossibilis aut turpis, tam contrarius matrimonii substantiæ quàm huic non repugnans, eum pro non adiecto & non obligatorio habendum, cum Soto & Petro de Ledesma *citt.* veriùs existimant Palao *tract. 28. disp. 2. p. 11. n. 3.* Ratio est; quia consensus in matrimonium, cui adiectus est modus, non elicitur dependenter à modo; in hoc enim iste differt à Conditione; quod istius eventui, non etiam Modi existentiæ aut eius implendi obligationi matrimonium alligetur; ac proinde consensus etiam non eliciatur dependenter ab aliquo, quod est contra substantiam matrimonii; etiamsi huic contrarius modus contractui sit adiectus.

Neque obstat; quòd, huiusmodi modô adiectô, in matrimonium consentiens intendat alterum obligare ad aliquid, quod substantiæ matrimonii adversatur, & iste fortassis huiusmodi obligationem acceptet; quia huiusmodi obligationi, aut quem ista respicit, eventui consensus in matrimonium à neutro alligatur, sicut contrà alligatur eventui conditionis; modus enim ex eóque orta obligatio posterior est iam perfectô contractu matrimoniali, cui est adiectus, ut præter *citt.* DD. expendit Perez *disp. 17. s. 15. n. 14. & 15.*

TITVLVS VI.

Qui Clerici & Voventes Matrimonium contrahere possunt.

CONditionibus, Desponsationi quandoque solitis apponi, redimus ad eius impedimenta: quorum tria, Ordinem Sacrum & Professionem Religiosam, nuptiarum valori, & Votum simplex earum honestati duntaxat obstantia, præsens Rubrica eíque subiecti textus offerunt: quibus Disparitatem à Fide Christiana alieni Cultûs adiiciemus.

ARTICU-

ARTICULUS I.

De Ordine Sacro.

SUMMARIUM.

1. *Ordo iste dirimit matrimonium contrahendum:*
2. *Non etiam contractum, etiam Ratum.*
3. *Referuntur Ordines Sacri:*
4. *Quibus initiatus matrimonium illicitè init,*
5. *Et initô utendô bigamus fit.*
6. *Id contrahere etiam nequeunt Presbyteri Graci:*
7. *Licet ante Sacram Ordinationem contractô uti possint.*
8. *Infans Sacros Ordines validè suscipit;*
9. *A Conjugio tamen non removetur.*
10. *Iisdem validè initiantur pueri,*
11. *Et annexô votô adstringuntur:*
12. *Licet non teneantur professione Religionis.*
13. *A conjugiis etiam non removetur ordinatus vi.*
14. *Metu ordinato ea permittentium,*
15. *Et ab iis removentium verior Opinio.*
16. *Sacer Ordo matrimonium non dirimit Divinô:*
17. *Sed Ecclesiasticô,*
18. *Eóque antiquissimô Jure:*
19. *Quô à Nuptiis etiam arcetur illô initiati uxor,*
20. *Quæ in viri promotionem liberè consensit.*

1. SAcro Ordine matrimonium contrahendum dirimi *c. 1. V. Sed si, de Cleric. conjug. c. 1. c. Ex literarũ 2. hâc Rubr. & c. Unica, V. Præsentis, de Voto in 6.* à Bonifacio VIII. est decisum & novissimè à S. Synodo Tridentina *Sess. 24. can. 9. de Sacram. Matr.* definitũ. *Contrahendum*, inquam, non *Antè contractum*, etiam nondum consummatum; quia Sacri Ordinis susceptione matrimonium Ratum non dirimi, indubitatum est ex Constitutione Joannis XXII. *Extravag. Antiquæ, de Voto*, veteri, & inter sui temporis DD. adhuc agitatæ ea de re controversiæ Apostolicâ definitione finem imponentis. 2.

Neque obstat; quòd eius matrimonii vinculum dissolvatur professione Religiosa, *c. Verùm 2. c. Ex publico 7. & c. Ex parte 14. de Convers. Conjugat.* quia neque Jure Divino, neque sanctionibus Ecclesiasticis id dirimendi vis sacris Ordinibus concessa reperitur, ut *Extravag. cit.* Joannes Papa advertit. Neque eadem istorum ratio est, quæ Religionis; cùm istam solenniter professi huius sæculi bonis & propriæ voluntati renuntiandô, *c. Cùm ad monasterium 6. de Statu Monach. & c. Si Religiosus 27. de Elect. in 6.* se Divino obsequio totos, itáque mancipent; ut mundo mortui censeantur, *c. Placuit 8. V. Sedeat, 16. q. 1.* Non clerici, etiam in Sacris constituti; hi enim cùm propriæ voluntatis arbitrium & bonorum suorum dominium retineant, pro mundo mortuis non habentur, Vivianus *in Extravag. cit.* §. 2.

Dixi etiam, *Ordo Sacer:* quales in 3.
primitiva Ecclesia Diaconatum & Presbyteratum: hodie, & à Gregorii M. & Urbani I. potiùs II. temporibus etiam Subdiaconatum fuisse, ex *can. 1. dist. 30. can. fin. dist. 60. & c. A multis 9. de Ætate & qualit.* patet, & in hunc textũ eruditè ostendit Gonzalez *n. 2. & 8.* Quorum proinde Ordinum susceptioni annexum est votum Continentiæ solenne, matrimonio contrahendo ita obstans; ut hoc à clerico,

4. clerico, illorum aliquô initiato, validè iniri non possit, *c. Cùm olim 6. de Cleric. conjug. c. Unico & can. 9. citt.* Qui verò, insuper habitâ istâ Ecclesiæ Ordinatione, matrimonium de facto inire præsumit, in susceptis sacris Ordinibus ministrare & ad altiores ascendere prohibetur *c. 1. & c. Ex literarum cit.* &, si matrimonium consummet, contrahit irregularitatem Bigamiæ similitudinariæ,
5. per *can. Quotquot 24.* iunctô *can. Monachos, 27. q. 1.* textum, vel potiùs à DD. receptam istius interpretationem: imò excommunicationem maiorem, ipso Jure latam, etsi non reservatam, incurrit *Clem. Unica, de Consang. & affinit.*

6. Neque his obstat antiquissima & moderna etiam praxis Ecclesiæ Orientalis; quia etiam in ista ab iis, qui in Sacris constituti sunt, matrimonium validè contrahi non posse, argumentô ductô à contrario desumitur ex *c. Cùm olim cit.* Quamtumvis enim clerici minores id inire; eóque iam coniuncti ad sacros Ordines ascendere & coniugiô uti permittantur *can. Aliter 12. dist. 31. c. Cùm olim cit. & c. Quæsitum 7. de Pœnit. & remiss.* in sacro tamen Ordine iam constitutis coniugium inire non licet, per *can. 27. Apost. can. Nicena 12. dist. 31. can. Si quis eorum 7. dist. 32.* & initum irritum esse, ex eius Ecclesiæ usu & moribus comprobant Azor *p. 1. Instit. lib. 13. cap. 12. q. 5.* & Sanchez *Lib. 7. disp. 28. n. 3. can. Aliter cit.* Verba *Earum*, scilicet Orientalium Ecclesiarum, *Sacerdotes, Diaconi & Subdiaconi matrimonio copulantur*, de istius usu, non contractu exaudientes. Unde inter Orientales sive Græcos, & Occidentales sive Latinos clericos in Sacris constitutos hac in
7. re ea differentia est; quòd, licet coniugium licitè & validè inire, sicut hi, sic & illi nequeant: illi tamen eô, quod in minoribus constituti contraxerunt, ad maiores Ordines promoti uti possint, ut ex *can. Syracusana 13. §. Ecce, dist. 28. & c. Cùm olim cit.* colligunt *citt.* Azor *cap. 13. q. 1.* & Sanchez *n. 5.*

Quin etiam sacrum Ordinem, ut 8.
coniugium dirimat, liberè susceptum esse, est necesse; cùm istud validè contrahi valeat ab eo, cui unus vel plures sacri Ordines collati sunt ante usum rationis; etsi enim talis ordinatio de Jure subsistat, *c. Unico, de Clerico per Saltum promoto*, ad
9. matrimonium tamen validè contrahendũ habilis est ordinatus & ad servandã continentiam non obligatur: nisi usum rationis adeptus Ordinationem suam expresse, vel tacitè, actum aliquem, susceptо sacro Ordini proprium, liberè exercendô, ratificârit, ut in *c. cit.* notant Hostiensis *n. 2.* Panormit. *n. 3.* & Joan. Andr. *n. 5.* quos secuti sunt Sotus *in 4. dist. 25. q. 1. art. 2. concl. 3.* Sanchez *Lib. 7. disp. 30. n. 5.* Pontius *Lib. 7. cap. 29. n. 15.* & Barbosa *in c. Unic. cit. n. 7.* quòd non appareat, unde initi ab eo conjugii nullitas, & ad continentiam obligatio oriatur; cùm non oriatur ex natura ipsius Ordinis sacri, ut paulò post statuemus: neque etiam ex voto; quia hoc exigit voluntarium & liberum consensum, cujus infans non est capax: neque demum ex lege Ecclesiastica; quia de hac lata non constat: eámque aliquando latam, credibile non est.

Idem de impuberibus sacro Ordine i- 10.
nitiatis cum Panormit. Joan. Andr. *l citt.* & Gaëta *in can. Ad limina 30. q. 1. §. 3. n. 55.* docet *cit.* Sanchez *n. 8.* quòd irritum sit votum Religionis solenne ab iis editum, antiquô ante decimum quartum *c. Ad nostram 8. de Regular.* novissimô autem Jure Tridentini ante decimum sextum ætatis annum expletum, *Sess. 25. cap. 15. de Regular.* Unde idem statuendum existimat de solenni voto annexo Ordini sacro, conjugium dirimente & ad conti-

nentiam obligante, præsertim cùm pueros ad sacros Ordines admitti, ac proinde solenne votum continentiæ ab iis edi, vetitum sit, *can. Pueri* 121. *pr.* 1. *q.* 1. Sed
11. verius est contrarium: quod cum Glossa in *can. cit. V. Ad sacros*, Ant. de Butrio in *c. Unic. cit. n.* 4. Alexandro Carerio *Lib. 3. de Sponsal. cap. 3.* Soto *lib.* 7. *de Just. q.* 2. *art.* 5. & Suarez *Tom.* 3. *de Relig. lib.* 9. *cap.* 17. *dub.* 3. *n.* 22. defendunt Bonacina *de Matrim. q.* 3. *p.* 9. *n.* 16. & Palao *Tract.* 27. *disp. unic. p.* 17. *n.* 10. quia hôc ipsô; quòd doli verè capaces sint, & quem suscipiant statum, intelligant, Ordini sacro annexas obligationes suscipere possunt de Jure Naturali; cùm, hôc præcisè spectatô, Deo aliquid promittere, & ad quem volunt statum se obligare valeant. Jure autem Positivo, neque sacrorum Ordinum susceptio, neque his annexum continentiæ votum uspiam irritatur.

12. Neque aliud evincit argumentum desumptum à paritate cum professione Religiosa, cùm; quia in particularibus dispositionibus Juris Positivi argumentum à pari aut simili non magnam vim habet; aliàs enim, sicut pridie Nativitatis S. Joannis Baptistæ, sic etiam pridie Nativitatis B. Mariæ Virginis esset jejunandum; cùm hæc illo sanctior & venerabilior sit: & post decimum quartum sed ante decimum sextum ætatis annum impletum, sicut Religionem professus, sic etiam sacrum Ordinem suscipiens non teneretur continentiæ votô, & matrimonium inire validè posset, *arg. cap.* 15. *cit.* tum verò; quia Religionem professi multò major obligatio & status difficilior est, quàm constituti in Ordinibus sacris: & hi suscipi vix unquam, professio autem non infrequenter ætate non satis maturâ emitti consuevit; ut adeò legibus, ea quæ frequenter, non quæ rarissimè accidunt, spectantibus, *l. Nam ad ea* 5. *ff. de LL.* impuberem sacris Ordinibus initiatum continentiæ votô adstringi, inconveniens non fuerit, licet is professione Religiosa non teneatur.

Majus dubium est de eo, qui ad sa- 13
crorum Ordinum susceptionem inductus est vi: non quidem vi præcisâ seu absolutâ; ab eo enim, qui ita ordinatus est, matrimonium validè contrahi, satis convenit inter DD. cùm enim talis Ordinatio sit invalida, & characterem, instar Baptismi tali vi collati, non imprimat, *c. Majores* 3. §. *Item quaritur de Baptismo*, neque præceptô Ecclesiæ, sacris initiatos obligantis ad continentiam, neque istius votô adstringetur; quia votum hoc annexum est soli ordinationi validæ: quâ etiam solâ initiati præceptô illô adstringuntur, ut *arg. Reg. Accessorium* 42. *in* 6. *in c. Unic. cit.* cum Glossa *V. Approbatis*, Archidiac. *in c. cit. n.* 3. & aliis Interpp. tradunt Gutierez *de Matr. cap.* 94. *n.* 13. *citt.* Sanchez *disp.* 27. *n.* 14. & Palao *p.* 17. *n.* 7.

An etiam is, qui ad sacram Ordina- 14
tionem inductus est vi solùm conditionali, sive gravi metu injustè incusso, conjugium inire validè queat, inter DD. magnô numerô in utramque partem euntes, controversia ingens est; talem enim etiam ad matrimonium validè contrahendum Jure habilem esse, in *c. Majores* 3. §. *fin. de Baptismo* Glossa *V. Conditionaliter*, Hostiens. *n.* 38. *V. eôdem* Henric. de Boich. *n.* 7. Barbosa *n.* 10. & ex aliis DD. *citt.* Guttierez *n.* 14. Sanchez *disp.* 29. *n.* 5. Azor *cit. Lib.* 13. *cap.* 14. *q.* 8. Henriquez *Lib.* 10. *cap.* 14. *n.* 3. & Barbosa *de Offic. Episc. alleg.* 15. *n.* 5. *& Voto Decis.* 77. *à n.* 11. affirmant, & contrà negant Panormit. *in* §. *fin. cit. n.* 7. Joan. Andr. *ibidem in fine*, Zabarella *in Clement. fin. de Æt. & qualit. in fine*, Gaeta *in can. Ad limina cit.* §. 3. *n.* 98. Sylvester *V. Ordo* 4. *q.* 1. *d.* 2. Sotus *Lib.* 7. *de Justit. q.* 2. *art.* 5. & alii, quos sequuntur Vasquez 3. *p. disp.* 236. *cap.* 3. & Palao

& Palao *cit. p. 17. n. 3.* Moventur utrique non contemnenda ratione.

Illi; quòd Continentia non debeatur, nisi voluntariè assumpta, *can. Ante triennium l. dist. 31. & can. Præsens 20. q. 3.* cùm non præcepti, sed voti tantùm sit, *can. Integritas 31. q. 1.* juxta illud Apostoli, *De virginibus præceptum Domini non habeo: consilium autem do, 1.* Corinth. *cap. 7. v. 25. & V. 40.* ubi de Vidua, *Beatior*, inquit, *est, si sic permanserit secundùm consilium meum.* Votum autem solenne, in quo clericorum sacris initiatorum ad Castitatem servandam obligatio & inhabilitas ad matrimonium fundatur, gravi & injusto metu editum sit irritatũ, *c. 1. & c. Cùm dilectus 6. de his, quæ vi metúsve causâ.* Cui rationi non parùm roboris inde accedit; quòd Ecclesia metu injusto extortis, licet non omnibus, iis tamen actibus vim ademerit, ex quibus validè gestis orta obligatio per judicis sententiam facilè nequit rescindi: & hanc solùm ob causam conjugium carnale & spirituale per professionem metu extortam initum annullârit, *cc. citt. c. Cùm locum 14. c. Veniens 15. &c. de Sponsal. & matrim.* Cùm ergo Ordinis sacri susceptioni annexum votum, si validum sit, Ordinarii judicis sententiâ facilè rescindi nequeat, æquum fuit; ut, sicut conjugia illa, sic & votum istud metu extortum irritaret.

25. Isti; quòd, sicut actus cæteri, sic & vota metu edita, licet non spontanea sed coacta, voluntaria tamen & libera, *can. Meritò 15. q. 1.* atque idcirco valida sint spectatô Jure Naturali, ut ex ipsis adversariis plerique agnoscunt. Positivô autem invalida ea tantùm habeantur, quæ constituunt statum Religiosum, *c. 1. cit.* Imò à Concilio Toletano VIII. ita ordinati à conjugiis arceantur, nisi sacro Ordini annexi voti impetrent remissionem; quàm, probatâ coactione, haud gravatè concedendam, existimat Palao *l. cit.* Confirmatur; quia cùm oppositæ sententiæ assertorum ferè omnium judiciô valida sit gravi & injusto metu extorta sacra Ordinatio, eáque ordinati animæ indelebilis character imprimatur, Jure etiam subsistet ei annexum & accessorium votum & obligatio ad Continentiam, *arg. c. Translato 3. de Constit. & Reg. Accessorium 42. in 6.* idque votũ, cùm solenne sit, nuptiarum ab ordinato celebrandarum valori obstabit, *c. Unico* §. *Nos attendentes, de Voto in 6.* & Trident. *Sess. 24. can. 9. de Sacram. matrim.*

Ex duabus his Opinionibus, sicut probabilis utraque, & in praxi tuta etiam prior, sic posterior ratione potior & gravi metu Ordinatus, si Continentiæ votum & obligationem intentione sua non excluserit, ad conjugium validè ineundum, seclusâ dispensatione (si sacri Ordinis actum spontè non exercuit, facilè obtinendâ) inhabilis videtur.

Neque, id Jure subsistere, evincit pro valore deducta ratio, cùm; quia metus, sicut Ordinationem, sic & annexum votum, quò minùs validum sit, non impedit; cùm coacta voluntas revera sit voluntas, *can. Mulier cit. & l. Si mulier 21.* §. *4. ff. Quod met. causâ gest.* tum verò; quia pro nuptiarum valore votíque metu editi nullitate adductis textibus sermonem de professione Religiosa esse, *Lib. 1. Tit. 40. n. 44.* est ostensum. A professione autem ista ad Ordinationem sacram argumentum non rectè duci, ex *Extravag. Unic. Joan. XXII. de Voto*, & ex eô etiam liquet; quòd non eadem utriusque sit ratio; cùm professio perpetua rerum omnium & ipsius propriæ voluntatis abdicatio sit, multóque difficiliorem constituat statum, quàm Ordinatio sacra, *c. Cùm ad monasterium & c. Si Religiosus citt.*

gioſus citt. atque idcirco, licet actus quicunque, judicis ſententiâ non facilè reſcindibiles, ob metum irritari potuiſſent, ex ejusmodi tamen actibus, in certo ſtatu hominem conſtituentibus (ſacrâ Ordinatione eíque annexo voto & obligatione ad Continentiam intactis & relictis Naturali) ſola conjugiorum, carnalis & ſpiritualis profeſſione inducti, metu extortorum nullitas conſtituta reperiatur.

16. Porro conjugii dirimendi vis, quam Ordo ſacer liberè ſuſceptus habet, unde originem ducat, dubium & inter DD. celeberrima controverſia quondam fuit. Non defuêre enim, qui cum Majore *in 4. diſt. 24. q. 2.* & Petro Barboſa *in Rubric. ff. Soluto matr. p. 2. n. 98.* vim illam & obligationem ad continentiam refunderent in Jus Divinum; quòd à tempore Apoſtolorum continentiæ lex in Divinorum miniſtris, præſertim Sacerdotibus, in Eccleſia fuerit obſervata, non obſcurô indiciô, eam præceptam à Deo, per S. Gentium Doctorem monente, *Ne militans Deo ſecularibus negotiis implicetur*, 2. Timoth. *cap. 2. v. 4.*

17. Sed verius eſt contrarium, partim; quia, quæ ſacris initiatos à conjugiis omnino removeat, nulla prohibitio in SS. Literis: neque ejus à Chriſto factæ Apoſtolicum aut Eccleſiæ teſtimonium extat: partim verò; quia per ſacram Ordinationem homo ſolummodo deputatur & obligatur ad miniſterium cultúmque Divinum: ad quam obligationem ritè & ſanctè implendam, licet omnimoda puritas & perfecta continentia plurimùm conferat, ei tamen vinculum conjugale & conjugii honeſtus uſus non repugnat: &, ſi repugnaret, olim in Occidentali Subdiaconis: & Diaconis atque etiam Presbyteris, ante ſacram Ordinationem conjugatis, in Orientali Eccleſia, concedi non potuiſſet. Demum etiam; quia *cit. Seſſ. can. 9.* dirimendi matrimonii vis, quam Ordo ſacer habet, refunditur in præceptum Eccleſiaſticum, *can. Ut lex 40. & c. 27. q. 1.* & in votum ſolenne Caſtitatis, ſacri Ordinis ſuſceptioni annexum: quod conjugii dirimendi vim non habet ex ſua natura; hâc enim ſolâ ſpectatâ votum ſo- 18.
lenne majorem vim non habet, quàm ſimplex; cùm ejus ſolennitas ex ſolius Eccleſiaſtici Juris diſpoſitione habeatur, pertextum *c. Unici cit.* & *Conſtitutionem* Gregorii XIII. quæ incipit *Aſcendente*, 8. Calend. Junii 1584. editam: ſimplici autem continentiæ votô matrimonium non dirimi, patet ex *c. Conſuluit 4. & c. Rurſus 6.* hâc Rubrica. Quod confirmatur; quia hodie in Eccleſia Orientali cum una eáque virgine conjugati ad ſacros Ordines admittuntur, *c. Cùm olim & c. Quæſitum citt.* & in Occidentali cum clericis in Sacris conſtitutis ad matrimonium contrahendum, cum Ramiro Arragonum Rege priùs Epiſcopo, Paludan. in *4. diſt. 38. q. & art. 4.* cum Nicolao Juſtiniano & Cardinalis Joyoſæ Galli fratre, Religioſis & Sacerdotibus: cum Cæſare Borgia Cardinali Diacono, & aliis diſpenſatum, teſtis eſt Bartholomæus à S. Fauſto *Theſaur. Relig. Lib. 3. q. 36. n. 5.* Unde matrimonii dirimendi vim, quam ſacer Ordo habet, à Jure Eccleſiaſtico immediatè profectam, cum S. Thoma 2. 2. *q. 88. art. 11.* Hoſtienſi *in c. Rurſus cit. n. 1.* Panormit. *ibid. n. 7.* Turrecremata *in can. Placuit 13 diſt. 32. art. 1. n. 5.* & aliis VV. meritò defendunt Covarruvias *de Sponſal. p. 2. cap. 6. §. 3. n. 2.* Bellarminus *Lib. 1. de Clericis, cap. 18.* Henriquez *Lib. 11. cap. 5. n. 9. cit.* Sanchez *diſp. 28. n. 1.* & hodie plerique TT. & Canoniſtæ.

Neque obſtat; quòd ab ipſis Apoſtolis ad noſtra tempora propagata in Sacerdotibus ſit obſervantia Cœlibatûs; quia

quia hanc non universalem semper fuisse, satis docet contraria observantia Ecclesiæ Orientalis. Neque etiam; quòd continentia res Consilii sit, non Præcepti, 1. Corinth. *cap. 7. v. 25.* imò tanquam virtus difficillima lege Ecclesiastica præcipi non possit, *arg. can. Erit autem 2. dist. 4.* quia Ecclesia ejus obligationem nemini imponit absolutè, sed solummodo sub conditione, sive ex suppositione assumendi Ordinis sacri: quem, sicut invito nunquam, sic non nisi ad continentiam votô se adstringere volentibus concedit, Palao *cit. n. 3.*

19. Non Clerici duntaxat sacro aliquo Ordine initiati: sed ipsorum etiam uxores, quarum, in promotionem ipsorum consentientium & continentiam voventium, voluntate sunt ordinati, inhabiles sunt ad matrimonium, ipsis mortuis, validè contrahendum, per textus *can. Quia sunt* 10. *can. Si se* 11. *can. Si qua vidua* 12. *dist. 28. & can. Seriatim* 14. *dist.* 32. Quæ ad novas nuptias inhabilitas non provenit ex communicatione actionum inter virum & uxorem, quâ istius votum simplex solenne effici, cum Glosa *in can. Seriatim cit. V. Post mortem* & Archidiacono *in can. Quia sunt cit. n.* 3. nonnulli volunt; cùm non afficiat uxorem consentientem in viri professionem
20 & editô continentiæ votô in sæculo manentem; quia hanc ad matrimonium inhabilem non reddit ullus textus Juris: & contrà afficiat uxorẽ, in viri Ordinationẽ consentientem & votũ non emittentem, secundùm probabilẽ sententiã Glossæ *fin. in can. Quia sunt cit.* & Sanchez *Lib. 7. disp. 42. n. 6.* Sed ex constitutione Ecclesiæ, ob reverentiã sacri Ordinis uxorẽ, in istius assumptionem liberè consentientem, à matrimonio perpetuò removentis; ut hoc nec licitè, nec validè cum alio viro, post prioris ita ordinati obitum inire possit: quam rationem cum aliis quibusdam reddit *cit.* Sanchez *n. 3.* & approbat Barbosa *in can. Quia sunt cit. n. 1.*

ARTICULUS II.

De Professione Religiosa.

SUMMARIUM.

21. *Matrimonio contrahendo obstat Professio,*
22. *Et Vota Religiosa, edita in Soc. JESU.*
23. *Hæc Jure Ecclesiastico:*
24. *Et Probabiliùs etiam illa.*
25. *Professio solvit matrimonium Ratum.*
26. *De dictis votis idem asserentium Opinio refertur,*
27. *Et confutatur.*
28. *Post mariti professi obitum uxori nuptiæ sunt permissæ.*
29. *Sponsalia solvuntur votis Religiosis,*
30. *Et ipso ingressu in Novitiatum:*
31. *Non tamen ex parte Novitii,*
32. *Sed solius sponsi in sæculo manentis.*
33. *Sponsalia obligant ad nuptias:*
34. *Non etiam ad professionem Novitiatus.*
35. *Sponsalia jurata Religionis ingressui obstare, asserentium,*
36. *Et id negantium, verior Opinio,*
37. *Extra casum specialem,*
38. *Quô illi aliquando sponsalia non jurata obstant.*

SAcræ Ordinationi affine nuptiarum impedimentum est Professio Religionis: quâ matrimonium contrahendum dirimi, *can. Proclivis*, 20. 21.

q. 3. can. Impudicas 11. can. Virginē 27. q. 1. c. Meminimus 3. c. fin. hîc & c. Unico V. Præsentis de Voto in 6. decisum, & postea definitum est à S. Synodo Trident. *Sess. 24. can. 9. de Sacram. Matrim.*

22. Eandem conjugium posteà contrahendum dirimendi vim, quamdiu non dissolvuntur, obtinent vota Religionis Simplicia, edita in Societate JESU, ex *Constitutione* Gregorii XIII. quæ incipit *Ascendente*, 8. Calend. Junii 1584. edita: quâ summus hic Ecclesiæ Antistes, ut Religioni, plurimis favoribus à se exornatæ, adversus sacrilegam desertorum temeritatem, injurias & impostoras consuleret, usus est potestate constituendi impedimenta conjugium dirimentia: quam varii ejus Prædecessores, & laudata S. Synodus ipsamet *Sess. cit. cap. 1. de Reform. Matrim.* exercuit, & Ecclesiæ competere, *ibidem can. 3. de Sacram. matrim.* definivit.

23. An autem hæc matrimonii dirimendi vis à Naturali, Divino vel Ecclesiastico Jure immediatè descendat, dubium & celebris controversia est inter DD. Non quidem de dictis votis simplicibus; quia ista perinde fere, ut cætera ejusmodi vota extra Religionem ab Ecclesia approbatam edita, antè matrimonium contrahendum solummodo impediviſse, non irritâsse, idem Gregorius minimè obscurè docuit, id de istis statuendô tanquam Jus novum: cujus propterea in *Constitutione*, quæ incipit *Quantò fructuosius 2.* Calend. Febr. 1582. editâ: quâ ejusdem Societatis Institutum confirmavit, nullam mentionem fecit, ut observat Perez *disp. 26. de Matrim. s. 8. n. 1.* & ante eum Suarez *Tom. 4. de Relig. Lib. 4. cap. 1. n. 3.*

24. Sed de solenni voto professionis Religiosæ: quod unde matrimonii dirimendi vim acceperit, non una est sententia DD. Mihi ponderatis rationibus, quæ ejus originē ancipitem reddunt, cum Panormit. *in c. Rursus 6. hâc Rubr. n. 6.* Alex. de Nevo *ibid. n. 10.* Joan. Andr. & Franco *in c. Unic. cit. n. 1.* Gaëta *in can. Ad limina 30. q. 1. art. 4. n. 464.* cum Sanchez *Lib. 7. disp. 26. n. 2.* Pontio *Lib. 7. cap. 22. n. 4.* Perez *disp. cit. s. 6. n. 2.* aliisque VV. & RR. TT. ac ICT.is ea à Jure Ecclesiastico profecta videtur; quia professio illa matrimonium contrahendum irritandi vim non habet præcisè; quòd sit votum, sive continentiæ promissio liberè facta Deo; aliàs enim ea vis etiam competeret continentiæ & Religionis votis simplicibus, contra *c. Rursus cit. c. Consuluit 4. hâc Rubric & c. Unicū cit.* ac proin eam tantùm habet, quatenus in ea inclusum continentiæ votum est Solenne, juxta *c. Unic. cit.* ibi, *Votum solenne & ad dirimendum matrimonium efficax.* Cùm ergo votorum Solennitas à Jure solùm Ecclesiastico habeatur, *c. Unic. cit.* ibi *Nos attendentes, quod voti solennitas ex sola Constitutione Ecclesiæ est inventa* (quæ verba allegatæ *Constitutioni* quæ incipit *Ascendente*, inserta reperiuntur) Jure solùm Ecclesiastico matrimonium contrahendum dirimet professio Religiosa.

Neque matrimonium tantùm con- 25.
trahendum, sed etiam antè contractum, si solummodo Ratum sit, dirimendi vim habet professio Religiosa, *c. Verum 2. & c. Ex parte 14. de Convers. Conjug.* eámque ob causam *c. Ex publico 7. eâdem Rubric.* sponso de præsenti ad deliberandum de ingressu conceditur bimestre, à die contracti matrimonii computandum, Perez *disp. 20. s. 5. n. 17.* intra quod, vel etiam longius aut brevius tempus, si cognitâ causâ extendendum aut restringendum videatur, ut idem notat *n. 6.* matrimonium consummare non tenetur.

Eô au-

Eô autem transactô, si ad Religionem nondum transiit, vel ad illud, conjugi exigenti debitum reddendô, consummandum, vel ad Religionis propositum exequendum per excommunicationem compelli potest, Glossa *in c. cit. V. Intra duorum*, ubi Ant. de Butrio *n. 13.* Sylvester *V. Votum 5. q. 3.* & Sanchez *Lib. 2. disp. 24. n. 23.* ut *Lib. 3. Tit. 32. à n. 2.* est explicatum.

26. Eandem, quam professio habet, matrimonium Ratum dirimendi vim tribus votis Religionis Simplicibus, in Societate JESU editis, DD. quidam adstruunt; quòd professio solennis eam vim & efficaciam habeat; quia constituit statum Religiosum: quem etiam constituunt tria vota Religionis substantialia, post Novitiatûs biennium emissa in Societate: quod *cit.* Suarez *Lib. 3. cap. 3. n. 2.* ita certum asserit; ut negari hodie sine temeritate & errore non possit, propter allegatas *Constitutiones Quantò & Ascendente*; his enim nunquam satis laudatus Papa Gregorius XIII. votorum illorum editione aliquem verè ac propriè Religiosum effici & semper effectum, non solùm declaravit: sed insuper id impugnare & contrarium asserere præsumentium temeritatem excommunicationis, ipsô factô incurrendæ & Sedis Apostolicæ absolutioni reservatæ, aliisque gravissimis pœnis subjecit. Unde hujusmodi simplicia, non minùs quàm solennia Religionis vota, sicut personam ad conjugium validè ineundum inhabilem reddendi, per *Constitut. citt.* sic etiam illius initi & solummodo Rati dissolvendi vim habebunt. Accedit; quòd Pius V. *Constitutione*, quæ incipit *Dum indefessæ*, 7. Julii 1571. editâ, omnibus ejusdem Societatis Religiosis specialiter cõcesserit; ut in eis locum habeant omnes dispositiones in favorem aliorũ Regularium Mendicantiũ factæ: cujusmodi dispositionũ, cùm maximè notabilis & Religioni favorabilis sit, matrimoniũ Ratũ dirimendi efficacia, hanc edita in illa vota, simplicia quidem, sed Religionis substantialia, habebunt non minùs, quàm in cæteris Mendicantium Ordinibus emissa Professio solennis: &, si non haberent, matrimonii Rati vinculum foret impedimentum essentiale Societatem ingrediendi conjuge invitâ: cujusmodi tamen impedimentis expresè non accensetur Constitut. Societatis *p. 1. cap. 3. n. 6.* imò, ibi nomine *Matrimonii* solum *Consummatum* venire, patet ex Exam. General. *cap. 2. n. 4.* dum Consummatum exprimit; id, quod solummodo Ratum est, non obscurè excludente, *arg. l. Si inter 5. ff. de Except. rei jud.* His tamen non obstantibus

Efficaciam illam votis simplicibus unanimi consensu, & meritò negant *cit.* Suarez *Lib. 4. cap. 2. n. 3.* Sanchez *Lib. 2. disp. 18. n. 6.* Vasquez *1. 2. disp. 165. cap. 10.* & cæteri memoratæ Societatis DD. moderni. Ratio, quâ nituntur, firma est; quòd eam vim Religiosus status non acceperit à Jure Naturali, aut Divino, ut paulò post ostendetur. Ecclesiastico autem *c. Verùm & c. Ex publico citt.* secundùm communem, *c. Ex parte cit.* textui & definitioni Concilii Tridentin *cit. can. 9.* conformem, feréque à DD. receptum intellectum, ea vis & efficacia solùm tribuatur Professioni: quæ per vota Religionis solennia, & ex parte tam acceptantis, quàm voventis perpetua, habetur. Quod validè confirmatur; quia tribus votis simplicibus in Societate editis matrimonium Ratum solutum non fuit, imò iis obstricti matrimonium validè contrahere potuerunt ante *Constitutionem* Gregorianam, quæ incipit *Ascendente:* istâ autem circa matrimo- 27.

trimonium antè contractum & Ratum nihil innovatur : sed ejusmodi votis solummodo indulta est vis dirimendi illud postea contrahendum.

Ex his planè corruit in contrarium allata ratio prima ; quia professio eam vim non habet præcisè ; quòd constituat statum Religiosum : sed quòd sit solennis. Neque legitimè infertur , matrimonium Ratum esse impedimentum essentiale ingressûs Societatis, conjuge invitâ ; quia eam ingressus conjux , illô ligatus , capax est professionis : cujus aliis Religiosis Familiis insueta dilatio , ne desertæ conjugi justò difficilior evadat, ejus consortem Religionem ingressum , unô probationis annô exactô , ad Professionem admittendum , censent *citt.* Suarez *n. 13.* & Perez *disp. 20. s. 4. n. 12.*

Non magis urget altera ; quia eâ *Constitutione* Pius V. non loquitur de conditionibus annexis ipsis votis : sed de privilegiis , favoribus & prærogativis concessis ipsis personis, & non repugnantibus speciali Instituto Societatis; in qua edita vota simplicia matrimonium contrahendum non irritârunt , antequam istud dirimendi vim acceperint *cit. Constitutione* Gregoriana , ut iidem Suarez *n. 14.* & Perez *n. 13.* adnotârunt.

28. Non professum duntaxat , sed ejus quoque in seculo relictum conjugem , ad matrimonium , etiam post obitum professi , validè contrahendum esse inhabilem , aliqui voluêre ; cùm propter paritatem cum mariti ad sacros Ordines promoti in seculo relicta uxore : à qua, maritô vitâ functô, initum conjugium irritum est , *can. Si se 11. &c. dist. 28. & can. Seriatim 14. dist. 32.* tum verò ; quia conjugum unô Religionem ingressô in seculo relictus , etiamsi de incontinentia suspectus non sit , emittere tamen debet votum continentiæ , *c. Cùm sis 4. c. Uxoratus 8. & c. Ad Apostolicum 13. de Convers. conjug.* quòd , vel ipsâ alterius professione & communicatione suarum actionum , vel Ecclesiæ statutô , in solenne transire , ajunt. Verùm ; quia neque de hujusmodi statutô , neque de illa actionum inter conjugem professum & eum , qui in seculo relictus est , communicatione , ex ullo Juris textu constat, ab eo , qui in seculo permansit , post conjugis Religionem professi obitum superstite , novum conjugium , licet quando continentiæ votô obstrictus est , peccaminosum sit , voto tamen illo non obstante , validè iniri , cum Glossa *in can. Seriatim cit. V. Post mortem*, Zabarella *in c. Cùm sis cit. in fine* & aliis veriùs docet *cit.* Sanchez *disp. 32. n. 8.*

Neque hac in re paritas est cum uxore viri promoti ad sacros Ordines; quia, istô etiam vitâ functo , illa ad novas nuptias validè celebrandas non tam ratione voti , quàm ob sacræ Ordinationis reverentiam, inhabilis reddita est *cann. citt.* à quibus , etiamsi eadem , quæ ejus Ordinationis, etiam Religiosæ professionis ratio foret , ad matrimonii , post Religiosi obitum , à conjuge in seculo relicto iniri nullitatem , tanquam odiosam, arguere non liceret , juxta *Reg. Odia 15. in 6.* & tradita *Lib. 1. Tit. 2. à n. 134.*

Multò magis, quàm matrimonium 29
Ratum, professione Religiosâ solvuntur sponsalia de futuro ; cùm istorum vinculum minùs forte sit , & ad contractum professione solubilem ordinetur ; ut à majori ad minus argumentum duci queat ex *c. Verùm c. Ex publico & c. Ex parte citt.* Sanchez *Lib. 1. disp. 42. n. 1.* & Pontius *Lib. 12. de Matrim. cap. 10. n. 1.*

Eandem sponsalia dirimendi vim etiam habent vota simplicia post Novitiatûs biennium edita in Societate JESU, etsi matrimonium Ratum non dissolvant, ut ex

ut ex communi omnium sensu docet Pellizarius *Manual. Regular. Tract. 3. cap. 4. n. 44.* quia per ea homo fit verus Religiosus & inhabilis ad matrimonium validè contrahendum, ut habetur *Constitutione Ascendente cit.* Unde

30. Dubium & practica frequentis usûs controversia oritur, an ejusmodi sponsalia dissolvantur ipso ingressu Novitiatûs: licet professio, aut vota Religiosa non sequantur. Et illo quidem sponsalia ex parte neutrius solvi, cum Turrecremata *in can. Ubi non est, 30. q. 2.* Brunello *de Sponsal. coneluf. 8. n. 1.* & Alexan. Carerio *Lib. 1. de Sponsal. cap. 15.* Covarruvias *de Sponsal. p. 1. cap. 5. n. 11.* ea contrà solvi ex parte utriusque, cum Joan. Andr. *in c. Veniens 5. hâc Rubric. n. 2.* Sylvestro *V. Sponsalia, q. 10. casu 2.* & Navarro *Manual. cap. 22. n. 26.* defendunt Guttierez *cap. 25. n. 2. V. Limitant,* & Sanchez *Lib. 1. disp. 42. n. 2.*

Rationem reddunt illi; quòd Novitiatui eam vim nuspiam tribuant Jura: &, sicut in sæculo manens, sic etiam Religionis novitius juri per sponsalia quæsito non renuntiet.

Isti verò partim; quòd, sicut se habet professio ad matrimonium Ratum, ita se habeat Novitiatus ad sponsalia; ac proinde, sicut professioni propter statûs assumpti perfectionem matrimoniû Ratum, ita Novitiatui propter ejus perfectionis participationem salsem sponsalia dissolvendi vis meritò adstruatur: partim verò; quòd sponsalibus insit tacita conditio, *Si non ingrediar Religionem, arg. c. Verùm &c. citt.* quæ conditio, cùm alterô Religionem ingressô deficiat, sponsalium obligatio erit resoluta, *arg. l. Necessario 8. pr. V. Quod si ff. de Periculo rei vend. & l. Pecuniam 36. ff. de Reb. credit.*

Mediam inter extremè oppositas & meliorem viam RR. plerique tenent, & cum Henriquez *Lib. 11. cap. 14. n. 3.* Pontio *Lib. 12. cap. 10. n. 4.* Laiman. *Tract. cit. p. 2. cap. 2. n. 3.* Perez *disp. 9. s. 3. n. 7. &* 8. & Palao *Tract. 28. disp. 1. p. 18. n. 3.* docent, sponsalia solvi ex parte manentis in seculo: non autem ex parte Novitii; ac proinde istum ad sæculum 31. reversum ad sponsalia per nuptialem contractum adimplenda alteri manere obligatum. Rationem, cur sponsalium obligatio non cesset ex parte novitii, reddunt; quòd istam tollendi vim Novitiatus non habeat ex dispositione Juris; cùm tale nuspiam extet: neque etiam ex sua natura; cùm non sit status incompossibilis cum illorum impletione, hôc ipsô; quòd ei licitus sit egressus: quô factô, sicut votorum & alias similes antè contractas, & durante Novitiatu suspensas, ex sententia *cit.* Suarez *Tom. 3. Lib. 5. cap. 11. n. 9.* sic & sponsalitiam obligationem tenebitur adimplere. Cur au- 32. tem ex parte manentis in sæculo solvantur, ratio est; quia Novitiatum ingressus ipsô factô sponsalibus renuntiare censetur, aut saltem ex parte ipsius intervenit notabilis mutatio, quæ conjugium difficilius reddit; ingressus enim & regressus affert notam & maculam levitatis, propter quam ad matrimonia aspirantes sæpe & non parùm abhorrere solent ab iis, qui Monachi fuerunt aut Moniales, ut non malè observant *citt.* Perez *disp. 9. s. 3. n. 7.* & Palao *cit. p. 18. n 3.* Ex his corruit ratio nobis contrariæ sententiæ prioris; quia sponsalibus ex dispositione Juris inest tacita conditio, *Nisi superveniat notabilis mutatio, arg. c. Quemadmodum 25. pr. de Jurejurando,* ut *ibi* notant Ant. de Butrio *n. 13.* Barbosa *n. 3.* & Gonzalez *n. 2. in fine.*

Neque aliud evincunt allatæ ratio- 33. nes pro posteriori. Prima; quia aliter

se professio ad matrimonium, quàm novitiatus ad sponsalia habet; professio enim ad illud Ratum se habet, tanquam vinculum obligatorium, fortius ad minùs forte: quô modô ad sponsalia se non habet Novitiatus; cùm iste nullum ad
34. emittendam professionem, *c. Statuimus 23. de Regular. & c. Non solum 2. ibid. in 6.* illa verò ad conjugium ineundum gravem obligationem inducant, *can. Desponsatas 27. q. 2. c. Præterea 2. c. Ex literis 10. c. Si inter 31. de Sponsal. & matrim. c. De illis 7. de Despons. impub. & c. 1. de Sponsa duor.* Altera; quia, licet sponsalibus insit conditio, *Nisi Religionem ingrediar per professionem, arg. c. Verùm 6. c. Ex publico & c. Ex parte citt.* ipsis tamen non inest conditio, *Nisi eam ingrediar per solum Novitiatum.*

Neque refert; quòd conditio novitiorum sit perfectior, quàm sponsorum; quia promissio centum aureorum facta pauperi aut alteri causæ piæ etiam perfectior est, quàm facta diviti aut alicui causæ profanæ: & tamen huic facta conditionem, *Nisi eos donem pauperi, aut impendam alteri causæ piæ*, ex natura sua vel Juris dispositione non includit, ut rectè notat *cit.* Perez *n.* 14. Unde

35. Aliud dubium oritur, an sponso, Religionem ingredi volenti, non obstet juramentum, firmandis sponsalibus adjectum. Cui occasionem præbet difficile non minùs quàm celebre Rescriptum Alexandri III. qui super ejusmodi sponsalibus hisque superveniente proposito Religionis Oxonienſi Angliæ Episcopo consulenti respondit, *Tutius esse ei, ut (juramenti religione servatâ) priùs matrimonium contrahat, & postea, si elegerit, ad Religionem transeat, c. Commissum 16. de Spons. & matrim.* Id ipsum suadet ratio; cùm enim juramentum sine peccato & tertii præjudicio valuerit observari: ejúsque observatione majus bonum non impediatur, hôc ipsô; quòd post matrimonium Ratum licitus sit ingressus Religionis, omnino observandum, *arg. c. Cùm contingat 28. de Jurejurando & c. Quamvis 2. de Pactis in 6.* videbatur Navarro *in can. Non dicatis 12. q. 1. n. 3.* Rebello *Lib. 4. de Oblig. Justit. q. 8. s. 6.* & aliis præsertim VV. relatis à Sanchez *Lib. 1. disp. 43. n. 2.*

Sed meliùs iste *n. 2.* hujusmodi spon- 36.
so Religionis ingressum, matrimoniô etiam non contractô, permissum, defendit cum Glossa *in c. cit. V. Tutius* & Hostiensi *V. Eôdem*, Panormit. *n. 4.* & Alexand. de Nevo *n. 9.* aliisque Interpp. ac DD. multis. Ratio perspicua est; quia Juramentum sequitur naturam & conditiones actûs, cui adiicitur, *c. Quemadmodum 25. pr. de Jurejurando & l. fin. C. de Non numerata pec.* eámque ob causam, sicut sponsalibus, sic etiam juramento ipsis firmandis adjecto inest conditio, *Nisi elegero Religionem*: & hujus ingressus, sicut illis, sic etiã accessorio juramento non obstante, sponso permissus est, *arg. Reg. Accessorium 42. in 6.* Unde corruit ratio allata in contrarium.

Neque adversatur *c. Commissum* 37.
cit. textus, ex cujus variis expositionibus præferenda est, quam cum Innocentio tradunt Canisius *n. 3.* Gonzalez *n. 2. in fine*, Wagnereck *not. 2.* Suarez *Lib. 2. de Jurament. cap. 13. n. 5.* asserentes, eô sponsum nondum plenè ac firmiter statuisse ingredi Religionem, ut verbis *Si postea elegerit*, non obscurè insinuatur: atque insuper periculum fuisse; ne ad finem jam vergens biennium, intra quod nuptiæ vi sponsalitiæ conventionis & juramenti celebrandæ erant, labatur, eóque lapsô sponsus fieret perjurus; atque idcirco Papam meritò rescripsisse, *Tutum* (ita enim vox *Tutius*, Positivô intellectô sub

âtô sub Comparativo communiter accipitur) imò etiam absolutè tutius esse, ante lapsum biennii contrahere matrimonium & postea, si Religionem firmiter elegerit, eam ingredi.

38. Eôdem modô, qui post sponsalia sponsam defloràsset, ad hanc gravi infamiâ liberandam & legitimandam prolem matrimonium priùs contrahere teneri: & postea primùm propositum Religionis exequi posse, cum *cit.* Sanchez *disp. 45. n. 3.* docent Palao *Tract. 28. disp. 1. p. 18. n. 9.* & *cit.* Perez *s. 4. n. 5.* licet enim Religionem ingredi volenti non obstent sponsalia etiam jurata, ei tamen obstant gravis injuria & damnum proximi, quod ex æquitate naturali priùs resarciendum est, quàm Deo facta promissio, eique se consecrandi propositum sui traditione adimpleatur.

ARTICULUS III.

De Disparitate Cultûs.

SUMMARIUM.

39. *Fideli Conjugium cum Infideli illicitum:*
40. *Imò irritum est:*
41. *Non quidem Naturali aut Divino,*
42. *Sed Ecclesiastico Jure,*
43. *Antiqua Consuetudine firmatô:*
44. *SS. Monica & Clotildis conjugiis non obstantibus.*
45. *A Catholico cum Hæretico initum hodie valet.*
46. *Olim probabiliter nullum,*
47. *Et ferè semper illicitum fuit;*
48. *Propter varia incommoda,*
49. *Ex eo plerumque timenda.*

SIcut professionis Religiosæ & sacræ Ordinationis reverentiâ, hâc aut illâ cultui ac servitio Divino perpetuò mancipati cum quibuscúnque, sic favore Religionis ac Fidei Christianæ cum iis, qui foris & disparis Cultûs sunt, cum Paganis scilicet, Judæis ac Saracenis nuptiale fœdus & individuam vitæ societatem contrahere prohibentur Fideles, qui Ecclesiam per Baptismi januam aliquando sunt ingressi, *can. Cave 15.* junctâ Glossâ *V. Si Christiana & can. Non oportet, 28. q. 1.* Idque jam ab Apostolo 2. Corinth. *cap. 6. v. 14.* quô locô *Nolite*, inquit, *jugum ducere*, hoc est, Conjugium inire, *cum infidelibus*, ut textum istum explicat S. Hieronymus *Lib. 1. Adversus Jovianum:* & 1. Corinth. *cap. 7. v. 29. Mulier*, inquiens, *si dormierit vir ejus, cui vult nubat, tantùm in Domino:* quæ postrema verba, de matrimonio cum fideli ineundo, cum S. Hieronymo *ibid.* & Tertulliano *Lib. 2. ad Uxorem*, intelligit Cajetanus in *cit. cap. 7.* Ratio prohibitionis est; quia matrimoniô cum infideli initô, imprimis conjux fidelis, non solùm à Christianæ pietatis officiis abstrahitur: sed insuper exponitur periculo perversionis & lapsûs in Infidelitatem, *§. Verùm hoc* post *can. Judæi. q. 1. cit.* cum Salomone, Regũ sapientissimo simulReligiosissimóq; Mulierum alienigenarum amoribus & illecebris adeò dementato; ut vera & avitâ Religione desertâ ad Idolorum cultum pertraheretur, 3. Regum *cap. 11. v. 4.* Deinde ipsa etiam proles adducitur in pravæ educationis & perversionis discrimen manifestum. 39.

Neque prohibitum duntaxat, sed irritum etiam est conjugium, quod fidelis contrahit cum infideli, hoc est, Judæo aut Pagano, sive quâcunque personâ non baptizatâ, ex mente omnium 40.

41. utriusque sacræ Scientiæ DD. Non quidem Jure Naturali; quia aliàs à Patriarchis Jacob cum Lia & Rachele, filiabus Laban, Genes. *cap. 29. v. 24. & 28.* à Joseph cum Ægyptia Putipharis filia, Genes. *cap. 41. v. 45.* à Moyse cum Sephora filia sacerdotis Madian, Exodi *cap. 2. v. 22.* ab Esthere cum Assuero, Esther *cap. 2. v. 17.* à Salomone cum filia Pharaonis 3. Reg. *cap. 3. v. 1.* &c. inita conjugia irrita fuissent. Neque etiam Divinô novæ Legis Christianos obligantis, *arg. c. Translato 3. de Constitut.* quia à Christo Domino matrimonii antè validi contractus non irritatus aut immutatus, sed ad dignitatem tantùm Sacramenti e-
42. levatus est. Sed solùm Ecclesiasticô Concilii Niceni *can. 67. & can. 69.* Christianum nubentem infideli, perinde ut eum, qui duas uxores accepit, punientis, neque admittentis ad pœnitentiam, nisi reliquerit infidelem: sicut, qui duas uxores accepit, ad eam tum demum admittitur, cùm dimiserit secundam; juxta Responsum Nicolai I. *ad Consulta Bulgar. cap. 5.* Pontius *Lib. 7. de Matrim. cap. 47. n. 5.*

43. Idem, cessante etiam Jure scripto, satis constaret ex continuo & antiquissimo usu, seu praxi Ecclesiæ, Cultûs seu Religionis disparitatẽ impedimentis matrimonium dirimentibus accensente, Guttierez *de Matrim. cap. 104. n. 1.* & Sanchez *Lib. 7. de Matrim. disp. 11. n. 8.*

44. Neque obstat, quòd SS. Monica & Clotildis fœminæ Christianæ, conjugia inierint cum Paganis: illa quidem cum Patritio: ista verò cum Clodovæo Rege Francorum, testibus S. Augustino *Confess. Lib. & cap. 9.* & Gregorio Turonensi *Lib. 2. cap. 28.* Non, inquam; hæc exempla obstant; quia imprimis à S. Monica & cæteris Africanis legem Ecclesiasticam ejusmodi conjugia irritantem, eò tempore satis probabiliter ignoratam, colligitur ex postulato PP. Concilii Carhaginensis, cui S. Augustinus, ejus sanctæ & Patritii filius jam Episcopus interfuit, à Cœlestino Papa petentium, sibi communicari veros Canones Concilii Niceni: quorum nonnisi viginti & unus ipsis noti erant, ut eruditè ostendit *cit.* Pontius *n. 7.* Deinde quia; ut idem notat, credibile est, à Religiosissimis illis fœminis id factum ex speciali revelatione Divina, aut dispensatione Episcoporum permittentium, aut tolerantium ejusmodi conjugia: quæ suo tempore admodum frequentia fuisse, testes omni exceptione majores ex SS. PP. sunt Hieronymus *Lib. 1. Contra Jovianum* & S. Augustinus *Lib. de Fide & Operibus cap. 9.*

Dubium est de conjugio Fidelis cum 45
Hæretico vel Apostata: quod pro irrito habent Glossa *in c. fin. V. Contra substantiam, de Condit. appos.* Hostiens. & Anchoranus *in c. Proposuit 2. de Conjug. servor. n. 1.* & Lud. Carerius *de Hæreticis n. 157.* cum propter *can. 72.* Synodi generalis in Trullo, ejusmodi conjugium disertè habentis pro nullo, & tanquam nefarium dissolvi jubentis: tum verò; quòd sit contra interdictum & ordinationem Concilii Agathensis, relati *can. Non oportet 17.* atque etiam *can. Cave 28. q. 1.* conjugia autem, & universim omnia, quæ contra Ecclesiæ interdictum & ordinationem fiunt, rata non sint habenda, per textus §. *Videtur,* post *can. 1. causa 35. q. 6. & Reg. Quæ contra jus 64. in 6.* & *arg. l. Non dubium 5. C. de LL.*

Nihilominus ejusmodi conjugium hodie saltem subsistere, cum SS. DD. Angelico & Seraphico *in 4. dist. 39. q. 3. art. 1.* cæteri TT. & cum Panormit. *in c. fin.*

c. fin. cit. n. 5. Franco *in c. Decrevit 14. de Hæreticis in 6.* Navarro *Manual. cap. 22. n. 49.* & Covarruvia *de Sponsal. p. 2. cap. 6. §. 11. n. 4.* cæteri sacrorum Canonum Interpp. & DD. magno consensu defendunt & desumunt ex *c. Decrevit cit.* ubi Hæretico scienter nubens solummodo dote privatur: & ex praxi Ecclesiæ Catholicæ, ejusmodi matrimonia contrahi quidem prohibentis, sed contracta sustinentis.

In contrarium allata facilè diluuntur; quia imprimis, *can. 72. cit.* & alios in Trullo editos Canones, non Authenticos: imò non à memorata Synodo, sed, istâ jam dissolutâ, à quibusdam Episcopis editos, & à Sergio ejus temporis summo Pontifice apertè reprobatos, perhibent Beda *Lib. de 6. Ætat. in Justiniano*, Paulus Diaconus *Lib. 8. de Reb. Roman. cap. 9.* & latè ostendit Bellarminus *Lib. 1. de Concil. cap. 7.* & alii apud Barbosam *in can. Sextam 5. dist. 16. n. 3. & 4.* 46. Deinde; quia licet, ut non minùs probabiliter aliqui cum Gratiano *can. cit. & can. Habeo 6. dist. cit.* volunt, non supposititius, sed authenticus sit; ac proinde conjugium à fideli cum Hæretico, sicut cum Pagano, initum irritum aliquando fuisset, ut *cap. cit. n. 11.* Pontius suspicatur: cum Hæretico tamen initi irritatio consuetudine sublata, & ejusmodi conjugium hodiè validum esset, permanente nullitate ejus, quod initur cum Pagano vel Judæo, ut idem docet *l. cit.* Et demum; quia juxta reliquos textus *citt.* ea, quæ contra Jus & Ecclesiæ ordinationem fiunt, pro irritis habenda solummodo sunt, quando Jus actui formam præscribit, aut actum eô prohibitum irritari ex ejus contextu, fine &c. constat: non ex eo solùm, quòd prohibeantur; aliàs enim nulli actus Jure prohibiti validi forent, contra apertos textus *c. Ad Apostolicam 16.* ibi *Multa fieri prohibentur, quæ, si facta fuerint, roboris tenent firmitatem, de Regul. & c. Unic. de Voto in 6.* Palao *Tract. 3. disp. 2. p. 8. n. 2.*

Illicita autem fidelium cum Hæreticis conjugia esse, patet ex Concilio Illiberitano *can. 16.* Laodicensi sub Sylvestro *cap. 10. & 13.* Carthaginensi III. *cap. 12.* Chalcedonensi *art. 15. cap. 14. à cit.* Pontio *cap. 46. n. 7.* & Agathensi *can. Non oportet 28. q. 1.* relatis & *ex c. Decrevit cit.* cujus argumentô à contrario ductô ipsóque ejus textu insinuatô, mulierum Hæreticis scienter nuptarum dotes confiscantur, Barbosa *in c. cit. n. 8.* 47.

Quod licet omnino verum sit, quoties subest periculum perversionis Catholici, malæ educationis prolis, rixosæ cohabitationis, aut repudii ab hæretico faciendi, vel scandali fidelium; quia hujusmodi periculum vitandum dictat lex Naturalis: casu tamen, quô ejusmodi damnorum incommodorúmque, & præsertim spiritualis ruinæ tam conjugis Catholici, quàm prolium ex matrimonio suscipiendarum, periculum non est: ut in Germania nostra, aliísque Septentrionalibus provinciis, in quibus Hæretici tolerantur & Catholicis permixti degunt, aliquando contingit, his conjugia cum illis aliquando licita esse, existimant Guttierez *de Matrim. cap. 104. n. 7.* & Sanchez *Lib. 7. disp. 72. n. 5.* 48. Quorum doctrinam licèt Laiman *Lib. 5. Tract. 10. p. 4. cap. 14. n. 2.* & Pontius *in Appendice, de Matrimonio Catholici cum Hæretico cap. 2. n. 11.* non rejiciant, salubriter tamen uterque monet, prædicta pericula & Catholicorum scandalum rarò cessare; & propterea in praxi Catholicos ab eiusmodi coniugiis abstinendos: nisi ex iis procreatæ proles omnes Catholicè educentur, atque insuper Hæretici coniugis convertendi, vel alterius fructûs certa aut magna spes foret. 49.

ARTICULUS IV.

De Continentiæ, Religionis &c. Votis.

SUMMARIUM.

50. *Conjugium dirimit Continentiæ Votum solenne.*
51. *Cum simplici illicitè,*
52. *Sed validè contrahitur:*
53. *Præterquam à Religiosis Soc. JESU.*
54. *Idem impediunt Continentiæ & non-nubendi,*
55. *Religionis & sacri Ordinis assumendi vota.*
56. *Conjugi debitum exigenti obstat Continentiæ:*
57. *Non etiam vota non-nubendi & S. Ordinis suscipiendi.*
58. *Votô Religionis matrimonij consummatio:*
59. *Non etiam consummati usus impeditur.*
60. *Sponsalia solvuntur Religionis:*
61. *Secundùm aliquos DD. etiam, supervenientibus non-nubendi & Continentiæ votis.*
62. *Veriùs hæc sponsalia non dissolvunt,*
63. *Et in soliis voventis,*
64. *Non etiam sponsi præjudicium obligant.*
65. *Votum Ordinis sacri nec sponsalia,*
66. *Nec matrimonium dirimit.*
67. *Eique non inest conditio,* Nisi elegero statum perfectiorem.
68. *Voti Castitatis &c. executioni non obstat defloratio Virginis,*
69. *Consentientis & voti conscia:*
70. *Imo hujus ignara ac decepta:*
71. *Nisi ei aliter, quàm matrimoniô initô, satisfieri non possit.*
72. *Quô tamen casu voti relaxatio est petenda.*

SIcut Continentiæ votô, per susceptionẽ sacri Ordinis aut Religionis à sede Apostolica approbatæ professionẽ solennizatô, matrimoniũ contrahendum dirimi, *c. Unico de Voto in 6.* decisum, ita simplici illius Votô, saltem extra Religionem editô, hoc solummodo impediri, ex *cit. c. V. Reliqua, c. Consuluit* 4. *& c. Rursus 6. hâc Rubr.* omnino certum: & de ista, sive matrimonii impediendi vi ratio est; quia ex una, votum Continentiæ, cùm sit promissio de meliori bono, à Deo, ad cuius honorem & cultum editur, acceptatur: ex altera verò parte, promissio acceptata parit obligationem opere exequendi, quod est promissum; ac proinde eiusmodi votum in vovente obligationem corpus suum integrum ab omni actu venereo, etiam eô, qui seclusô votô licitus esset, inviolatum conservandi, *arg. c. Licet 6. pr. de Voto,* Sanchez *Lib. 7. de Matrim. disp. 11. n. 4.* & Perez *de Matr. disp. 23. s. 4. n. 2.* 50. 51.

Quod autem idem Continentiæ votum coniugium dirimendi vi careat, ratio est; quia hanc non habet ex natura sua, nisi ei accedat Ecclesiæ Constitutio, quæ voventem ad matrimonium ineundum inhabilem reddat, ex clara decisione *c. Unic. cit. V. Nos attendentes:* Constitutio autem Ecclesiæ, quâ votum Continentiæ simplex extra Religionem emittens inhabilis ad coniugium reddatur, nulla uspiam extat, Pontius *Lib. 6. de Matrim. cap. 12. n. 1.* & *cit.* Perez *n. 2.* 52.

Eadem ferè ratio est eiusmodi simplicis voti, editi in Religione: exceptô eô, quod post Novitiatûs biennium hodie editur in Societate JESU; etsi enim ante Gregorii XIII. tempora etiam istô matrimonium contrahendum solummodo impediretur: postea tamen *Constitutione,* quæ incipit *Ascendente,* à summo hoc Ecclesiæ Antistite 8. Calend. Junii 1584. pu- 53.

1584. publicatâ, coniugii dirimendi vim accepit; quod cum non minori deliberatione, quàm in cæteris Religiosis familiis professio, emittatur: idque emittens ex Seculari efficiatur verus Religiosus; & propterea in eum, à Societate temerè deficientem, tanquam verum Apostatam procedi possit, per *Constit. cit.* Sanchez *cit. disp.* 11. *n.* 5. & Perez *cit. s.* 4. *n.* 2.

54. Continentiæ voto, quoad matrimonii impediendi vim, æquiparantur votum non-nubendi, quô directè: & vota ingrediendi Religionem & suscipiendi Ordi-
55. nem sacrum, quibus saltem indirectè Deo fides datur de matrimonio non ineundo: cuius obligatio utique gravis, istiúsque violatio lethaliter est peccaminosa; cùm enim fides data homini in materia gravi graviter obliget; ut servetur: multò magis; ut servetur, in eiusmodi materia, ita obligabit fides data Deo, istiúsque violatio graviter erit peccaminosa, ex certa sententia omnium sanæ Fidei DD. in hanc rem allegantium illud Apostoli, *Habentes damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt* 1. Timoth. *cap.* 5. *v.* 12. cum ex rescripto Innocentii III. licet liberum arbitrium sit in vovendo, voti tamen seu promissionis Deo semel factæ observatio & impletio usque adeò necessaria sit; ut sine salutis æternæ dispendio alicui resilire, eíque contravenire non liceat, *c. Licet cit pr.*

56. Inter hæc tamen & Continentiæ, seu castitatis votum, ea & bene notanda differentia est; quòd post istius votum matrimonium contrahens non solùm graviter peccet, sed insuper à debiti coniugalis petitione debeat abstinere, ut cum SS. DD. Angelico *in* 4. *dist.* 38. *q.* 1. *art.* 3. *quæstiunc.* 2. Seraphico *ibid. art.* 2. *q.* 1. *in fine*, & plurimis præcipuique nominis TT. ac JCT. is docet Sanchez *Lib.* 9. *disp.* 33. *n.* 5. partim *arg. c. Quidam* 3. *de Converſ. conjug.* ex cuius decisione, invitâ uxore Religionem professus, licet professio invalida sit, exigere tamen nequit debitum coniugale; quòd professio illa saltem valeat in vim voti simplicis Continentiæ, Panormit. *in c. cit. n.* 3. & *ibi* Barbosa *n.* 3. partim verò; quia matrimonium postea contractum ab obligatione voti non liberat, nisi quatenus ei contravenire cogit ius alteri coniugi quæsitum per matrimonium postea contractum: huic autem quæsitum ius non ad debitum exigendum, sed solummodo ad hoc, cùm exigitur, reddendum cogit, ex sententia Apostoli 1. Corinth. *cap.* 7. *V.* ubi *Vir*, inquit, *non habet potestatem corporis sui, sed mulier.*

Contrà non-nubendi & sacri Ordi- 57.
nis suscipiendi votis adstrictus, licet matrimonium ineundô graviter etiam ipse peccet, istô tamen insuper habitâ voti Religione semel consummatô, & probabiliùs solùm contractô, coniugale debitum, sicut tenetur reddere, sic etiam exigere potest, ut cum Lud. Lopez *p.* 1. *Instruct. de Matrim. cap.* 50. *&* 83. §. *Inter peccata*, & aliis defendit laudatus Sanchez *cit. disp.* 33. *n.* 22. *& disp.* 34. *n.* 7. quia hujusmodi votorum objectum primarium est, non inire matrimonium vel suscipere Ornem sacrum, matrimonium excludentem: quô proinde impossibili redditô, etiam obligatio ad continentiam, ei secundariò & consequenter annexa, cessat, *arg. Reg. Accessorium* 42. *in* 6.

Is etiam, qui matrimonium init post 58.
votum Religionis, licet initum consummandô graviter peccet; quia votum, eô jam contractô, implere potest per ingressum Religionis, *c. Verùm* 2. *& c. Ex publico* 7. *de Converſ. conjug* ad quem voto est adstrictus, Navarrus *cap. cit. n.* 80. & Henriquez *Lib.* 12. *cap.* 2. *n.* 2. *&* 3. matrimoniô tamen semel consummatô 59.
conjuga-

conjugale debitum non solùm reddere, sed etiam exigere potest, ut cum *citt.* aliisque DD. tradit idem Sanchez *disp. 33. n. 15. arg. Regulæ cit.*

60. Dubium non leve est, an hujusmodi vota simplicia matrimonium etiam impediant, si edita sint post sponsalia jam contracta. Certum est, id impediendi vim habere votum Religionis; cùm enim sponsis de futuro hujusmodi ingressus jure permissus sit, argumentò à majori ad minus ductò ex *c. Verùm & c. Ex publico citt.* ubi illius ingressus ante matrimonii consummationem adstruitur desponsatis per verba de præsenti, votum Religionis post sponsalia de futuro editum, sicut de meliori bono, sic etiam obligatorium erit, impediétque matrimonium contrahendum, Pontius *cit. cap. 12. n. 2.*

61. De reliquis autem votis controversia inter DD. est. Et continentiæ quidem voto conjugium impediendi & sponsalia dissolvendi vim cum Ant. de Butrio *in c. Veniens 5. hâc Rubr.* Alex. Carerio *de Sponsal. Lib. 1. cap. 6.* & Soto *in 4. dist. 27. q. 1. art. 5.* tribuunt Suarez *Lib. 2. de Voto, cap. 4. n. 13.* & Henriquez *Lib. 11. cap. 14. n. 4.* quos *cap. cit. n. 4.* Pontius est secutus. Moventur primò *c. Veniens cit.* textu, quô votum Continentiæ sponsalibus superveniens pro valido habetur; cùm id emittenti fœminæ nubendi licentia concedatur dispensativè. Secundò; quòd vinculum voti fortius sit eô, quod oritur ex sponsalibus de futuro; quia homo per ista homini duntaxat: per illud autem Domino Deo obligatur. Tertiò; quòd sponsalibus insit tacita condito, *Nisi statum perfectiorem*, ac proinde Religionem, *elegero.* Unde de sponso, continentiam vovente, procedere volunt illud, *Propositum aut promissum non infringit, qui in melius illud commutat, c. Pervenit 3. de Jurejurando.*

Verùm esto, hujusmodi uti & non nubendi voto, sponsalibus superveniente, ab istis resiliendi justa causa præbeatur sponso alteri, matrimonium tamen contrahendum non impediri, illáque ex parte voventis non dissolvi, cum Glossa in *c. Veniens cit. V. Severitate*, Panormit. *ibi n. 5.* Alex de Nevo *ibid. n. 6.* Sylvestro *V. Matrimonium 7. q. 5. dicto 5.* aliisque Interpp. & DD. verisimiliùs defendunt Sanchez *Lib. 1. disp. 46. num. 9.* Coninck *disp. 23. dub. 3. n. 21. & 25.* & Laiman *Lib. 5. Tract. 10. p. 1. cap. 2. n. 6.* eâ permotiratione; quòd cùm per votum facta promissio rei vg. mille aureorum, ante promissorum & debitorum homini, in ejus præjudicium à Deo non acceptetur: ab eo etiam non acceptentur vota continentiæ & non-nubendi, quando per ea præjudicatur homini, cui jam facta est promissio tradendi jus in corpus suum ad actus conjugales. Confirmatur; quia conditio, *Nisi continentiam & cœlibem vitam elegero*, sponsalibus non inest ex natura rei; cùm aliàs in quavis promissione vg. mille aureorum homini factâ includeretur conditio, *Nisi eos Deo donare voluero:* quod nemo facilè asseret. Neque etiam ejusmodi conditio sponsalibus inest ex dispositione Juris Positivi; cùm tale nusquam extet: contrà verò conditionem, *Nisi Religionem ingrediar & profitear*, sponsalibus inesse, ex *c. Verum & c. Ex publico citt.* sit indubitatum. 62.

Neque sponsalia simplici Continentiæ votô, postea editô, dirimi evincunt allegati textus. Prior; quia *c. Veniens cit.* votum quidem validum fuit, sed in præjudicium solius voventis, eô editô obligati ad debitum non exigendum, & ad matrimonium cum alio non contrahendum: non etiam in præjudicium alterius sponsi, cui post matrimonium contractum exigenti debitum reddere tenetur: 63. 64.

sicut,

sicut, qui ad continentiam votô se obligavit post matrimonium contractum, *c. Placet* 12. *de Convers. conjug.* Imò *c. Veniens cit.* textu, sponsalia antè contracta non dissolvi, potiùs firmatur, quàm ex eo contrarium inferatur; quia eô fœminæ post sponsalia continentiam voventi, & postea ad aliud matrimonium aspiranti Papa pœnitentiam injungi præcepit pro violatione, non tantum voti, sed etiam fidei datæ viro, cui priùs erat desponsata, manifestô indiciô, per superveniens votum non dissolvi priùs contracta sponsalia aut matrimonium impediri. Posterior, sive *c. Pervenit cit.* quia eô agitur de voto seu jurata promissione facta Deo: quam in evidenter melius Deóque gratius opus commutare licet, *c. cit. c. Licet 18. §. Talis ergo, de Regular. c. Scripturæ 4. de Voto &c.* quia Deus, hôc ipsô, quòd opus melius præferat bono sibi promisso, pro & præ isto illud sibi promissum acceptare censetur. Non de re promissa homini, pro qua res alia, etiam per se melior & utilior, neque ipsi invito, *l. Mutuum* 2. §. 1. *ff. de Reb. credit.* neque etiam Deo, licet aliàs ad majorem istius honorem cederet, præstari potest; cùm ab isto in illius præjudicium non acceptetur, ut *in c. Pervenit cit.* notant Felinus, Panormit. & Barbosa omnes *n.* 2.

Non magis, quàm textus, urget ratio; quia vinculum fortius minùs forti solùm prævalet, quando utrumque validum est: votum autem Continentiæ, quatenus cedit in præjudicium sponsi, validum non est, *arg. c. Placet cit.* Sanchez *l. cit. n.* 11.

65. Votô etiam suscipiendi Ordinis sacri conjugium impediri, & priùs inita sponsalia dissolvi, existimant Henriquez *cap. cit. n.* 4. & Azor *p.* 1. *Instit. lib.* 11. *cap.* 21. *q.* 10. quorum Opinionem amplexus est *cit.* Pontius *cap.* 11. *n.* 3. eâ ductus ratione; quòd sponsalibus tacitè insit conditio, *Nisi perfectiorem statum elegero:* & propterea sponsalium vinculô adstricto, sicut ingressus Religionis, sic etiam licita sit susceptio Ordinis sacri, cui solenne votum continentiæ non minùs, quàm Religiosæ professioni, est annexum *c. Unic. cit.* Atque hanc rationem Pontius *n.* 2. esse ait, cur S. Synodi Tridentinæ Patres de ordinandorum genere, persona, ætate, institutione, moribus, doctrinâ & fide: non etiam de sponsalitia obligatione, inquisitionem fieri præceperint *Sess. 23. cap. 7. de Reformat.*

Sed meliori ratione *citt.* Sanchez *disp. 47. n.* 3. Coninck *disp. 23. dub. 3. n.* 25. Palao *Tract. 28. disp. 1. p. 20. n. 3.* & Perez *disp. 9. s. 6. n. 1.* ejusmodi votô, neque sponsalia dirimi, neque matrimonium impediri, defendunt, partim; quòd, non obstante solennitate voti, in utroque incluși, lata disparitas sit inter Ordinem & Religionem; cùm istius professio dirimat matrimoniũ Ratum, *c. Verùm & c. Ex publico, citt.* non etiam Ordo sacer, per expressam decisionem Joan. XII. *Extrav. Unicâ de Voto:* partim verò; quia, quòd ingressus Religionis sponsis licitus sit, habetur ex speciali favore, quô sacri Canones prosequuntur illum, non etiam sacros Ordines: quos propterea, invitâ aut insciâ sponsâ, sicut suscipere, sic etiam vovere in ejus præjudicium sponso non licere, censet *cit.* Perez *n.* 8. Unde planè corruit pro hujusmodi voti valore allata ratio cum confirmatione, cùm; quia suscipiendi sacri Ordinis conditionem sponsalibus inesse, neque ex istorum aut illius natura, neque ex Jure Positivo constat: tum verò; quia PP. Tridentini hôc ipsô; quòd de ordinandorum vita & moribus, tacitè etiam de ipsorum statu & sponsalibus jubent inquiri: & à diœcesium Ordinariis admitti solent oppositiones sponsalium,

66.

67.

talium, si quando ad sacros Ordines aut Clericatuma spirantibus objiciantur, teste Perez *s. cit. n. 2.*

68. Dubium hôc locô est de eo, qui post continentiæ, non nubendi, Religionis, vel sacri Ordinis assumendi votum simplex editum virginem defloravit, aut honestam viduam corrupit. Qua in re pro casuum varietate variè sentiunt DD.

Et primò quidem, si illa in sui defloration em aut corruptionem, nullâ matrimonii spe vel promissione sibi factâ, liberè ac sponte consensit, voti obligatio integra manet & impedit matrimonium cum ea contrahendum; cùm tali casu ulla injuria aut injusta læsio, quæ matrimoniali contractu reparetur, in sui corruptionem consentienti non sit illata, *arg. Reg. Nemo 145. ff. & Reg. Scienti 26. in 6.* Vasquez *de Restitut. cap. 3. §. 2. dub. 6. n. 21. citt.* Pontius *Lib. 6. cap. 12. n. 6.* & Palao *disp. 4. p. 2. §. 1. n. 15.*

69. Secundò, simili modô ejusmodi votum obstat matrimonio contrahendo cum ea, quæ sub spe quidem & ipsâ matrimonii promissione sibi factâ violata, sed antè editi voti conscia fuit; quia eum, cui se prostituit, voti obligatione teneri, ac proinde à matrimonio contrahendo impeditum, ejúsque promissionem nullam esse sciens, corporis sui usum gratis concessisse videtur, *citt.* Sanchez *lib. 1. disp. 45. n. 5.* & Palao *n. 17.*

70. Tertiò, eadem voti obligatio matrimonio contrahendo etiam obstat, quando fœmina, voti ignara, vi metúve aut dolo, nulla tamen matrimonii spe aut promissione interveniente, corrupta est, si ei constitutâ vel auctâ dote aut aliô modô satisfactio pro injuria, & illati damni plena reparatio fieri queat; quia is, à quo corrupta est, tali casu ei ex sola injuria & damno illato obligatur; ac proinde injuriæ & damni plenâ resarcitione ei exhibitâ deobligatur; ut, quod voti executionem impediat, nihil detur, Lessius *Lib. 2. de J. & J. cap. 10. num. 10. citt.* Sanchez *Lib. 7. disp. 14. n. 12.* & Palao *num. 16.*

Quartò, casu etiam, quô eadem violata est spe matrimonii & ipsâ istius promissione, voti executioni saltem non obstat promissio, cùm enim hæc, utpote facta de re, ad continentiam Deo obligata per votum antecedens, fere instar secundorum sponsalium facta in præjudicium antè cum alia initorum, invalida sit, ad matrimonium ineundum obligationem inducendi, & voti executionem impediendi vim non habebit, Pontius *cap. 12. n. 7.*

Quintò, eôdem casu matrimonium cum violata ineundi voto contraria obligatio etiam non datur ratione injuriæ ac damni, si istorum justa reparatio aliô modô fieri queat; eô ipso enim, quòd matrimonii promissio invalida sit, ad solam injuriæ & damni resarcitionem obligatio datur: eâque aliô modô, quàm matrimoniô contractô, factâ, voti executio fieri potest ac debet. Si autem illorum justa 71.
resarcitio aliô modô fieri non possit, voti obligatione non obstante, eam ducere tenetur, ex communi sententia DD. cujus ratio est; quia, licet voto superveniens promissio invalida sit, ex illo tamen ortæ Religionis obligationi prævalet obligatio Justitiæ, ad injuriæ & damni, ex promissione eámque secuta violatione orti reparationem adstringentis, fere sicut obligationi oblationis liberalis eleemosynæ faciendæ, voto contractæ, prævalet superveniens obligatio resarciendi grave damnum injustâ læsione proximo illatum; ut, si satisfieri nequeat utrique, Justitiæ potiùs quàm Religionis obligatio sit adimplenda, cùm; quòd voto inesse videatur conditio, *Nisi res notabiliter mutetur:*

mutetur: tum verò, quòd votô sibi factam promissionem Deus non aliter acceptare, aut ex ea acceptata ortum debitum, quatenus ad gravis & injustè illati damni resarcitionem necessarium est, remittere videatur, *citt.* Sanchez *disp. 45. n. 3.* Vasquez *dub. 6. n. 20.* Pontius *n. 10.* & Palao *n. 7.*

Sextò, ex eâdem ratione violatam ducendi obligatio etiam datur, & ex voto ortæ Religionis obligationi prævalet casu, quô fœmina, nullâ quidem matrimonii promissione factâ, sed vi metúve aut dolo est corrupta, si injuriæ & damni illati resarcitio aliter fieri non possit, secundùm DD. communem sensum & intellectum *c. 1. & c. Pervenit 2. de Adult. & stupro,* quem ad hanc Rubricam dabimus cum præsentis casûs pleniori declaratione. Hôc tamen & præcedenti etiam casu, antequam cum corrupta matrimonium ineatur: aut, si hoc cum eâ initurus Religionis votô obstrictus sit, saltem ante ejus contracti consummationem petenda est dispensatio in voto: quam Papa, & urgentis necessitatis casu Episcopus facilè concedet *citt.* Pontius *n. 9.* & Palao *n. 17. in fine.* 72.

TITVLVS VII.

De Eo, qui duxit in Matrimonium, quam polluit per Adulterium.

SUMMARIUM.

1. *Adulterium & Homicidium conjugium dirimunt,*
2. *I. Inter adulteros hoc ineuntes,*
3. *II. Vel de eo ineundo sibi fidem mutuò dantes:*
4. *Sive ante, sive post adulterium,*
5. *Alterius conjuge vivente, commissum:*
6. *Nisi cum isto initum conjugium fuisset irritum,*
7. *Ignoratum,*
8. *Vel secundùm aliquos promissio ficta,*
9. *Aut adulterium tantùm attentatum.*
10. *III. Inter adulteros, quorum unus in Conjugis mortem,*
11. *Cum effectu,*
12. *Et conjugij ineundi animô est machinatus.*
13. *IV. Inter duos alterius conjugem occidentes.*
14. *Adulteriô Conjugium non dirimitur,*
15. *Nisi machinatio &c. accedat.*
16. *Impedimentum hoc ab ignorantibus contrahi, negantium:*
17. *Et affirmantium verior Opinio,*
18. *Stylô Curiæ & rationibus stabilita:*
19. *Licet, ab ignorantibus censuras,*
20. *Irregularitates ex delicto provenientes,*
21. *Et privationem debiti conjugalis non contrahi, concedatur.*
22. *Criminis impedimentum perpetuum est.*

1. ORtis ex Voto subjicitur impedimentum Criminis, ut vocatur: quod oritur ex Adulterio & Homicidio sive machinatione in necem conjugis: & matrimonii, non cum quacunque, sed cum ea duntaxat persona, quacum, aut in cujus consortem eorum alterum commissum est, contrahendi valori, quatuor casibus obstat.

2. Primus est, quô adulter matrimonium cum adultera contrahit, conjuge quem uterque vel eorum alter habet, adhuc vivente; hoc enim adulterii crimine perpetrato, non illud solùm, quod utriusque vel alterius conjuge adhuc superstite contractum est, propter intercedens inter ipsos ligaminis impedimentum: sed id etiam, quod, istô per conjugis, quem uterque vel alter habuit, obitum solutô, contrahendum est, conjugium invalidum est, ex decreto Concilii Triburiensis, *can. Relatum 31. q. 1.* relatô, *c. 1. c. Cùm haberet 5. c. Veniens 7. & c. fin. hâc Rubr.*

3. Secundus casus est, quô inter duos adulterium commissum est, interveniente promissione matrimonii contrahendi post obitum conjugis, quem alter vel uterque habet viventem; nam etiam hoc casu inter illos conjugium, etiam post istius mortem, consistere non potest, *can. Relatum, c. Veniens & c. fin. citt.* Quod utroque hoc casu statuendi ratio justissima fuit; ut fidei matrimoniorũ & conjugum incolumitati consuleretur, præcisâ adulteris omni spe conjugii, quod promissum est, obtinendi vel stabiliendi, quod de facto est contractum, Gonzalez in *c. fin. cit. n. 5. in fine.*

4. Ut autem utroque hoc casu adulteri ad matrimonium inter se contrahendum inhabiles reddantur, parùm refert Imprimis, an conjugii promissio vel contractus actualis ab ipsis ante vel post adulterium initus sit, per expressam decisionem *c. fin. cit.* ibi, *Si priùs vel postea*, hoc est, ante vel post contractum matrimonium vel de isto contrahendo sibi mutuò fidem datam (*legitima uxore superstite*) *cognovit eandem*, Alex. de Nevo in *c. cit. n. 7.* & Sanchez *Lib. 7. de Matrim. disp. 79. n. 3.* Deinde, an matrimonium cum conjuge ratum tantùm sit, vel consummatum; cùm nuptiale hoc impedimentum etiam, si coniugium ratum tantùm sit, contrahi, ex *c. Significavit 2.* desumant Panormit. ibi *n. 1.* Alex. de Nevo *n. 5.* & Sylvester *V. Matrimonium 8. q. 9. d. 4.* Et demum, an conjugi viventi adulter cohabitârit, vel ab eo per divortium, ex adulterii vel quacunque alia causa factum, sit separatus, per textum *c. Ex literarum 2.* & ibi notata à Panormit. *n. 2.* & Alex. de Nevo *n. 3. & 5.*

Plurimùm tamen refert: imò ad inducendum Criminis impedimentum omnino necessarium est

Primò; ut tam adulterium, quàm ejusmodi promissio aut attentatio facta sit adulteri conjuge adhuc superstite, ut satis clarè habetur *c. Ex literarum & c. fin. citt.* & cum Anchorano *in c. fin. cit. n. 1.* Speculat. *ad hanc Rubr. §. unico n. 4.* notat *cit.* Sanchez *n. 5.* 5.

Secundò; ut matrimonium cùm prima conjuge initum sit validum; si enim hoc esset irritum, verum adulterium non committeretur, & locus foret Regulæ, *Non præstat impedimentum, quod de Jure non sortitur effectum*, quæ est *52. in 6.* Atque hæc ratio est; cur *c. Significavit cit.* præcedens matrimonium gravi metu extortum, & propterea invalidum non obstiterit valori matrimonii cum alia initi & consummati, S. Thom. *in 4. dist. 35. q. unic. in fine* Hostiens. *in c. fin. cit. n. 4. cit.* & Sanchez *n. 30.* 6.

Tertiò; ut uterque adulter sciat, alterum esse conjugatum, communis DD. 7.

sententia

sententia exigit; quia, qui hoc nesciret, non esset formaliter adulter; & propterea *c. 1. & c. Veniens citt.* vir cum muliere, ejus rei insciâ, matrimonium post mortem conjugis validè contraxit, *citt.* S. Thomas *ibid.* & Sanchez *n. 31.*

8. Quartò; ut matrimonium ab uno verè, hoc est, animô se obligandi promissum: & promissio ab altero non fictè, sed verè & saltem virtualiter sit acceptata, exigunt Henriquez *Lib. 12. cap. 14. n. 3.* & Perez *disp. 33. s. 4. n. 2. & s. 5. n. 3.* id confirmantes partim; quòd impedimentum hoc à Jure introductum sit in pœnam; ac proinde de vera mutua & acceptata promissione sit accipiendum: partim verò; quòd Jura exigere videantur promissionem ex se sufficientem ad sponsalia, ad quæ promissionem veram & mutuam exigit communis sententia DD. cùm; quòd actus ultra agentium intentionem non operentur, *l. Non minùs 19 ff. de Reb. credit.* tum verò *arg. l. 1. ff. de Sponsal. & matr.* ubi hæc mentio & repromissio, sive mutua promissio futuri matrimonii esse dicuntur. Contrarium tamen & promissionem fictam, si fictio ex signis externis colligi non possit: & non-mutuam sufficere, satis probabiliter defendunt Sanchez *cit. disp. 79. n. 10. & 20.* & Palao *Tract. 28. disp. 4. p. 12. n. 11. & 12.* quòd *c. Significâsti cit.* adulterorum conjugium reprobetur, si eorum alter uxore vivente fidem illi, hoc est, suo in adulterio complici, dederit de matrimonio contrahendo: quæ verba unius promissione verificantur.

9. Quintò; ut adulterium non solùm attentatum, sed perfectum sit & consummatum; cùm enim, ut dictum, Jura impedimentum hoc statuentia sint pœnalia, de perfecto & consummato adulterio exaudienda erunt, *arg. Regulæ Ꝑdia 15. in 6.* Glossa *in c. fin. cit. V. Cognoverit*, ubi Panormit. *n. 6.* Joan. Andr. *n. 4.* Guttierez *cap. 105. n. 28. citt.* Sanchez *n. 2. in fine* & Palao *n. 8.*

Tertius casus est, quô duo committunt adulterium, eóque perpetratô ipsorum alter, animô matrimonii cum altero ineundi proprium vel alienum, sive sui in adulterio complicis, conjugem occidit; hoc enim crimine ad matrimonium inter se ineundum inhabiles reddunter, *can. Si quis vivente 31. q. 1. c. 1. c. Super hoc 3. c. Significâsti 6. hâc Rubr. &c. c. Tanta 6. Qui filii legit. &c.* sive occidens vir sive fœmina, & sive uxor sive maritus fuerit occisus: ut de occidentibus ex *can. cit.* ibi, *Nisi fortè adulter aut Mulier occidisse notetur:* de occiso viro ex eodem textu, & de uxore interfecta ex *c. 1. c. Super hoc 4. c. Significâsti citt.* constat: Sanchez *cit. Lib. 7. disp. 78. n. 2.* 10.

Ut autem hoc casu & crimine impedimentum dirimens contrahant adulteri, licet sufficiat; quòd cædes ab ipsorum uno, alterô etiam insciô, sit perpetrata: necessariò tamen exigitur Imprimis adulterium tam materiale, quàm formale, ac proinde; ut istorum unus vero matrimonio conjunctus fuerit alterius conjugi occiso: ejúsque notitiam etiam habuerit alter, ut ex *c. 1. cit.* desumunt laudati Sanchez *disp. 78. n. 12.* junctâ *disp. 79. n. 31.* Perez *s. 2. n. 3. & 6.* & Palao *p. 12. n. 8.* Deinde; ut, sicut adulterium, sic etiam homicidiũ sit consummatum, & non solùm attentatum, per *can. cit.* verba, *Occidisse notetur.* Unde verba, *Machinatio mortis*, quibus alii textus utuntur, cum effectu sunt accipienda, *arg. c. Relatum 4. de Cleric. non resid.* S. Thomas *q. cit.* Glossa *in c. Super hoc 3. V. Machinata, ubi* Panorm. & Alex. de Nevo *n. 4.* Sylvester *cit. q. 9. d. 1.* & Sanchez *disp. cit. n. 7.* Præ- 11.

terea; ut adulterium priùs, quàm cædes perpetretur; cùm hanc subsequens carnale commercium adulterium non foret, ut rectè observat Pontius *Lib. 6.*
12. *cap. 45. n. 5.* Et demum; ut cædes fiat animô matrimonii cum suo in adulterio complice contrahendi; ideóque, si alia intentione, vg. ut libidini liberiùs vacare queat, unius adulteri conjux ab illo vel ejus complice occideretur, ad matrimonium inhabiles non redderentur: quod *sit.* Sanchez *n. 13.* desumit partim ex *can. Si quis cit.* verbis, *Occidisse notetur, ut conjungeretur*, secundùm Glossam *ibi V. Notetur:* partim ex introducti impedimenti fine: qui fuit; ne quis facilè interficeret conjugem spe conjugio cum adultera potiundi. Ita ille cum SS. Thoma & Bonaventura *in 4. dist. 37. q. & art. 2.* Turrecremata *in can. Si quis cit. n. 4.* Gaëta *in can. Ad limina 30. q. 1. §. 4. à n. 411.* Navarro *Manual. cap. 22. n. 46.* Brunello *de Sponsal. conclus. 34. §. 5. &c.*

13. Quartus & ultimus casus est, quô duo, intentione matrimonii ineundi, unius ex ipsis conjugem occidunt; tali enim crimine istud inter ipsos contrahendum dirimi, licet adulterium non intercesserit, patet ex *c. 1. de Convers. Infidel.* Unde colligitur, hoc casu requiri; ut in alterius conjugis mortem machinatus sit uterque, vel huic violentas manus inferendô, ut à viris Saracenis: vel cædem mandandô, consulendo, aut cooperatione promovendo, ut à mulieribus Christianis factum est *c. cit.* non solummodo necem, etiam suo nomine maritis illatam, ratihabendo; quia Jura exigunt machinationem in necem, qualis mera ratihabitio non est, Glossa *in can. cit. V. Occidisse*, Hostiens. & Panormit. *in c. cit. n. 10.* Præterea; ut mors reipsa ex tali machinatione (& non imperitiâ, negligentiâ vel aliâ culpâ Medici vel Chirurgi vel ipsius interfecti) sit secuta, per ea, quæ cum Glossa *fin. in c. cit.* Panormit. & Alex. de Nevo *in c. Super hoc cit. n. 4.* Sylvestro *cit. q. 9. d. 1.* & aliis tradunt *citt.* Sanchez *n. 7.* & Pontius *n. 4.* Ex deductis

Infertur, licet proposita Rubrica solius adulterii meminerit, impedimentum tamen connubiale, sicut solâ unius machinatione in mortem, sic etiam solô adulteriô ab adulteris non contrahi; ac proinde ad id inducendum necessarium esse; ut inter adulteros, vel contractus matrimonii de facto, vel saltem istius contrahendi mutua promissio intercesserit, vel demum; ut eorum alter in adhuc viventis sui vel alterius conjugis mortem cum effectu sit machinatus, ut desumitur ex hactenus allegatis præsertim *c. Significâsti cit.* textibus.

Neque huic illationi adversantur *can. 1. & can Illud 31. q. 1.* Conjugium inter adulteros generaliter prohibentes, aut *c. 1. hâc Rubr.* quô textu, cùm dicitur, adulteros matrimonio non conjungendos, *Maximè, si machinatio in mortem, vel promissio matrimonii accesserit*, non obscurè insinuatur, id etiam aliis casibus non permittendum; quia dictio *Maximè*, implicat casum oppositum, idémque in eo esse, significat, ut *arg. l. 1. §. 6. ff. de Collat. bonor.* monet Covarruvias *Lib. 2. var. cap. 7. n. 5.* Non inquam *citt.* textus obstant. Priores; quia, eorum generalitatem ad tres priores casus restringendam, patet ex iis, quæ *can. Illud cit.* textui §. *Hic subaudiendum* subiicit Gratianus, asserens, *citt.* textibus adulteros à matrimonio removeri, non simpliciter, sed ante peractam Pœnitentiam & iis casibus, quibus matrimonii fides, aut in necem machinatio intervenit, ut ad Rubricam præsentem Ca-

tem Caniſius *n. 7.* & Pirrhing *n. 4.* obſervant & deſumunt ex *can. Denique 2. q. cit. & c. Veniens cit.* ubi Innocentius III. ad matrimonium dirimendum præter adulterium diſertè exigit fidem præſtitam adulteræ vel machinationem in mortem. Poſterior; quia in eo dictio *Maximè* non habet ſenſum implicativum: ſed excluſivum vel demonſtrativum; ut adulteros ad matrimonium inter ſe ineundum inhabiles ſignificet ſolummodo in caſibus Jure expreſſis, Panormit. *ibi, n. 2.* & Barboſa *n. 5.* Vel potiùs intelligendus eſt de caſu non peractæ Pœnitentiæ ad mentem Concilii Triburienſis *can. Si quis vivente cit.* relati & Gratiani §. *Illud cit.* cujus expoſitionem amplexi ſunt *citt.* Caniſius & Pirrhing: eámque prævalere *in c. fin. cit. n. 6.* notat Gonzalez: licet aliàs, impedimentum hoc ſolo adulterii crimine induci, cum Cuiacio exiſtimârit.

16. Supereſt non levis momenti & practica dubitatio, an commiſſô à ſe aliquô ex declaratis Adulterii & Homicidii criminibus matrimonium impediri & dirimi ignorans, iſtud cum ſuo in ejusmodi crimine complice validè ineat. Affirmant id Paludanus *in 4. diſt. 34. q. 1. n. 17.* & Fernandez *Medull. Caſ. Conſcient. p. 3. cap. 16. ſ. 5. in fine,* qui ſuam hanc opinionem communem vocat apud Dianam *p. 10. Tract. 13. reſol. 51.*

Ratio, qua moventur eſt; quòd impedimentum Criminis, ex diſpoſitione Juris Eccleſiaſtici habeat rationem pœnæ illius perpetrati, & Medicinæ, ad conjugiorũ fidem & incolumitatem conjugum ſervandam, variáque mala præcavenda conducentis: pœnas autem, præſertim Medicinales, Jure Eccleſiaſtico ſtatutas ab invincibiliter ignorantibus non incurri, communis ſit doctrina, & deſumatur ex *c. Ut animarum 2. de Conſtitut. in 6.* Quam rationem & opinionem ſuam roborant tergeminâ paritate Imprimis cum excommunicatione & cæteris Eccleſiaſticis cenſuris, quæ ab ignorantibus non incurruntur, *c. Ut animarum cit.* Deinde cum debito conjugali, cujus exigendi jus non amittit, qui cum ſui conjugis conſanguinea peccat, ſi in iſtius peccati reos latam illius exigendi juris privationem invincibiliter ignoret, ut multis DD. relatis docent *cit.* Sanchez *Lib. 9. diſp. 32. n. 43.* & Palao *Tract. 2. diſp. unic. p. 17. n. 18.* Et cum irregularitatibus provenientibus ex delicto, vg. homicidio vel mutilatione injuſta aut cenſuræ violatione: quas hujusmodi vel alteri delicto à Jure annexas ab invincibiliter ignorantibus non contrahi, cum Panormit. *in c. Paſtoralis 53. §. Verùm de Appellat. n. 15.* volunt Sylveſter *V. Ignorantia q. 8. d. 1. & 3.* & alii apud *cit.* Sanchez *diſp. 31. n. 17.* & Suarez *de Cenſur. diſp. 4. ſ. 9. n. 22.*

Nihilominus & veriùs, ab ejusmodi ignorante cum ſuo in adulterio vel machinatione complice matrimonium ſine diſpenſatione validè iniri, negant Diana *Reſol. cit.* Gobat *Experient. tract. 9. n. 202.* Matth. Moia *Tract. Miſcell. q. 14. n. 15.* & his teſtibus multò frequentiori calculo cæteri DD. quibus, licet hunc juris articulum ad examen non vocârit, meritò accenſetur *cit.* Sanchez *diſp. 40. n. 7.* ad inducenda nuptiarum impedimenta Juris ea conſtituentis notitiam exigi, generatim negans. 17. 18. Accedit Juris optima interpres Conſuetudo ſeu praxis Romanæ aliarúmque Curiarum Eccleſiaſticarum, propoſiti utriusque criminis complices relatis quatuor caſibus ad nuptiale fœdus nunquam admittentium ſine diſpenſatione, teſtibus *cit.* Moia *n. 17.* & Corrado *Prax. diſpenſ. Apoſtol. Lib. 8. cap. 9. n. 7.*

Eosdem ad hoc non admittendos, perſuadet

persuadet Primò; quòd sacri Canones, quibus proditum est hoc impedimentum, id quatuor enumeratis casibus contrahi, asserant omnino generaliter & indistinctè: & quantumvis conditiones ad illud inducendum necessarias vg. notitiam adulterii & homicidii, animum sive intentionem ineundi matrimonium expresserint, ullô tamen verbô non memineriint notitiæ Juris, sive nuptialis impedimenti utrique illi crimini annexi. Unde, sicut locuti, sic etiam exaudiendi sunt generaliter & indistinctè: neque ad personas impedimenti Jure constituti notitiam habentes restringendi, *arg. l. De pretio 8. ff. de Public. in rem act. & can. Consuluisti 2. q. 5.* ubi Stephanus Papa sacræ Sedis Moguntinæ Antistiti rescribens, *Quod*, inquit, *sanctorum Patrum documentô sancitum non est, superstitiosâ adinventione non est præsumendum.* Secundò; quia, sanctionum Ecclesiasticarum ignorantiâ non obstante, contrahuntur cætera conjugiorum impedimenta omnia & in specie etiam affinitas proveniens ex copula fornicaria, de qua contrarium statuere, neminem facilè ausurum, ait *cit.* Moia *n.* 17. Quare, cùm de impedimento, quod homicidiô vel adulterio inducitur, aliud statutum non reperiatur, id quod in cæteris & præsertim in affinitate illa, etiam in propositi criminis utriusque impedimento obtinebit; cùm, sicut ejusmodi affinitate conjunctos, sic etiam criminum illorum complices connubiali fœdere sociari, conveniens ac decens non sit. Tertiò; quia impedimentum criminis, licet pœnæ quoque habeat rationem, principaliter tamen est quædam inhabilitas personarum & conditio annullans contractum matrimonialem instar cognationis naturalis, affinitatis &c. sicut enim inter cognatos & affines conjugia iniri & inita subsistere, propter naturalem quandam indecentiam Jura vetuerunt; ne ex personarum propinquitate orta conversationis assiduitas nimiáque & cum nuptiarum obtinendarum spe conjuncta familiaritas aniam præbeat actibus inhonestis, sic etiam quicunque in conjugalem thorum aut vitam conjugis triste aliquid machinari non verentur, ad conjugium inter se ineundum inhabiles redditi sunt; quòd eos legitimô matrimonio copulari inhonestum valde & publicè pernitiosum videretur; ne conjugio cum complice potiundi spe ad insidias conjugali thoro aut vitæ conjugis struendas facilè quis invitaretur: utque ita fidei conjugiorum & conjugum incolumitati consuleretur, præcisa complicibus est omnis spes matrimonii, quod promissum est, obtinendi, aut stabiliendi, quod est contractum. Cùm ergo inhabilitates, quæ merè pœnales non sunt, ab ignorantibus contrahantur, sicut inter cognatos & affines &c. sic etiam inter ejusmodi criminosos inita matrimonia nulla erunt, Ecclesiastici Juris ignorantiâ non obstante.

Confirmantur ista; quia, si criminis impedimentum non contrahitur ab ejusmodi ignorante, eô etiam non tenebitur, qui ejus adulterio vel homicidio annexi hujusmodi criminis commissi tempore ex inadvertentia vel oblivione non recordatur; quia ignorantia, inadvertentia, oblivio, quoad vim eximendi à culpa & pœna, à DD. æquiparantur apud Suarez *3. p. disp. 4. s. 8. n.* 11. & Dianam *p. 3. tract. 5. res. 41.* Quæ illatio cùm teste *cit.* Moia à nemine facilè admittatur, criminis impedimentum proposita ignorantia non tollet.

Ex his planè corruit adversæ partis fundamentum; quia impedimentum hoc principaliter non tam pœna quàm inhabilitas Jure constituta est; quòd in contrahendis

trahendis matrimoniis vel maximè, quid deceat honestúmque sit, inspiciatur, *l. Adoptivus 14. §. 2. ff. de Ritu nupt. & l. Semper 197. ff. de R. I.* matrimonium autem initum inter personas, quæ conjugalem thorum, etiam sine pactione nuptiali & machinatione in necem, & multò magis cum istis polluissent, publicè valde inhonestum ac pernicioſum, & propterea irritatum etiam fuerit Jure Civili veteri, *l. Claudius 23. ff. de His, quæ ut indigno. l. Miles 11. §. 11. ff. ad L. Jul. de Adult.* & novissimo *Novell. 134. cap. 12.*

19. Neque propositi impedimenti paritas est. Primò cum censuris; quia istæ exigunt contumaciam & contemptum potestatis Ecclesiasticæ, sub ipsarum comminatione aliquid prohibentis vel præcipientis; cùm sint pœnæ medicinales, ad correctionem seu frangendam contumaciam & inobedientiam erga Ecclesiam, eas proponentem, constitutæ, *c. Ex parte 23. de V. S. & c. 1. de Sent. excom. in 6.* & non incurrantur sine prævia monitione sive earum comminatione, *c. Sacro 48.* junctâ Glossâ *V. Competente, de Sent. excom.* ab homine, si censuræ ferendæ *c. Romana 5. c. Constitutionem 9. c. Statutum 13. eâdem Rubr. in 6.* & si latæ sententiæ sint, à Jure ita factæ; ut sui horrore à contumacia & inobedientia valeat abstterrere, *arg. c. 1. cit. & c. fin. de Constitut. in 6.* is autem, qui legem sub censura vetantem, aut præcipientem invincibiliter ignorat, dici nequit Imprimis Ecclesiasticæ potestatis censuram minitantis sive Ecclesiæ Clavium contemptor & in eam contumax; neque enim disciplinam contemnit, qui ignorat, *l. Si ignorans 50. ff. Locati.* Laiman. *in c. fin. cit. n. 2.* Deinde ita monitus; ut censuræ horrore à legis transgressione & contumacia valeat abstterseri; cùm, ut propositæ pœnæ metus abstterreat, eam innotescere sit necesse, *arg. l. cit.* Covarruvias *in c. Alma, p. 1. §. 10. n. 9.* Suarez *disp. 4. de Censur. s. 1. n. 1. & 19. cit.* Sanchez *Lib. 9. de Matrim. disp. 32. n. 13.* & alii, quos refert & sequitur Palao *Tract. 2. disp. 1. p. 17. n. 5.*

Neque secundò cum irregularitatibus ortis ex delicto; quia istæ, licet non puræ, principaliter tamen pœnæ sunt; cùm per hoc, quòd tales sint, distinguantur ab iis, quæ oriuntur ex defectu, & puræ inhabilitates esse videntur. Si hoc de irregularitatibus ex delicto ortis negetur, eas instar propositi criminis impedimenti ab ignorantibus contrahi, statuendum est cum aliis, quorum sententiam Laiman. *Lib. 1. tract. 5. p. 1. cap. 5. n. 8.* tanquam communiorem, Cardenas *Crisis Theolog. p. 3. disp. 75. n. 37.* tanquam certam tuentur. 20.

Neque tertiò cum privatione debiti conjugalis; quia ista (ut omittam; quòd, eam ab hujusmodi ignorantibus incurri, communis DD. sententia sit) vel pura vel saltem principaliter pœna est: contrà, quod ex adulterio & machinatione in mortem conjugis oritur, connubiale impedimentum principaliter, ut dictum, inhabilitas est; ut adeò mirum non sit, istud perinde: ut affinitatem & cætera hujusmodi impedimenta, etiam contrahi ab iis, qui sacros Canones, quibus introducta sunt, ignorant. 21.

Aliud & non ita pridem motum dubium est, an propositum criminis impedimentum perpetuum sit; fuêre enim viri aliàs non indocti, qui hoc inficiarentur: &, quòd nuptiale hoc obstaculum, quod adulterinò commerciò, accedente matrimonio vel istius promissione, contractum est, ipsò recessu à matrimonio istiúsve promissione, & commercio illo cessante, cessare existimarent, adulteris 22.

cónjugiô post ejus, quem alter habebat, conjugis obitum potiundi spe factâ, ab adulterina consuetudine mutuáque matrimonii promissione recessum & arrharum restitutionem persuaderent. Sed id zelô quàm Juris peritiâ majore; quòd criminis impedimentum ita cessare, ullâ Juris authoritate vel ratione non evincatur, *cit.* Sanchez *Lib. 7. disp. 79. n. 7.* Imò Jus matrimoniô copulari indiscriminatim non permittat adulteros, qui illud de facto contraxerunt vel de contrahendo fidem sibi mutuo dederunt, *can. Relatum c. 1. &c. citt.* & *c. Veniens cit.* conjugium cum adultera, si fides ei data sit, irritum pronuntietur, recessu ab ista & ad legitimam uxorem reditu non obstante: idque justissimâ ratione; quòd, si ab impedimento semel contracto se dictô modô eximere valerent, illius introductione matrimoniorum fidei parùm fuisset prospectum; cùm ab adulterino commercio eos absterrendi vim non haberet ademptio spei conjugiô potiundi, si temporanei ejúsque brevissimi recessûs beneficiô impedimentum tolli, & amissam illius spem recuperari posse, adulteri scirent. Aliud esset, si ante adulterium commissum à matrimonii de facto initi contractu vel promissione recederent; cùm enim tali casu matrimonii contractus vel promissio alterius conjuge vivente cum adulterio non concurreret, impedimentum nuptiale non contraheretur, per text. *c. fin. cit.* ad hoc inducendum adulterii cum matrimonio vel istius promissione concursum exigentis, ut *ibi* cum Ant. de Butrio *in fine*, Anchorano *n. 2.* Boich. *n. 3.* observant Speculat. *ad hanc Rubric. §. Unic. n. 4.* Sotus *in 4. dist. 37. q. unic. art. 4.* & *cit.* Sanchez *n. 5.*

TITULUS VIII.

De Conjugio Leprosorum.

SUMMARIUM.

1. *Matrimonium inire possunt infecti leprâ:*
2. *Quæ tamen antecedentia sponsalia:*
3. *Non etiam matrimonium solvit:*
4. *Etiamsi hoc nondum sit consummatum.*
5. *Lepra non est justa causa Divortii:*
6. *Nisi notabile periculum afferat infectionis.*
7. *Eadem aliorum morborum contagiosorum ratio est.*
8. *A leproso divortium non facilè suadendum est:*
9. *Et facilius à thoro, quàm à cohabitatione permittendum,*
10. *Saltem si lepra matrimonium non antecessit.*

CUm leprosi à civitatibus & hominum consortio passim arceantur, individuæ vitæ societati, quæ conjugio initur, non minùs quàm alia nuptiarum impedimenta obstare videri, & iis interseri non immeritò 1.

immeritò potest Lepra. Quæ, an & quomodo conjugii contractui & usui obstet, ut clariùs constet, certa dubiis præmittemus.

Certum itaque est Primò, leprosos, si reperiant, qui cum ipsis velint matrimonium inire, posse; quia Edictum de Nuptiis prohibitorium est, *c. Cùm apud 23. de Sponsal. & matrim.* ac proinde de re generaliter omnibus, specialiter non prohibitis, permissa, Glossa *in c. cit. V. Prohibitorium & l. Mutus 43. §. 1. ff. de Procuratoribus* & *in c. Quoniam 2. V. Liberum, hâc Rubr.* 2. Secundò, nihilominus sponsalia de futuro, quibus lepra supervenit, dissolvi; ut sponsus eâ non infectus conditioni valeat renuntiare, etiamsi illa fuissent jurata, ut *c. Quemadmodum 25. pr. de Jurejurando* decisum & ratio clara est; quia sponsalibus & adjecto juramento inest conditio, *Nisi res notabiliter mutetur*, ut *arg. l. Cùm quis 38. pr. ff. de Solutionibus in c. cit.* notant Glossa *V. Conditio*, & Ant. de Butrio *n. 13.* quod vel maximè con- 3. tingit leprâ superveniente. Tertiò leprâ, tam præcedente quàm subsequente, matrimonium quoad vinculum non dissolvi saltem, si id per carnalem copulam sit consummatum, *can. Is qui 32. q. 7. c. 1. §. Quoniam & c. Quoniam 2.* quia matrimonii consummati vinculum insolubile est Jure Divino Matth. *cap. 19. v. 6.*

Dubium autem imprimis est de matrimonio Rato; hoc enim, superveniente leprâ dirimi, desumi videtur ex *c. fin.* verbis, *Ad eam recipiendam cogi non debet, cum qua nondum matrimonium fuerit consummatum*: & ex *can. Quod proposuisti 32. q. 7.* quo textu relatus Gregorius III. vel potiùs II. de viro, cui uxor infirmitate (ac proin etiam leprâ) correpta non valuit debitum reddere, rescribens, *Si*, inquit, *non poterit se continere, nubat*, non obstante valore matrimonii initi cum infirma; cùm, si hoc fuisset nullum, ei subsidii opem non subtrahi, Papa non præcepisset.

Sed, licet dispensationis in matrimonio Rato petendæ & concedendæ causam justam esse, quòd eo conjunctorum alter in lepram inciderit, non immeritò existiment Sanchez *Lib. 2. de Matrim. disp. 16. n. 5.* & Perez *disp. 40. de Matrim. s. 7. n. 13.* & propter hanc in illo dispensatum, testis sit Burgesius *de Irregul. p. 6. Tit. de Sponsal. n. 74.* unanimis tamen DD. sententia, leprâ superveniente, matrimonii Rati vinculum ipso Jure dissolvi, negat; quòd id dirimendi vis soli professioni Religiosæ indulta reperiatur, *c. Verùm 2. & c. Ex publico 7. de Converf. conjugat.* 4.

Neque, si verborum cortici non inhæreamus, eâ vi etiam lepram pollere, evincit in eam rem adductorum textuum prior; cùm isto proposita quæstio fuerit de sponsalibus, non quibuscunque, sed disertè *de Futuro*: quæ verba quæstioni *c. fin. cit.* Urbano Papæ propositæ, ad ejus declarationem & dubitationem omnem tollendam à S. Raymundo compilatore, fortassis Gregorii IX. jussu, adjecta, observat Gonzalez *in c. cit. n. 8.* Unde, ut interrogationi congruat responsio, in hac ab Urbano reddita verbum *Consummatum* de consummatione, non quæ per copulam carnalem: sed de ea, quæ per consensum de præsenti præstitum habetur, & matrimonium quoad essentiam consummat, *l. Nuptias 30. ff. de R. I.* intelligendum, *ibi* Hostiens. *in fine*, Panormit. *n. 3.* & cæteri Interpp. ac DD. notant.

Minùs expedita expositio est posterioris sive *can Quod proposuisti cit.* & Gratiano quidem sacris Canonibus, imò

Evangelicæ & Apostolicæ doctrinæ adversari visus est §. *Sed illud* post *can. cit.* Unde ipse uxore ita infirmâ, ut debitum conjugale reddere non valeret, alias nuptias Anglis recens ad fidem conversis indultas, vel potiùs ex gravibus causis toleratas, ait §. *Quamvis* post *can. Si quis cum noverca, 24. q. cit.* Sed meliùs *can.* illô contentum Papæ Rescriptum cum Glossa *V. Nubat*, de muliere nondum cognita, & de nuptiis propter ejus infirmitatem cum alia permissis præviâ dispensatione in matrimonio Rato, Pontius *Lib. 7. de Matr. cap. 52. n. 14.* & Barbosa *in can. Quod proposuisti cit. n. 2.* vel de muliere correpta infirmitate arctationis sive arctitudinis; ut à viro carnaliter cognosci non posset, ac proinde ad matrimonium validè ineundum & consummandum esset inhabilis, cum VV. Interpp, nonnullis intelligunt Tholosan. *in c. 1. de Sponsal. n. 27.* Canus *Lib. 6. Loc. Theolog. cap. 8. ad 8.* & Bellarminus *Lib. 1. de Matrim. cap. 11. in fine.*

Neque refert; quòd ei subtrahi prohibeantur subsidia vitæ; quia hæc vel per restitutionem dotis, vel de consilio duntaxat ei ex Papæ rescribentis mente præbenda fuisse, cum *cit.* Glossa notat Barbosa *cit. n. 2.*

5. Dubium deinde est, an propter lepram supervenientem conjux sanus à leproso saltem quoad thorum valeat divertere, eique conjugale debitum negare. Ratio dubitandi de una parte est; quòd, ut initiô insinuatum est, propter periculum infectionis leprosi ab humano consortio passim arceantur adeò; ut eis peculiares Ecclesiæ assignentur, *c. Cùm dicat 2. de Eccles. ædif.* & leprâ percussis Monialibus, quantumvis aliàs ad strictam Clausuram obligatæ sint, egressus è claustro à Pio V. permittatur *Constit.* quæ incipit *Decori*, apud Donatum *Tom. 4. Praxis Regular. Tract. 4. q. 1. n. 2.* Cur non etiam removeri queant à cohabitatione, & præsertim à communi thoro? cùm infectionis periculum ex istius usu multò majus immineat, quàm ex ullo alio commercio humano. De altera verò; quòd vir & uxor sint una caro, *c. 1.* & propterea ab uxore sua, exceptâ causâ fornicationis sive adulterii, ac proinde ob solam lepram divertere, nemini licitũ, Alex. III. rescriptum *c. Quoniam 2.* & æternæ veritatis oraculum sit *Matth. cap. 19. v. 9.*

Utrique huic rationi aliquid tribuendum & discrimen statuendum est inter lepræ malignitatem; ut sanus ad cohabitationem cæteráque obsequia conjugalia & ipsam etiam debiti redditionem adstringatur, cùm lepra superveniens Medicorum judiciô non est contagiosa; & propterea ex hac illi nullum aut leve periculum imminet infectionis: de quo casu *c. 1. & c. Quoniam citt.* exaudiunt DD. 6.
casu autem, quô istius periculum cohabitatio & conjugalis debiti redditio afferre judicatur, ad hanc & illam non obligetur; quòd contractu matrimoniali ad eas se obligare aliter voluisse non præsumatur, quàm salvâ proprii individui incolumitate; cùm hanc alienis commodis ac solatiis præferre doceat Ordo Charitatis, quæ incipit à se ipso, *arg. can. Si non licet, 23. q. 5. & c. Dilecto 25. de Præbend. & dignit.* Ita cum Sylvestro *V. Debitum. q. 1.* Navarro *Manual. cap. 16. n. 25.* & aliis docent ex Theologis Sanchez *Lib. 9. disp. 24. n. 2. & 17.* & Bonacina *de Matrim. q. 4. p. 1. n. 8.* ex JCT. is duo Barbosæ Petr. *in Rubric. ff. Soluto matrim. p. 2. n. 28.* Augustin. *in c. Quoniam cit. n. 2.* & ex Medicis Zacchias *Q. Q. Medico-legal. Lib. 7. Tit. 2. q. 5. n. 1.*

Eadem, quæ lepræ, ratio est Gallici 7.
istiúsque affinium & contagiosorum morborum aliorum: quibus proinde infecto

fecto conjugi debitum reddere, quando sine probabili periculo infectionis & sanitatis gravi detrimento non potest, conjugem sanum non teneri, aliis DD. relatis monent *citt.* Sanchez *n. 18.* & Barbosa *in c. Quoniam cit. n. 3.*

8. Dictis tamen addenda & bene notanda sunt tria. Primò extra casum, quò ex lepræ aut alterius morbi malignitate aut nimio horrore naturali periculum salutis manifestum imminet, sano recessum à commercio & cohabitatione conjugali non facilè suadendum, imò ferè dissuadendum, ut colligitur ex *c. 1. & c. Quoniam citt.* ubi tamen, cùm à præcepto Apostolico casus lepræ non exceptus asseritur, id intelligendum est, quamdiu cohabitatio moraliter possibilis est: non etiam, cùm eam morbi contagiosa malignitas aut nimius horror ita impossibilem reddit, *arg. Reg. Impossibilium 185. ff. & Reg. Nemo 6. in 6.* Vivianus *in c. cit. §. 3.* Secundò, conjugem sanum ob alterius lepram aliámve 9.
ei affinem malignitatem faciliùs à redditione debiti absolvendum, quàm omnino divertere: imò hoc nunquam, nisi ministratis afflicto vitæ subsidiis permittendum; cùm infectionis periculum ferè majus ex carnali quàm alio commercio aut sola cohabitatione aliorúmve obsequiorum exhibitione oriatur, ut laudatus Zacchias *n. 3.* observat. Tertiò, à red- 10.
ditione debiti & cohabitatione sanum multò difficilius excusari, quando lepra matrimonialem contractum antecessit, idque sanus non ignoravit, quàm si matrimonio jam inito superveniat; priori enim casu, sibi imputare debet periculum infectionis, cui se liberè exposuit, cum leproso scienter contrahendô, ut cum Alex. de Nevo *in c. Quoniam cit. n. 6.* Navarro *Manual. cap. 16. n. 25. &c.* monent *citt.* Sanchez *n. 22.* & Barbosa *in c. cit. n. 4.*

TITVLVS IX.

De Conjugio Servorum.

SUMMARIUM.

1. *Conjugium irritat error Conditionis:*
2. *Non Adscriptitiæ & Originariæ,*
3. *Sed Servilis:*
4. *Etsi id inter servum & ancillam consistere queat,*
5. *Si cum domini consensu:*
6. *Imò etiam sine isto contrahatur.*
7. *Liber cum ea, quam scit ancillam, validè contrahit.*
8. *Invalidè, si ejus conditionem ignoret.*
9. *Validè initur cum libera, quæ ancillæ reputatur.*
10. *Opiniones de Origine impedimenti Conditionis,*
11. *Conciliantur.*
12. *Jure Ecclesiastico proditum non afficit infideles.*
13. *Matrimonium olim ex copula præsumebatur.*
14. *Hodie ea præsumptio cessat.*
15. *Cognitâ uxoris servitute maritus à thoro liberè:*

16. *A cohabitatione &c. solius Ecclesiæ judiciô recedit:*
17. *Nisi matrimonium sit omnino occultum.*
18. *A libero probanda est conditio servilis,*
19. *Et ipsa istius ignorantia:*
20. *Nisi communiter esset ignorata.*

1. CUm servituti adhuc obnoxii essent Christiani, non frequens minùs, quàm celebre nuptiarum impedimentum Conditio, subintellige *Servilis*, seu potiùs istius ignorantia fuit, *can. Si quis ingenuus, 29. q. 2. c. Proposuit 2. & c. fin. hâc Rubr.*

2. Non est autem hîc sermo de Adscriptitiis, hoc est, glebæ seu fundo colendo adscriptis, & personaliter obligatis; ut à cultura sine voluntate domini, possessiones deserendô, recedere non possint: vel de Originariis, hoc est, ex adscriptitiis ortis: quorum mentio fit, *ll. Omnes 6. & 8. l. Originarios 11. &c. C. de Agricol. & censit. & c. Multorum 2. de Judæis* & hodie multi, vulgo Leibaigne, in Germania nostra reperiuntur; cùm enim isti, licet ad certa obsequia teneantur, reipsa tamen homines liberi sint, *l. Definimus 12. C. Rubr cit.* Glossa in *c. cit. V. Sint liberi* & *ibi* Panormit. *n. 1.* matrimonium cum quacunque alia persona eorum conditionem ignorante, aliunde tamen non impedita, contrahere validè possunt, ut cum Gaëta *in can. Ad limina 30. q. 1. §. 4. n. 332.* Brunello *de Sponsal. conclus. 3. n. 3. casu 3.* & aliis in suis *Tract. de Matrim.* tradunt Guttierez *cap. 90. n. 20.* & Sanchez *Lib. 7. disp. 19. n. 2.*

3. Sed de Mancipiis, seu Servis propriè dictis, quales de Jure sunt, qui vel justô & publicè indictô bellô capti, servatique, & capientis dominio subjecti, §§. *Servi 3. & 4. Instit. de Jure personar. & l. Et servorũ 5. §. 1. ff de Statu hominum*, vel ex servilis conditionis matre nati, §§. *citt. & l. Partum 7. C. de R. V.* vel, cùm viginti annis essent majores, scientes prudentésque ad participandum pretium se venundari passi sunt, *l. 1. ff. & C. Quibus ad libert. proclam.* & nonnulli alii, apud Tholos. *Syntagmat. Lib. 14. cap. 3. num. 2.* De quibus

Convenit inter DD. primò, validum esse matrimonium, quô servus aut ancilla alteri, etiam servilis conditionis, personæ desponsatur, *can. Omnibus 29. q. 2. & c. 1. hâc Rubr.* quia Ecclesia, considerans homines, spectatâ naturâ, omnes esse æquales, sicut à Baptismi & reliquis, quæ gratiâ suscipientis conferuntur, sic etiam à matrimonii Sacramento nec liberum nec servum censuit removendum, ut dicitur *c. 1. cit.* 4.

An autem hoc inire servus & ancilla dominô invitô aut insciô valeant, dubium reddit Imprimis authoritas Concilii Cabilonensis, *Decreto de Servorum conjugiis non dirimendis*, subjicientis, hoc in illis observandum, quorum conjunctio Legalis fuit, & per voluntatem dominorum, ut refertur, *can. fin. 29. q. 2.* Unde, his nolentibus & invitis, initũ dirimi posse argumentô ductô à contrario infertur: Deinde paritas cum professione Religiosa: ad quam servus invitô aut insciô domino non admittitur, *cann. Si quis servum 37. & 38. &c. 17. q. 4.* & cum sacris Ordinibus: quos istô invitô servus recipere, & ipsi conferre Episcopus prohibentur *can. fin. dist. 51. can. 1. can. Nulli 2. &c. dist. 54. c. 1. & c. de Servorum 2. de Servis non ordinand.* Imò sic ordinatus deponi & domino restitui jubetur *c. De servorum 2. Rubr. citt. can. Ex antiquis 9. & can. Frequens 10. dist. 54.* 5.

Sed ista speciem majorem, quam vim habent; quia *can. fin. cit.* textum per particulam

ticulam *Maximè* supplendum ; ut sensus sit, servorum matrimonia non dirimenda, maximè quando per voluntatem dominorum contracta sunt, ibi notat Glossa *fin.* à DD. passim recepta. Neque eadem matrimonii ratio est, quæ Religiosæ professionis & sacræ Ordinationis; cùm per hanc & illam homo Deo & Divinis obsequiis pro toto vitæ tempore mancipetur : & propterea à servitiis domino exhibendis magis impediatur, quàm per matrimonium, quô jam initô solita obsequia illi præstare servus potest & debet, per textum *c. 1. cit. in fine.*

6. Quare magno DD. consensu & meritò recepta est doctrina S. Thomæ *in 4. dist. 36. q. unica, art.* 2. pro valore conjugii à servo sine domini consensu initi, stantis propter claram decisionem *c. 1. cit.* & istâ non minùs claram rationem; quia matrimonium Naturali & Divino Jure concessum est homini in remedium concupiscentiæ, ad gravium carnis delictorum evitationem & humani generis conservationem propagationémque : quæ ipsi à dominis auferri non possunt. Imò isti graviter peccant, si servos, ne jure conjugii, à Natura inducti uti possint, prohibeant, aut isto utentes duriùs tractent, ut ex communi aliorum sententia docent *citt.* Sanchez *disp. 21. n. 3.* & Perez *disp. 25. s. 6. n. 4.* etsi ab his dominorum consensum peti, iis debita reverentia exigat, saltem casu, quô matrimonium malitiosè impediendum non timetur, ut monet Coninck *disp. 31. dub. 2. n. 32.*

7. Convenit inter DD. secundò, valere matrimonium, quod liber, sive vir sive fœmina, contrahit cum ancilla vel servo, si ille servilem istius conditionem non ignoret, per claros textus *can. Si quis liber 2. Si quis ingenuus 4 can. Si fœmina 5. cit. q. 2. c. Proposuit & c. fin. citt.* quibus correctum est Jus Civile, inter liberum & ancillam conjugium reprobans *l. Cùm ancillis 3. C. de Incestis Nuptiis*, Joan. Andr. in *c. 1. hâc Rubr. n. 3.* Panormit. *in c. Proposuit cit. n. 3. citt.* Guttierez *n. 23.* & Sanchez *n. 13.*

Convenit inter eosdem tertiò, invalidum contrà, nullúmque esse matrimonium, quod liber, sive vir sive fœmina, contrahit cum ancilla vel servo, si conditionem istius servilem ignoret, *ex can. Si quis ingenuus & cc. citt.* decisionibus indubitatis. Ratio autem, cur ob conditionis servilis potiùs, quàm alterius qualitatis ignorantiam, sive errorem circa illam, matrimonium irritatum sit, reddi solet duplex. Una; quòd in tali contractu propter nimiam inæqualitatem statûs præsumatur non interveniisse sufficiens consensus in personam : sine quo conjugia non ineuntur, *c. Cùm locum 14. &c. de Sponsal. & l. Nuptias 30. ff. de R. J.* Altera, quam SS. DD. Angelicus & Seraphicus *in 4. dist. 36.* ille *q. unica, art. 1.* iste *q. 2. art. 1.* afferunt; quòd servitus, licet non excludat, multùm tamen præjudicet tribus conjugii Bonis, *can. Omne 10.* junctâ Glossâ *V. Eôdem, 27. q. 2.* relatis. Bono quidem Sacramenti & individuæ vitæ societati cohabitationíque conjugum; quia servus à domino in servitiis detineri potest, *c. 1. cit.* Bono fidei conjugalis; quia debitum non omnino liberè, sed solummodo quatenus domini servitia permittunt, reddere valet, *arg. c. 1. cit.* Bono prolis; quia hanc commodè alere, hoc ipsô; quòd omnia domino acquirat, *§. Item vobis 3. Instit. Per quas personas cuique acquir.* ejúsque educationi vacare non possit; cùm non sit in ejus potestate : sed domini, cujus ancilla est mater, *can. fin. 32. q. 4. c. fin. de Servis non ordinand. & §. Servi 4. Instit. de Jure person.* Quibus bonis, cùm error circa qualitates alias per se non repugnet, mirum non est, quòd 8.

matrimo-

matrimonium conditionis servilis potiùs, quàm alterius qualitatis errore dirimatur. Unde

9. Dubium oritur primò de matrimoniis ab homine libero cum liberâ, quam ancillam: à servo cum liberâ, quam ancillam: ab eodem cum ancilla, quam liberam existimavit. Quæ pro invalidis aliqui habent apud Glossam *in can. Unic. V. Secunda, 29. q. 1.* quòd his casibus omnibus statûs, & postremò etiam servilis conditionis error interveniat. Nihilominus, ejusmodi matrimonia Jure subsistere, cum Hostiensi *in Summa, de Conjug. servor. n. 9.* Panormit. *in c. Proposuit cit. n. 2.* Gaëta *cit. §. 4. n. 33.* Navarro *Manual. cap. 22. n. 33.* & aliis præcipui nominis TT. & Canonistis indubitatè, & meritò defendit Sanchez *cit. disp. 19. n. 23.* & evincit ratio; quia Ecclesia matrimonia inter liberam & servilem personam eô solùm casu irritavit, quô ignoratur status, contrahentis conditionem reddens deteriorem: quod non accidit casibus, quibus à libero credebatur ancilla, quæ libera, aut à servo ancilla, quæ libera, vel etiam libera à servô existimata est, quæ fuit ancilla.

10. Dubium & controversia secundò est de Jure, quô servilis conditionis ignorantia matrimonium dirimit. Naturali existimant Sylvester *V. Matrimonium 6. q. 1. & 2.* & Almainus *in 4. dist. 36. q. unic. in fine*, cùm propter defectum consensûs: tum propter repugnantiam cum tribus bonis matrimonii proximè declaratis. A solô autem Ecclesiasticô, quod *can. Si quis ancillam c. Proposuit & c. fin. citt.* habetur, eam dirimendi vim provenire, cum S. Thoma *cit. q. unica, art. 1. ad 3.* S. Bonaventura *cit. q. 2. art. 1.* & aliis antiquioribus volunt *citt.* Guttierez *cap. 90. n. 1.* & Sanchez *n. 16.* Quorum sententiam, licet priori præferam

Præ eâ tamen arridet distinctio, 11.
quâ utramque illorum Opinionem in concordiam reducere conantur Pontius *Lib. 7. de Matrim. cap. 43. n. 2.* Perez *disp. 25. n. 4.* & Barbosa *in c. Proposuit cit. n. 2.* Vel enim, inquiunt DD. isti, liber habet intentionem non nisi cum libera contrahendi, aut sub ea conditione expressa contrahit, vel non? Si prius, matrimonium Jure Naturali irritum est, propter defectum consensûs apertum. Si posterius & sine ejusmodi intentione vel conditione contrahit, conjugium solô Jure Ecclesiastico, legibus ex aliqua parte deferente, est irritatum, cùm; quia hujusmodi error, quòd nec circa substantiam personæ, neque circa qualitatem in hanc redundantem versetur, consensum in personam non excludit: tum verò; quia, licet conditio servilis usum & perceptionem Bonorum matrimonii reddat difficiliorem, eum tamen non tollit; cùm servus debiti reddendi & exigendi potestatem liberam habeat pro tempore, quod à domini servitiis vacuum habet, & ei relinqui debet; quia dominorum in servos, secundùm leges Civiles latè patens potestas, ab Ecclesia multùm, itáque temperata est; ut non solùm vitæ necisque in eos potestas dominis non competeret: sed eos etiam servitiis ita distrahere, ut à matrimonii, ad humanæ etiam infirmitatis remedium instituti, usu omnino impedierentur, non liceret, secundùm communem sententiam multorum, quos *citt.* Sanchez *disp. 22. n. 11.* & huic aliàs, ubi potuit, contrarius Pontius *cap. 42. n. 6. & 7.* sequuntur. Confirmatur; quia, si servitus matrimonii usum & bona omnino tolleret, id à libero cum ancilla initum, irritum foret non solùm, quando servilis conditio ignoratur, sed etiam, quando cognoscitur; quia utroque casu matrimonii substantiæ æqualiter adversatur. At-

tur. Atque ex hac Resolutione

12. Infertur, validum inter infideles esse conjugium, quô liber ancillæ, istius conditionis ignarus copulatur: nisi servilem conditionem excludat ejus intentio, vel matrimonium hujusmodi errore initum propriâ aliquâ lege, seu ordinatione Politicâ sit irritatum: sicut de eo, quod gravi & injusto metu initur, statuimus *Tit. 1. n. 245.* & suadet ratio; quòd legibus Ecclesiasticis infideles non adstringantur, *c. Gaudemus 8. V. Super quo, de Divortiis.*

13. Dubium tertiò est, an conjux liber, detectâ conditione servili, à matrimonio recedere statim possit. Qua in re admodum variant DD. Et casu quidem, quô post conditionem illam detectam inter eos intercessit commercium carnale, antiquô Jure spectatô, recessui locum non fuisse, clarè decisum est *c. Proposuit & c. fin. citt.* & in posteriorem textum notat Glossa *V. Nec facto*; propter præsumptionem affectûs conjugalis in illo intervenientis, & ratihabitionis matrimonii priùs contracti, *arg. c. Is, qui fidem 30. de Sponsal. & matrim.* Cujus præsumptionis magno DD. consensu approbata ratio est; quòd in eo affectum conjugalem præsumendô excludatur peccatum: cujus reus utique foret, qui ancillæ, detectâ ejus conditione, aliô quàm maritali affectu copularetur.

14. Novo autem Jure Tridentini, matrimonia præsumpta irritantis *Sess. 24. cap. 1. V. Qui aliter, de Ref. matr.* conjugium, propter servilis conditionis ignorantiam irritum, per supervenientem carnalem copulam non convalescere, sed ad eius ratihabitionem Parochi & duorum vel trium testium præsentiâ denuo opus fore, rectè monent *citt.* Guttierez *cap. 30. n. 9.* Pontius *cap. 47. n. 5.* & Barbosa *in c. Proposuit cit. n. 5.* extra casum, quô ejus priùs initi nullitas non posset probari, ut *Tit. 3. à n. 33.* statuimus.

Casu autem, quô servilis conditionis notitiæ carnalis copula non supervenit, recessum à conjugio aliqui indiscriminatim & propria authoritate permittunt. 15. Alii meliùs rem expediunt beneficiô distinctionis: & à communi quidem thoro de servili alterius conditione certo conjugi recessum statim permittunt: imò carnale commercium ipsi post Tridentinum priusquam, conjugium denuo & legitimè initum sit: & ante illud Concilium, saltem in conjugio persistere nolentibus, illicitum volunt; propter notam conjugii nullitatem. A cohabitatione 16. autem & cæteris obsequiis conjugalibus & ab ipso conjugio publicè noto recedere volentibus opus esse, docent, judiciô Ecclesiæ, *arg. c. Proposuit c. fin. citt.* & *c. Porro 3. de Divortiis.* Unde non obscurè colligitur, conjugium sine authoritate Ecclesiæ, quâ contractum est, non esse dissolvendum, *arg. c. 1. de R. J.*

Dixi, *A conjugio publicè noto*; quia, 17. si id esset occultum, ut neque Parochi aliorúmque ejus contractui præsentium testimoniô, neque ex libro Parochiali, propter illorum obitum & istius interitum probari posset, cognita conditione servili recessum propria authoritate permissum, cum Sylvestro *V. Matrimonium 8. q. 2. d. 10.* & Navarro *Manual. cap. 22. n. 33.* non malè docet Sanchez *cit. disp. 19. n. 7.*

Porro, ut matrimonii dissolutio pro- 18. pter conditionem alterius servilem ab Ecclesia concedatur, ei fides facienda est non tantùm de ejusmodi conditione, sed de istius etiam ignorantia: & illius quidem probandæ onus conjugi libero, eam alleganti, ex communi DD. sensu imponit Mascardus *de Probat. conclus. 1306.*

Ab eodem etiam ignorantiam pro- 19.

bandam, existimat Henriquez *Lib. 11. cap. 10. n. 5.* permotus textu *c. fin. cit.* ubi libero alteri nubendi facultas danda asseritur, si constiterit, quòd ignorantiâ contraxerit, rationem reddit; quòd eam alleget, in eáque se fundet, ac proinde de ipso procedat Regula *l. Ei incumbit 2. ff. & l. Cùm actor 23. C. de Probat.*

At meliùs cum Panormit. *in c. cit. n. 6.* & Alex. de Nevo *n. 5.* duos casus distinguit *cit.* Sanchez *n. 8.* Unum, quô alterius conditio servilis in loco & tempore contracti matrimonii communiter nota: Alterum, quô ita nota non est. Et
20. priori quidem ignorantiam probandi onus imponit alleganti; propter præsumptionem Scientiæ rei, quæ communiter est nota, *can. fin. dist. 16. & c. 1. de Postul. Prælat.* Posteriori verò non suam ignorantiam ab isto, sed, suæ conditionis scientiam conjugi libero non defuisse, probandum, ait, à servo; quòd ignorantia in dubio semper præsumatur: non scientia *l. Verius 21. ff. de Probat.* præsertim facti & statûs alieni communiter non noti, *Reg. Præsumitur 47. in 6.*

Neque aliud eruitur ex *c. fin.* quia de contrahentis ignorantia satis constat, si contrarium, scilicet servilem conditionem ei innotuisse, non probetur, ut *l. cit.* Panormit. observat.

TITVLVS X.

De Natis ex Libero ventre.

SUMMARIUM.

1. *Proles sequitur ventrem seu Matrem:*
2. *Aliquando etiam Patrem.*
3. *Hunc quoad familiam & nobilitatem:*
4. *Illam quoad libertatem & servitutem,*
5. *Locorum consuetudine seclusâ,*
6. *A nobili patre ex ancilla susceptæ proles nobilis non reputatur:*
7. *Antequam libera evadat.*

1. CUm Servilis conditionis homini matrimonio jungi liber & ingenuus, si velit, possit, præsenti Rubricâ agitur de statu prolis, ex conjugio, inter illos inito, procreatæ. Quain re

Regula generalis est; quòd partus sequatur ventrem, *l. Partum 7. C. de R. V.* sive conditionem matris suæ, *l. Nec diutius 22. C. de Agricol. & Censit. & c. fin. de Servis non ord.* ut ex matre, quæ conceptionis, nativitatis, aut inter hanc & illam medio aliquo tempore, etiam per momentum, libera aut etiam liberta, liberæ aut ingenuæ, *pr. Instit. de Ingenuis, l. Et servorum 5. §. 2. ff. de Statu hom. & c. Unico hâc Rubr.* ex ea autem, quæ toto illo tempore ancilla fuit, servilis conditionis proles nascatur, §. *Servi 4. Instit. de Jur. Person.* cujuscunque conditionis fuerit pater, *l. Partum cit.* &, sive illa ab isto ex aliena, sive ex propria ancilla sit procreata, *l. Si ea 2. C. Si mancip. ita fuerit alien.*

Hanc

Hanc tamen quantumvis in Jure admodum fundatam Regulam non parùm difficilem reddunt Primò textus, *Cùm legitimæ factæ sunt nuptiæ, patrem liberi sequuntur*, qui habetur *l. 19. pr. ff. de Statu hom.* sic enim à patre nobili ex plebeia matre, ipsi copulatâ, procreata proles nobilis est, Tiraquell. *de Nobilit. cap. 15. n. 22. & cap. 18. n. 3.* Secundò; quia, idem quoad conditionem ingenuitatis vel servitutis obtinere, non obscurè desumitur ex *c. Licet 3. de Conjug. servor.* quô locô miles, patre ingenuô natus, pro tali habetur, licet matrem habuerit ancillam. Tertiò; quia, si patris nobilitatem, matris autem conditionem servilem proles sequatur, ex patre nobili & matre ancilla procreata proles nobilis simul esset & servilis, quod apertè repugnat; cùm nobilitas sit dignitas, secundùm Bartol. *in l. 1. C. de Dignit. n. 40.* servi autem honorum & dignitatum sint incapaces, *l. Barbarius 3. ff. de Offic. Prætor.* & quoad ea, quæ sunt Juris Civilis, pro nullis habeantur, *l. Quod attinet 32. ff. de R. J.* Quartò, quòd ad generationem prolis æquè, imò principaliùs concurrat pater quàm mater; & propterea illam non istius, sed patris conditionem sequi conveniat, *l. Quæritur 10. ff. de Statu hom.* Quintò; quòd libertas res inæstimabilis, *l. Libertas 106.* & omnibus rebus favorabilior sit, *l. Libertas 122. ff. de R. J.* ideóque, sicut proles ob legitimorum natalium favorem potiùs bonam, impedimentum ignorantis, quàm ejus notitiam habentis parentis malam fidem, *c. Ex tenore 14. Qui filij legit.* sic etiam potius ingenuam patris quàm servilem conditionem matris conveniat sequi, propter maximum favorem libertatis, *c. Licet cit. c. Ex literis 3. de Probat. & c. fin. de Sent. & re judic.*

2. Sed, his non obstantibus, Regula illa firma, & communi DD. sensu receptum est; quòd proles, sicut quoad honores & nobilitatem patris, *l. Cùm legitimæ cit.* ita matris conditionem sequatur quoad ingenuitatem & servitutem, juxta *ll. supra citt.*

3. Rationem utriusque reddit S. Thomas *in 4. dist. 36. q. unic. art. 4.* quòd partus esse à patre recipiat, tanquam à causa efficiente & suæ substantiæ principio nobiliori: mater verò ei ministret plus materiæ, ex qua corpus formatur & augmentatur; & propterea proles quoad ea, quæ pertinent ad esse, ut sunt familia, dignitas, nobilitas, patrem: quoad ea vero, quæ corpus potissimùm afficiunt, ut est libertas & servitus, matrem potiùs debeat sequi.

4. Posterioris, sive statuendi; ut partus ventrem, sive ingenuam aut servilem matris conditionem sequatur, rationes alias reddunt JCT.i Primò; quòd quoad istam Juris conditores spectârint id, quod certius est: de partûs autem sola matre certò constet, *l. Filium 6. ff. de His, qui sui vel alieni jur. & l. Quia semper 5. ff. de In jus Voc.* Angelus *ad pr. V. Sed etsi quis, Instit. de Ingenuis, n. 1.* Secundò; quòd mater, dum prole gravida est, in ejus partu & educatione à domini servitiis impediatur, imò in partu de vita periclitetur: quod damnum & periculum ut domino compensaretur, & qui illa patitur, etiam commodum sentiret ac lucrum, *l. Secundùm 10. ff. de R. J.* prolem non ingenuam patris, sed matris conditionem etiam servilem sequi, Jura voluerunt. Tertiò; quòd, licet pater ad generationem concurrat principaliùs, mater tamen plus conferat, eam in & extra uterum suâ substantiâ nutriendô; ut meritò, sicut germina terræ potiùs quàm seminantis, sic proles matris potiùs quàm patris fructus reputetur.

Rationes contra Regulam allatæ speciem majorem, quàm vim habent. Prima; quia *l. cit.* juxta Regulæ partem priorem de

rem de familia & honore patris à DD. passim: A Besoldo autem *Oeconomia Lib. 1. Tit. 5. & 6 ff. n. 8.* & Harprecht *pr. Instit. de Ingenuis, n. 11.* intelligitur de liberis procreatis ex nuptiis justis, non secundùm sacros Canones, secundùm quos inter liberum & ancillam & vicissim veræ nuptiæ intercedere possunt, *can. Si quis liber 2. can. Si fœmina 5. &c. 29. q. 2. c. Proposuit 2. & c. fin. de Conjug. servor.* sed secundùm leges Civiles, hoc est, de iis initis inter duos liberæ conditionis; quia secundùm eas inter servos & cum servo justum matrimonium non constat, *pr.* ibi *Cives Romani, Instit. de Nuptiis, l. Cùm ancillis 3. C. de Incest. nupt. & l. Si servi 23.* junctâ Glossâ *C. ad L. Jul. de Adult.* Gonzalez in *c. fin. de Conjug. Servor. n. 4.*

5. Secunda; quia *c. Licet cit.* miles pro ingenuo habitus est propter specialem consuetudinem loci, ingenuam aut servilem prolis conditionem non à matre, sed à patre desumentis, contra Jus commune: cui per illam, si Naturali & Divino Juri non repugnet, & aliunde irrationabilis non sit, derogari posse, liquet ex *c. fin. de Consuetud. & c. Licet cit.* derogatum Interpp. passim agnoscunt.

6. Tertia; quia, ut rem hanc pulchrè declarat Sanchez *Lib. 7. de Matrim. disp. 24. n. 4.* licet à patre nobili ex ancilla procreata proles, hoc ipso; quòd servilis sit, durante statu servili nobilitatem impediente, nobilis dici non possit: per manumissionem tamen, sicut consequitur libertatem, sic etiam gaudeat nobilitate, sanguini inhærente; & Juris impedimentô sive servitutis velamine remotô, detectâ, & quodammodo reviviscente: sicut à patre nobili ex matre plebeia & soluta suscepta proles, licet, naliũ defectu durante, pro nobili non habeatur, Tiraquellus *de Nobilit. cap. 15. n. 10. arg. l. Humilem 7. C. de Incest. nupt.* illô tamen per matrimonium inter parentes postea initum sublatô, simul legitima, atque nobilis evadit, ut *arg. c. Tanta 6. Qui fil. legit.* idem docet *n. 20. & 23.* 7.

Postremæ duæ partim; quia juxta Regulæ declaratæ partem priorem proles patrem, tanquam principium nobilius sequitur quoad familiam & honorem: partim verò; quòd libertatis favori prævaluerint rationes pro ejusdem Regulæ altera parte allatæ. Accedit; quòd etiam secundùm hanc favor proli præstetur; cùm, si matrem, istius libertas ei tribus scilicet conceptionis, nativitatis, & inter utramque medio: si verò patrem sequatur, hujus libertas illi unô duntaxat conceptionis tempore, quô ab ipso esse accipit, prodesse possit, ut Salycetus *in l. Partum cit. in fine* Mynsing. *in §. Inst. de Ingenuis* & Gonzalez *in c. fin. de Servis non ord. n. 13.* observant.

TITVLVS XI.

De Cognatione Spirituali.

Cognatio, Nuptialium obstaculorum præcipuum, triplex est, Naturalis, Legalis & Spiritualis: quarum ista, originis antiquitate quidem postrema, dignitate tamen, & propter hanc etiam tractationis ordine prima, hodie ex solo Baptismo & Confirmatione; olim etiã ex Catechismo oriebatur.

ARTICH.

ARTICULUS I.

De Spirituali Cognatione orta ex Baptismo & Confirmatione.

SUMMARIUM.

1. *Hæc oritur ex Baptismo,*
2. *Et Confirmatione,*
3. *Non etiam ex aliis Sacramentis.*
4. *Conjugium dirimit Jure Ecclesiastico,*
5. *Olim inter tria:*
6. *Hodie inter duo genera personarum.*
7. *In Baptismo unus vel duo:*
8. *In Confirmatione unus tantùm Patrinus est,*
9. *Qui contrahat spiritualem cognationem.*
10. *Patrinus est parens spiritualis baptizati.*
11. *Ad ejus munus fideles rationis compotes,*
12. *Non tamen omnes admittuntur.*
13. *Cognationem spiritualem ad id admissi omnes,*
14. *Solique fideles,*
15. *Etiam Hæretici contrahunt:*
16. *Nisi Baptismus invalidè collatus,*
17. *Aut sacrilegè iteratus sit.*
18. *Ejus cognationis impedimentum contrahit privatim & in necessitate baptizans:*
19. *Nisi baptizati ex conjuge susceptì sit parens.*
20. *Idem contrahit privatim baptizatum non merè materialiter,*
21. *Sed formaliter levans.*
22. *A conjuge suam, prolem malitiosè baptizante aut levante, debitum exigendi jus amitti,*
23. *Jure & ratione suffulta Opinio,*
24. *Vera est, spectato Jure veteri:*
25. *Cui tamen recentiori Jure ita derogatum est;*
26. *Ut conjugii usus ejusmodi conjugi permittatur:*
27. *Licet contrahatur cognatio verè spiritualis;*
28. *Qua secundùm aliquos contrahitur à Procuratore:*
29. *Secundum alios & verìus à solo Principali,*
30. *Infantem per illum ex Baptismo levante:*
31. *Non etiam à Parocho baptizandi munus alteri committente.*

COgnatio hæc est Propinquitas personarum, ex Ecclesiæ dispositione proveniens ex Baptismi & Confirmationis collatione vel susceptione, Sanchez *Lib. 7. de Matrim. disp. 54. n. 1.* & Laiman. *Lib. 5. Tract. 10. p. 4. cap. 8. pr.* Unde 1.

Patet primò, & à Bonifacio VIII. *c. & §. fin. in 6.* decisum est, ex reliquis Sacramentis cognationem, conjugia dirimentem aut etiam impedientem, non oriri: cujus ratio secundùm S. Thomam *3. p. in addit. q. 56. art. 2.* ea est; quòd, licèt Gratiam sanctificantem, esse spirituale animæ tribuentem, Sacramenta omnia causent, id tamen per modum generationis faciant solus Baptismus & Confirmatio; generationem enim sive nativitatem hominis S. Doctor duplicem considerat: unam *In utero*, quæ in fœtûs conceptione & animatione: alteram *Ex utero*, quæ in ejus in lucem editione consistit. Priori respondet Baptismus, quô vita spiritualis inchoatur. Posteriori Confirmatio, quâ per Baptismum vivificatus homo in lucem, sive in conspectum & aciem editur. Cæteris autem Sacramentis Gratia homini per alimentationis, sanationis sive reconciliationis 2.

tionis aliósque similes modos confertur: & propterea susceptores sive patrini, ab ipso quidem Ecclesiæ nascentis primordio, sed in Baptismi duntaxat & Confirmationis collatione, adhiberi consueverunt. Qui, cùm in spirituali generatione per hæc Sacramenta factâ, vicem patrum gererent, susceptósque pro filiis haberent, & ferè non minori charitate, quàm liberos suos carnales prosequerentur, *can. Ita diligere 30. q. 3.* meritò constitutũ & observatũ est vinculum cognationis spiritualis, dirimens matrimonium inter eos contrahendum.

3. Adversari quidem huic doctrinæ videntur textus *can. Omnes 8. & 9. 30. q. 1.* quibus pœnitentes à Symmacho & Cœlestino summis Pontificibus Episcoporum & Presbyterorum, illos à peccatis absolventium, filii aut filiæ spirituales effici dicuntur non minùs, quàm fiunt eorum, à quibus baptizantur aut suscipiuntur in Baptismo. Sed revera non adversantur; quia cognatio spiritualis à Pontificibus illis agnita, licet similitudinem quandam habeat cum ea, quæ oritur ex Baptismo & Confirmatione; eámque ob causam sacerdotes Patres pœnitentium & hi illorum Filii appellentur: nihilominus; quia gratia in Pœnitentia non per generationis; sed per reconciliationis modum confertur, minùs propriè dicta cognatio est, quæ ex hoc Sacramento, quam ea, quæ oritur ex Baptismo & Confirmatione: neque, sicut ex his orta, matrimónii inter aliquos dirimendi impediendíque vim ab Ecclesia accepit, *c. & §. fin. cit.* Et quamvis in eum, qui cum filia Confessionis peccat, & istius complicem etiam, gravissimæ pœnæ decretæ sint, *can. Si quis sacerdos 9. & can. fin. q. cit.* eorúmque peccatum adulterium & incestus aliquando vocaretur, incestus tamen aut adulterium reipsa non fuit: sed ita appellatum est; quòd propter irreverentiam, quæ Sacramento Pœnitentiæ, etiam quando hoc tanquam medium ad illud non adhibetur, inferri videtur, carnali delictô cum alia commissô gravius & incestui simile sit: propter quam causam id in Confessione necessariò detegendum, cum S. Thoma *in 4. dist. 42. q. 1. art. 2.* Turrecremata *in Summa 30. q. 1. art. 2. n. 4.* & cum aliis docet *cit.* Sanchez *disp. 55. n. 3.*

4. Patet secundò, impedimentum hoc non Naturali aut Divinô, sed Ecclesiasticô Jure introductum; cùm neque cognatio, ex qua impedimentum hoc: neque Sacramenta, ex quibus cognatio oritur, fundamentum habeant in Natura: neque ex sacris literis aut aliqua Ecclesiæ traditione vel Synodali aut Apostolica definitione constet, à Christo, sicut cætera Sacramenta, sic etiam Baptismum & Confirmationem instituente, illorum alicujus administrationi susceptioníque annexam hujusmodi cognationem, matrimonium inter aliquos contrahendum dirimentem, aut etiam impedientem. Confirmatur; quia, si priorum Jurium altero introducta fuisset cognatio spiritualis, ab Ecclesia restringi aut ex parte tolli non potuisset, *arg. can. Inferior 4. dist. 21. & c. Cùm inferior 16. de Majorit. & Obed.* quod tamen pro temporum locorúmque varietate factum, constat ex *c. 1. hâc Rubr.* & Trident. *Sess. 24. cap. 2. de Reformat. Matrim.* & mox subiiciendis.

5. Jure enim antiquô cognatio ista ad plures personas, quàm novissimô, extendebatur; quia illô sive Decretalium Jure ejus fuerunt tres species: quarum prima dicebatur Paternitas, quæ inter baptizantem vel confirmantem & suscipientes, atque etiam eorum, si quas habebant, uxores ex una, & baptizatum vel confirma-

confirmatum ex altera parte, inducebatur, *can. Ex eo,30. q. 4. can. Ita diligere cit. & c. 1. hâc Rubr. in 6.* Altera vocabatur Compaternitas, & inter baptizantem vel confirmantem, inter Patrinum & istorum etiam uxores ante cognitas ex una, & baptizati vel confirmati parentes naturales ex altera parte, oriebatur, *can. Pervenit, q. cit. can. Si quis,30. q. 4. c. Martinus 4. & c. Veniens 6. hâc Rubr.* Tertia erat Fraternitas, & contrahebatur inter filios carnales baptizantis vel confirmantis aut patrini ex una: & baptizatum vel confirmatum, tanquam filium eorum spiritualem ex altera parte, *can. Pitacium 2. can. Non oportet,30. q. 3. c. Tua nos 7. hîc & c. Necdum cit.* ibi, *Inter baptizatum & suscipientis filios.* Ratio autem hujusmodi personas ad matrimonium inter se contrahendum inhabiles reddendi fuit reverentia, quæ baptizantibus, confirmantibus & patrinis à filiis spiritualibus maxima debebatur: & semper, præsertim in primitiva Ecclesia, consueverat exhiberi: & ex ejusmodi cognatione inter hujusmodi & carnales illorum filios orta animorum conjunctio & familiaritas: propter quas potissimùm causas conjugia cognatione Naturali dirimuntur.

6. Novissimô autem Jure S. Synodi Tridentinæ, ad tollenda animarum pericula, scandala, aliáque incommoda, quæ ex hujusmodi cognationis ita latè extensæ ignoratione in Ecclesia orta sunt, ea aut saltem matrimonii dirimendi vis, quam antiquo Jure habuit, tribus modis restricta est *Sess. & cap. 2. cit.*

Et primò quidem; ut matrimonium ratione Baptismi in posterum non dirimatur, nisi inter baptizantem & baptizatum, inter patrinum ex sacro fonte levantem & baptizatum, tanquam inter parentes & filios vel filias spirituales, inter quos orta cognatio Paternitas vocatur: & inter baptizantem vel patrinum ex una, & baptizati patrem ac matrem ex altera parte, tanquam inter Compatres, illos spirituales, hos vero carnales: quæ inter eos cognatio Compaternitas hodiéque appellatur. Eôdem prorsus modô ex Confirmatione orta spiritualis cognatio conjugium non dirimit, nisi inter confirmantem vel patrinum ex una & confirmatum istiusque patrem & matrem ex altera parte.

Secundò; ut in posterum in Baptismo patrinus unus tantùm, vel ad summum unus & una, à parentibus electi, adhibeantur: eorúmque, de contracto spiritualis cognationis impedimento admonitorum, nomina in libro describantur. In Confirmatione vero unus vel una tantùm adhiberi potest, juxta *c. fin. pr. in 6.* esto enim à Tridentino *cap. cit.* unus & una simul adhiberi permittantur in Baptismo, aliter tamen res se habet in Confirmatione, circa quam *c. fin. cit.* dispositionem corrigendi intentio non est expressa: neque eam fuisse credibile est; cùm illius S. Synodi PP. de restringenda potiùs quàm extendenda Spirituali cognatione laborârint. 7.

Neque refert; quòd §. *Ea quoque cit.* ad Confirmationem extendatur decretum de Baptismo; quia §. *Illo* de patrinorum numero non agitur, sed de personis duntaxat spiritualis cognationis impedimentum contrahentibus, decreta extenduntur ad Confirmationem. Ita Suarez *in 3. p. q. 72. art. 10.* Bonacina *de Matr. q. 3. p. 5. §. 2. n. 31.* & Barbosa *de Offic. Episc. Alleg. 30. n. 43.* contra *cit.* Sanchez *disp. 57. n. 9.* 8.

Tertiò; ut casu, quô præter unum tantùm, vel unam designatos alii baptizatum tetigerint, spiritualis cognatio ab his nullô modô contrahatur. Hactenus an- 9.

nus antiqui & noviſſimi Juris Decreta. Ex quibus

10. Porro patrini, qui præter baptizantem ex antiquiſſimo Eccleſiæ uſu intervenire in Baptiſmo ſolenni debent, & in non ſolenni ſeu privato poſſunt, dicuntur ſpirituales Patres ſeu Nutritii eorum, quos in baptiſmo tenent, ex eóque levant, & in his, quæ ad fidem & vitam Chriſtianam pertinent, inſtruendi in ſe ſuſcipiunt obligationem. Unde etiam Suſceptores, *can. Vos ante omnia* 105. *diſt.* 4. *de Conſec.* Fidejuſſores à S. Dionyſio Areopag. *Lib.* 2. *de Eccleſ. Hierarch.* Sponſores à Tertull. *Lib. de Baptiſmo cap.* 3. & 18. Fidei Doctores à S. Auguſtino *Epiſtol.* 23. *ad Bonifac.* & Pædagogi ſpirituales nuncupantur à S. Thoma 3. *p. q.* 67. *art.* 7. & ſpirituales ſuos ex Baptiſmo filios in doctrina & vita Chriſtiana inſtituere tenentur, *can. Vos ante cit.* & Concil. Mogunt. *cap.* 43. ubi relati Leonis III. præceptum eſt, *Ut unusquisque compater ſpirituales filios ſuos Catholicos inſtituat* ſaltem, ſi id non præſtent parentes eorum carnales, & Ludimagiſtri, Catechiſtæ & ſimiles alii omnino deficiant, S. Thomas *q. cit. art.* 8. Suarez & Coninck *q. cit. art.* 8. Laiman. *Lib.* 5. *tract.* 2. *cap.* 9. *n.* 1.

11. Patrinus autem imprimis eſſe debet baptizatus; cùm ad inſtruendum in fide idoneus non ſit, qui fidem in Baptiſmo ipſe non ſuſcepit, *can. In Baptiſmate* 102. *diſt.* 4. *cit.* ubi non confirmatus etiam non admittitur in Confirmatione. deinde compos rationis; quòd iſtius uſu carens nec fidejubere pro baptizato valeat, nec obire munus inſtructoris, Panormit. *in c. Debitum* 4. *de Baptiſmo n.* 3. Navarrus *Conſil.* 2. & 3. *hâc Rubr. cit.* Laiman. *n.* 2. & demum baptizatum per ſe aut alium ſuo nomine id facientem tangere animô patrini munus obeundi & obligationē contrahendi, *citt.* Sanchez *diſp.* 56. *n.* 1. & 5. Laiman. *n.* 2. & Pirrhing *ad hanc Rubric. n.* 37.

Quantumvis autem patrini munere fungi compos rationis Chriſtianus generaliter, nullóque ætatis aut ſexûs diſcrimine valeat, *can. Vos ante cit. c.* 1. *hâc Rubr. in* 6. & Trident. *cap.* 2. *cit.* id tamen licitè non obeunt hæretici, pœnitentes publici & moribus infames, *citt.* Sanchez *diſp.* 60. *n.* 2. & Laiman. *n.* 2. excommunicati vitandi, *arg. can. Qui merito* 29. & *can. Nihil* 34. &c. 11. *q.* 3. *c. Significavit* 16. & *c. Nuper* 29. &c. *de Sent. excom.* parentes reſpectu propriæ prolis, *can.* 1. & *can. Nôſſe* 3. &c. 30. *q.* 1. Abbates & Monachi ſive Religioſi utriusque ſexûs, *can. Pervenit* 20. *V. Ne ergo* 18. *q.* 2. *can. Non licet* 103. *can. Monachi* 104. *diſt.* 4. *cit.* ne ſpiritualis cognationis prætextu nimiam familiaritatem contrahant cum ſecularibus, præſertim feminis: niſi Religioſus ad dignitatem Epiſcopalem eſſet evectus, Gloſſa *in can.* 1. *V. Abſolvit*, 18. *q.* 1. *citt.* Sanchez *n.* 2. & Laiman. *n.* 3. Caſu tamen, quô iſtorum aliquis inſuper habitâ Eccleſiæ prohibitione, patrini munus obiret, ſpiritualem ab eo cognationem contrahi nemo, quod ſciam, inficiatur, *arg. can.* 1. *can. Nôſſe citt.* &c. Ex quibus

Dubium oritur primò, an cognatio iſta etiā ab infidelibus & cum iſtis contrahatur. Ratio dubitandi eſt; quòd eam cum & ab Hæreticis contrahi, nemo facilè inficietur. Cur non etiam à cæteris infidelibus, puta Paganis & Judæis? Et, ſi non ab iſtis, ſaltem contrahi poſſe videatur cum ipſis à Fidelibus, eorum infantes baptizantibus aut ex ſacro fonte levantibus, *arg. c.* 1. *de Converſ. Infidelium*: quô locô impedimentum Criminis cum infidelibus contraxerunt mulieres

lieres Christianæ : etsi illi lege Ecclesiastica, hoc impedimentum constituente, non tenerentur. Ita certè cum Glossa *in can.* 1, *V. Lavacro, 30. q.* 1. sentit Angelus *V. Matrimonium 3. Imped. 2. n. 10.* &, saltem quoad posteriorem partem Henriquez *Lib. 12. cap. 11. n. 3.*

14. Sed verius, neque ab infideli, neque cum ipso cognationem spiritualem contrahi, defendunt Alex. de Nevo *in c. Contracto 5. n. 12. & 13.* Henric. de Boich. *in c. Veniens 6. n. 6.* Bellamera *in c. 1. cit. n. 2.* & alii VV. quos *cit.* Sanchez *disp. 60. n. 7. & 14.* Pontius *Lib. 7. de Matr. cap. 40. n. 2.* & cæteri RR. passim sequuntur. Ratione reddunt prioris; quòd, sicut nondum natus secundùm carnem Naturalis, ita nunquam natus secundùm spiritum Spiritualis cognationis non sit capax. Posterioris verò; quòd, sicut cognatio Naturalis & Legalis, sic etiam Spiritualis reciproca sit : &, hôc ipsô; quòd quis earum aliquâ alteri, etiam iste ipsi eâdem cognatione conjunctus debeat esse; ac proinde, sicut Paganus vel Judæus Christiano, sic vicissim iste illis spiritualiter cognatus nequeat esse.

15. Rationis in contrarium deductæ vis non magna est; quia imprimis Hæreticus hôc ipsô; quòd per Baptismum spiritualiter natus & Ecclesiam ingressus sit, istius legibus afficitur & contrahit cognationem spiritualem, iis introductam, præsertim cùm istius inhabilis redditus non reperiatur. Deinde; quia, ut dictum, omnis cognatio ex sua natura mutua & reciproca est; ac proinde ea, quæ à Pagano & Judæo, etiam à Christiano respectu ipsorum contrahi non potest. Neque locus est *c. 1. cit.* quia pœnali istius impedimentô afficitur sola mulier Christiana : non etiam infidelis, nisi merè indirectè; cùm, si infidelis etiam fuisset mulier, id probabiliùs neutri obstitisset, ut cum *cit.* Pontio *cap. 45. n. 6.* advertit Barbosa *in c. cit. n. 3.*

16. Dubium secundò est, an cognatio spiritualis oriatur ex Baptismo ob materiæ, formæ, vel intentionis defectum invalido. Quod apud *cit.* Sanchez *n. 5.* Doctores passim & meritò negant; quia Jura spiritualem cognationem statuentia eam oriri ajunt ex Baptismo, quô carnaliter genitus spiritualiter regeneratur : ubi autem Baptismus ex quocunque defectu substantiali invalidè collatus est, spiritualis generatio; ac proinde Paternitas, Compaternitas, Filiatio spiritualis non datur; cùm, quòd nullum est, nullum producat effectum, *c. Illud 8. de Jure patron. & l. Si se non obtulit 4. §. 6. ff. de Re jud.* & *Non præstet impedimentum, quod de jure non sortitur effectum*, Regula est *52. in 6.* Confirmatur; quia spiritualis cognatio Baptismi & Confirmationis Sacramentis accessoria est : accessorium autem sequitur naturam sui principalis, & non inducitur, istô deficiente, *Reg. Accessorium 42. in 6.* Unde

17. Infertur temerariâ & sacrilegâ iteratione Sacramentorum illorum non contrahi spiritualem cognationem inter baptizantem vel confirmantem & baptizatum vel confirmatum, aut inter hos eorúmque patrinos, matrimonium contrahendum dirimentem; quòd hujusmodi Sacramentorum iterata administratio & susceptio invalida sit, *can. 47. Apostol.* Concil. Florent. *in Decreto Eugenii §. Quintò*, & Trident. *Sess. 7. can. 9. de Sacram. can. 11. de Baptismo.* Neque etiam casu, quô post Baptismum, in necessitate privatim & sine ullo aut vero patrino collatum, ceremoniæ in Ecclesia supplentur, vel ipse Baptismus iteratur sub conditione, si prius collatum fuisse validum, postea constet; Sotus *in 4 dist. 42. q. 1. art. 2. citt.* Sanchez *n. 6.* &

Perez *f. 3. n. 8.*

18. Dubium & celebris controversia tertiò est, an dictæ cognationis impedimentum contrahatur à laico baptizante privatim & in necessitate. Ratio dubitandi minimè levis est; quòd non contrahatur à parentibus, eô casu proprios liberos baptizantibus; cùm propterea debiti exigendi Jure non priventur, *can. Ad limina, 30. q. 1.* Sed omnino tenendum est, eam induci Baptismo etiam privato, & contrahi ab ejusmodi laico baptizante, cùm; quia Jura inter Solennem & Privatum, à presbytero vel alio collatum Baptismum non distinguunt: tum verò; quia, sicut solenniter, sic etiam privatim & in necessitate baptizatus verè spiritualiter generatur; ac proinde spiritualiter fit cognatus baptizantis, ut cum Panormit. *in c. fin. n. 8.* Bellamera *cit. n. 2.* Brunello *de Sponsal. conclus. 20. n. 20.* Navarro *Manual. cap. 16. n. 34.* & aliis TT. & ICT.is docent Covarruvias *de Sponsal. p. 2. cap. 6. §. & n. 4. cit.* Sanchez *disp. 62. n. 19.* Perez *disp. 29. de Matr. f. 3. n. 2.* & *cit.* Pontius *cap. 41. n. 5.*

19. Neque obstat *can. Ad limina cit.* quia continet casum specialem: quô cognationem, debiti petitioni obstantem, induci Ecclesia noluit; quòd æquum non sit à conjuge, propriam utriusque vel etiam alterius tantùm conjugis prolem in necessitate, & propterea sine omni culpa, imò ex obligatione; ne infans æterna felicitate excidat, baptizante, damnum & privationem juris exigendi debitum conjugale incurri, ut cum Navarro *cap. cit. n. 40.* & aliis *can. cit.* explicant *cit.* Sanchez *Lib. 9. disp. 26. n. 2.* & Barbosa *in can. cit. n. 7. & 9.*

Casu tamen, quô pater propriam prolem, ex fornicatione susceptam, etiam in necessitate baptizaret aut susciperet ex Baptismo, spiritualem cognationem matrimonium, inter ipsum & prolis matrem celebrandum, dirimentem contraheret, *citt.* Sanchez *n. 2.* & Barbosa *n. 6.*

Dubium quartò est, an ejusdem cognationis impedimentum contrahat privatim baptizatum ex baptismo suscipiens; id enim cum Soto *q. 1. cit. art. 1.* generatim negant *citt.* Sanchez *disp. 64. n. 14.* Hurtadus *disp. 18.* & *cit.* Perez *à n. 7.* Rationem reddunt; quòd levatio & susceptio baptizati in Ecclesia instituta sit ut ceremonia baptismi solennis; atque idcirco in privato non necessariò adhibeatur, & adhibita non habeat rationem ceremoniæ, ut ab Ecclesia est instituta: &, qui baptizatum levat, non sit verus & propriè dictus susceptor. 20.

Sed meliori ratione hanc dubitationem alii expediunt auxiliô distinctionis; vel enim, inquiunt, in privato baptismo infans solùm materialiter, vel formaliter tenetur? Si, ut urgente necessitate plerumque solet, materialiter duntaxat & præcisè ad majorem commoditatem baptizantis & absque animo patrini munus obeundi & subeundi ejus obligationem; spiritualis cognatio non contrahitur ex communi omnium doctrina. Si formaliter & spiritualiter, hoc est, animô & intentione patrini munus, prout ab Ecclesia institutum est, exercendi ejúsque obligationem subeundi, ab eo, qui infantem ita tenet, ex Baptismo suscipit, levátque, spiritualem cognationẽ & ex ista proveniens impedimentum nuptiale contrahi, cum Navarro *Manual. cap. 22. n. 4.* probabiliùs sustinent Coninck *disp. 32. n. 39.* Pontius *Lib. 7. de Matrim. cap. 40. n. 5.* Laiman. *Lib. 5. tract. 2. cap. & n. 9.* & Pirrhing *ad hanc Rubr. n. 39.* quòd ex una, hujusmodi patrinus infantem verè teneat, susciptátque 21.

& pro

& pro ipso fidejussor ac sponsor in privato baptismo non minùs sit, quàm in solenni: ex altera verò parte, Jura, sicut à baptizante, sic à tenente ac susscipiente spiritualem cognationem contrahi, asserant generaliter, nullóque discrimine facto inter baptismum privatum ac solennem, *c. Si vir 2. c. Veniens 6. hâc Rubr. c. 1. in 6.* & Trident. *Sess. 24. cap. 2. de Reformat. Matrim.*

Neque contrarium persuadet ratio dubitandi; quia patrini in baptismo non præcisè ut ceremonia ad solennitatem, sed ut fidejussores ac sponsores, licet in privato non necessariò, interveniunt: & cognationem spiritualem inducit non tam solennitas, quàm ipsa susceptio ex Baptismo, sponsióque & fidejussio, atque ex his orta obligatio ex sacro fonte susceptum in doctrina fidei Christianæ bonísque moribus instruendi: quâ patrini saltem juxta dicta in defectum aliorum tenentur.

22. Dubium quintò & DD. in utramque partem magnô studiô agitata controversia est, an debiti conjugalis exigendi jure hodie privetur vir, prolem ex legitima uxore susceptam scienter baptizans aut ex Baptismo levans extra casum necessitatis; eum enim ratione Compaternitatis, ex ejusmodi actu ortæ, debiti illius exigendi jure privatum, *in c. Si vir cit.* notant Hostiens. *n. 3.* Panormit. *n. 5.* Alex. de Nevo *n. 8.* Gaëta *in can. Ad limina cit. §. 4. n. 349.* & Interpp. SS. DD. Angelicus *in 4. dist. 42. q. & art. 1.* Seraphicus *q. 2. art. 1. n. 8.* Sylvester *V. Matrimonium 8. q. 7.* Navarrus *Manual. cap. 22. n. 40. cit.* Sanchez *Lib. 9. disp. 26. n. 7.* & apud hunc alii magnô numerô relati, ductíque Jure & Ratione.

23. Et ex Jure quidem allegant imprimis *can. 1. & can. Si quis filiastram, 30. q. 1.* quô canone utroque conjuges, proprios suos aut eorum unus alterius filium ex Baptismo levantes, vel tenentes in Confirmatione, separari, sive à conjugalis thori usu removeri jubentur indiscriminatim. Deinde *can. Nósse 3. & can. Ad limina 7. q. cit.* quorum locorum priori separantur, sive communis thori usus interdicitur iis, quorum alter filium ex sacro fonte levavit cum alterius consensu: posteriori, qui filium baptizavit, à conjuge non separatur ex ratione; quòd bonâ fide id feciśe dicatur. Unde argumentô ductô à contrario separandũ infertur, si id fecit culpabiliter & extra casum necessitatis. Demum *c. Si vir cit.* quô textu conjux, qui propriam prolem, ullâ necessitate non postulante, scienter ex sacro fonte susscepit, conjugi debitum reddere jubetur; quòd ei fraus sua non debeat patrocinari vel dolus: quæ ratio, cùm quoad debiti exactionem cesset, ex ea hanc illi arguunt interdictam.

Rationem reddunt partim; quòd hujusmodi actu conjuges cognationem spiritualem contrahant, quantùm Jure contrahi potest: & exactio debiti tali conjugi ullo Juris textu non adstruatur; partim verò; quòd impedimentum dirimens, quando supervenit matrimonio jam contracto, debiti exigendi jure generatim privet eum, cujus actione est inductum, ut patet in affinitate, orta ex commercio carnali cum consanguinea conjugis, *c. 1. c. Transmissæ 4. de Eo, qui cognovit &c.* & voto solenni, edito per sacri Ordinis susceptionem vel à sede Apostolica approbatæ Religionis professionem, *arg. c. Quidam 3. c. Placet 12. de Convers. conjug.* Glossa *in Extravag. Antiqua, Joan. XXII. de Voto, V. Consummare.*

Sic roboratæ huic Opinioni non nihil nec nimium tribuendum: & statuendum discrimen est inter Ecclesiæ Jus pri- 24.

ſcum ac modernum.

Et illô quidem ſive antiquô Jure ſpectatô, omnino exploratum eſt, conjugalis debiti exactionem hujusmodi viro interdictam, *can. Si quis & can. Si quis nôſſe citt.* Imò ea inhibita etiam fuit ei, qui ſuam prolem ex ſacro fonte ſuſcepit, aut in Confirmatione tenuit ignoranter, *can. 1. cit.*

25. Iſtô autem ſive recentiori ac modernô Jure ab ejusmodi conjuge debitum, ſicut reddi, ſic & exigi poſſe, cum Gloſſa *in c. Si vir cit. V. Debitum*, Anchorano *ibid. in fine*, Archidiacono *in can. Nôſſe cit. V. In prima*, & Durando *in 4. diſt. 42. q. 1. art. 3. n. 11.* veriſimiliùs defendunt Suarez *in 3. p. diſp. 67. art. 8.* Coninck *diſp. 34. dub. 8. à 66.* & Perez *diſp. cit. ſ. 6. n. 9.* qui ſuam hanc ſententiam deſumunt ex *can. De eo 5. q. cit.* cujus tenor eſt, *Si conjuges legitimi unus vel ambo ex induſtria fecerint*, ut *filium ſuum de fonte ſuſciperent, ſi innupti permanere voluerint, bonum eſt: ſin autem: gravi pœnitentia inſidiatori injungatur & ſimul maneant;* & præcipuè ex *c. Si vir cit.* ubi Alexander III. Archiepiſcopo Salernitano, de viro vel muliere *Scienter vel ignoranter filium ſuum de Sacro fonte ſuſcipientibus* conſulenti, reſcribens, *Non ſunt*, inquit, *ſeparandi, nec alter alteri debitum debet ſubtrahere, niſi ad continentiam ſervandam poſſint induci; quia, ſi ex ignorantia id factum, eos ignorantia excuſare videtur; ſi ex malitia, eiſua fraus non debet patrocinari vel dolus;* ex quo textu utroque, ſicut ut continenter vivant, Eccleſiæ votum eſſe: ſic debiti exactionem utrique permiſſam, perſpicuum imprimis eſt; quia verbis, *Nec alter alteri debet debitum ſubtrahere*, quoad conjugii uſum æqualis poteſtas adſtruitur utrique, tam nocenti quàm innocenti. Deinde; quia prolem ex induſtria & ſine iſta, ſcienter & ignoranter ex ſacro fonte ſuſcipientes æquiparantur quoad permiſſionem actuum conjugalium: neque ut *c. fin. de Eo qui cognovit &c.* inter redditionem & exactionem diſtinguitur. Et demum; quia *can. De eo cit.* ſimul manere & conjugiô uti etiam permittuntur, *Si ambo ex induſtria fecerint*; quô caſu, ſi debitum exigere neuter poſſet, neuter id reddere poſſet vel teneretur; quòd impedimentum voluntariè contrahendô exigendi jure mutuò ceſſerint, eóve à Canone ſint privati; ac proinde nequaquam cum peccandi periculo ſimul manere permittendi, ſed ſeparandi ab Eccleſia fuiſſent.

Ratio autem conjugii uſum utrique 26
permittendi juſtiſſima fuit manifeſtum & evidens incontinentiæ animæque periculum, in quo verſaretur, qui in eodem lecto cum conjuge dormire ſine debiti exigendi jure cogeretur: ut propterea, jure hoc privatum conjugem, aſſerendum non ſit ſine aperto Juris textu, qualis in propoſitæ dubitationis articulo planè deſideratur: ut adeò Sanchez *n. 7. cit.* priſcorum canonum rigorem temperatum, ab eóque *c. Si vir cit.* receſſum, agnoſcens, Doctorum duntaxat auctoritate ſe niti, fateatur.

Neque obſtant *c. cit.* verba, *Ei fraus ſua non debet patrocinari vel dolus*; quia iſta non debiti exigendi jus, ſed ejus ſolummodo reddendi obligationem ſpectant & afficiunt eos, qui conjugibus, quos averſabantur, debitum aliquando negabant prætextu cognationis ſpiritualis: quam illos fraudandi animô, liberos levandô in Baptiſmo vel in Confirmatione tenendô, malitioſè contraxerunt, ut habetur *can. Dictum 4. q. 1. cit.*

Non magis urget ratio, quia, eſto 27
ſpiritualis cognatio, quantùm Jure poteſt, contrahatur: effectum tamen ſeu vim de-

vim debiti conjugalis exactione privandi hodie non habet; quòd post veteres canones quoad separationem à thoro correctos, privatio illa, ut rei gravitas posceret, ullô Jure non exprimatur, neque ex eo clarè inferatur; sicut de affinitate expressum est *c. 1 & c. Transmissæ citt.* & de Voto solenni *ex c. Quidam & c. Placet citt.* infertur.

28. Dubium sextò & non minùs celebris controversia est, à quo spiritualis cognatio contrahatur casu, quô, ut Reges ac Principes hodie solent, infans ex sacro fonte levatur per Procuratorem aut Legatum. Illam ab isto, non eum constituente, contrahi cum Archidiacono *in c. 1. in 6. n. 1.* Franco in ejusdem textûs *pr. n. 6.* Brunello *cit. conclus. 20. n. 21.* Sylvestro *V. Matrimonium 8. q. 7.* & aliis Interpp. ac DD. multis volunt Covarruvias *cit. cap. 6. §. 4. n. 6.* & Sanchez *Lib. 7. disp. 59. n. 4.*

Moventur primò variis textibus, quibus ea, de qua agimus, cognatio contrahi, dicitur à *suscipiente, tenente, sustinente, levante, tangente* baptizatum aut confirmatum, *can. Nôsse, can. Dictum, can. De eo, can. Ad limina &c. q. 1. cit. c. Si vir 2. c. Martinus 4. c. Veniens 6. c. fin. hîc* & Trident. *cit. cap. 2.* quæ verba denotant actionem personalem: & de solo Procuratore, non de Principe, eum constituente, verificantur. Secundò; quòd cognatio Spiritualis æquiparetur Naturali, *c. Debitum 4. de Baptismo*: & Legalem imitetur, *can. Ita diligere cit. & can. Post susceptum 30. q. 3.* non nisi ex actione personali ipsius generantis aut adoptantis exurgente: ut de illa per se, de ista ex *l. Post uxorem 25. §. 1. ff. de Adopt.* constat. Tertiò; quòd, si Parochus alteri committat munus baptizandi, cognatio spiritualis ex Baptismo ab isto, seu à commissario, non à Parocho contrahatur. Cur non etiam à Procuratore, Patrini munus Principis mandatô suscipiente. Ita isti

Sed meliùs, tali casu verum Patrinum esse hunc, sive Principem mandantem; ac proinde ab eo, non à Procuratore vel Legato cognationem spiritualem contrahi, cum Panormit. *in c. Veniens cit. n. 4.* Alexand. de Nevo *ibid. n. 7.* Gaëta *in can. Ad limina cit. §. 4. n. 184. & 390.* Alexand. Carerio *Lib. 2. de Sponsal. cap. 8.* Navarro *Lib. 5. Consil. 90. infine* & aliis antiquioribus defendunt *citt.* Pontius *cap. 39. n. 10.* Perez *s. 7. n. 2.* Barbosa *Alleg. 30. n. 50.* Franc. Leo *Thesaur. Fori Eccles. p. 2. cap. 9. n. 63.* S. Congreg. Cardinal. Trident. Interpp. & Rotæ etiam Romanæ, pro se stantium, authoritatem allegantes.

Ratio unica, sed solida est; quia Patrini munus per alium exerceri Ecclesia- 29.
stica Jura non prohibent: & permittit Consuetudo, quâ à Regibus & Magnatibus, sicut iniri conjugia, sic etiam Patrini munus per Legatos & Procuratores obiri, nemo est, qui ignoret. Unde in iis locum habet Regula *Qui facit per alium, perinde est, ac si faciat per seipsum*, quæ est *72. in 6.* & propterea, sicut conjugium per alium contrahens, conjux: sic infantem ex Baptismo suscipiens per alium, Patrinus, & spiritualis cognatus evadit non minùs, quàm si id faceret per se ipsum. Confirmatur; quia aliàs tali casu verus Patrinus & spiritualis cognatus neuter evaderet; ac proinde Baptismus, contra Ecclesiæ præceptum & nullâ necessitate exigente, conferretur sine Patrino; cùm talis non esset Principalis constituens, ut volunt, qui Opinionem nobis contrariam propugnant: neque etiam Procurator vel Legatus; quia iste non suô nomine, sed alieno suscipiens & spondens, Patrini munus obire non intendit.

Argumenta in contrarium allata ca- 30.

rent difficultate. Primum; quia per Procuratorem *suscipiens, tenens &c.* moraliter suscipere, tenere &c. ipse censetur: sicut matrimonium contrahere, jurare per alium, suo nomine id ineuntem, vel præstantem juramentum, *arg. Reg. cit.*

Secundùm; quia cognatio Spiritualis Naturali *c. Debitum cit.* solùm comparatur quoad distinctionem personarum necessariam ad utramque: Legali autem *can. Ita diligere &c. citt.* quoad vim conjugii dirimendi: non etiam quoad omnem modum, quô contrahuntur. Et, cùm Legali, quò minùs per Procuratorem contrahatur, specialiter obstent Jura, adoptari aliquem per alium non permittentia, *l. Post mortem 25. §. 1. ff. & l. fin. C. de Adoption.* contrà ista, Patrini munus per alium obiri, non prohibeant, & permittat Ecclesiæ consuetudo: ab eo, qui munus hoc in Baptismo per alium obit, spiritualis cognatio & huic annexum nuptiale impedimentum omnino contrahetur.

31. Postremum; quia alia ratio est baptizantis & alia suscipientis; qui enim ex Parochi commissione baptizat, infantem non committentis, sed perinde ut ipse Parochus, proprio nomine, & ut minister Christi, baptizat: contrà Procurator, è Baptismo infantem levans non suo, sed alieno, principalis mandantis nomine, levat, ut observat, Perez *cit. s. 7. n. 4.*

ARTICULUS II.

De eadem Cognatione, orta ex Catechismo.

SUMMARIUM.

32. *Ista professione Fidei nomine baptizati,*
33. *Duobus casibus contrahitur,*
34. *Et matrimonium impedivit ante Tridentinum:*
35. *A quo ejus impedimentum aliqui intactum:*
36. *Alij sublatum volunt,*
37. *Cardinales declarârunt, & probat Consuetudo.*

CAtechismi nomine hôc locô venit institutio seu professio Fidei, quæ ante januam Ecclesiæ super baptizando, vel istius nomine fieri olim, hodiéque consuevit, *can. Ante Baptismum 52. dist. 4. de Consecrat.* cujus impedimentum contrahit, qui pro baptizando, quem à sacro fonte non levat, sive nomine istius, Sacerdoti, *An Sathanæ renuntiet, an credat &c.* interroganti respondet. Quem primis Ecclesiæ seculis à susceptore seu patrino Baptismi diversum fuisse, testis est Hyginus Papa relatus *can. In Catechismo 98. dist. cit.* ubi *In Catechismo*, inquit, *& in Baptismo, & in Confirmatione unus patrinus fieri potest, si necessitas cogat. Non est tamen consuetudo Romana, sed per singula singuli suscipiant.* 32

Idem Nuptiarum impedimentum secundùm multos DD. contrahit, qui, ut hodie non rarò, id facit, cùm post Baptismum infanti in necessitate domi collatum, ceremoniæ in Ecclesia supplentur, Laiman *Lib. 5. Tract. 10. p. 4. cap. 15. n. 1.* & Perez *de Matr. disp. 23. s. 3. n. 1.* 33

Est autem impedimentum Catechismi Cognatio quædam Spiritualis imperfecta: quæ conjugium, non quidem invalidum, sed illicitum facit, *c. Contracto 5. hâc Rubr. & c. Per Catechismũ 2. in 6.* S. Thomã *in 4. dist. 42. q. 1. art. 2.* cùm enim Catechismus sit initium Baptismi, & quædam regeneratio imperfecta per fidem, quam pro infante baptizando patrinus profitetur, fere sicut sponsalia sunt initium 34

initium matrimonii: quemadmodum ex his oritur quædam propinquitas imperfecta, quæ publica Honestas nuncupatur, & matrimonium dirimit, sic ex Catechismo oritur imperfecta quædam propinquitas spiritualis, saltem impediens illud contrahendum. De quo Impedimento

35. Dubium & controversia est, an à S. Synodo Tridentina *Sess. 24. cap. 2. de Ref. Matrim.* fuerit sublatum. Id enim hoc decreto, sicut cognationem spiritualem perfectam, quæ ex Baptismo oritur, ad primum duntaxat gradum, restrictum, cum Cuccho *Lib. 5. Instit. major. tit. 12. n. 19.* & aliis volunt Toletus *Summæ Lib. 7. cap. 14. in fine*, Palatios *in 4. dist. 42. q. unica*, Rebellus *Lib. 3. de Oblig. Justit. q. 18. n. 21.* & Perez *cit. s. 3. n. 4.* Ratio, quâ moventur, ferè unica, sed minimè levis est; quod *cit. cap. 2.* decretum antiqui Juris sit correctorium; ac proinde non patiatur extensionem ad impedimentum, cujus nullam facit mentionem *arg. c. Cùm expediat 29. de Elect. in 6. & l. Præcipimus 32. in fin. C. de Appellat.* Catechismi autem, ex eóque orti cognationis spiritualis imperfectæ impedimenti, nullam faciat mentionem; cùm hoc solummodò impediens sit: decreto autem illo expressè solummodo restringatur impedimentum dirimens cognationis spiritualis, ortæ ex Baptismo, ut patet ex præfatione, agente de matrimoniis, contra Ecclesiæ prohibitionem ignoranter contractis, in quibus, vel non sine magno peccato perseveratur, vel ea non sine magno scandalo dissolvuntur: cujusmodi non est matrimonium initum cum impedimento Catechismi; cùm in eo, hôc ipsô, quod validum sit, sine peccato, & diremptionis seu recessûs obligatione vel Jure perseveretur.

36. Sed istius rationis, quamcunque speciem præseferat, ea vis non est; ut matrimonii impediendi virtutem Catechismo, sive ex isto ortæ cognationi spirituali *cap. 2. cit.* decretô intactam & relictam evincat; cùm eô ex Baptismo ortum cognationis spiritualis impedimentum stabilitum tantùm sit inter baptizantem & ex sacro fonte levantem ex una, & baptizati patrem ac matrem ex altera parte, omnibus inter alias personas hujus spiritualis cognationis impedimentis omnino sublatis: quibus verbis, cognationem generaliter complectentibus, eámque in personis tantùm expressis, cum diserta exclusione aliarum, stabilientibus, etiam ex Catechismo ortæ cognationis spiritualis impedimentum sublatum, præter alios præcipui nominis DD. defendunt, qui matrimonium accuratissimis & uberrimis Tractatibus illustrârunt Guttierez *cap. 84. n. 6.* Sanchez *cit. disp. 10. n. 10.* Pontius *Lib. 6. cap. 11. n. 3.* Parochos idcirco monentes, ut in libro, quô patrinos describunt, exprimant, an in ipso Baptismo, vel in Catechismo tantùm intervenerint; quòd aliàs, an matrimoniale impedimentum contraxerint, non constet.

Neque aliud persuadet ex correctorii Juris natura desumptum argumentum, 37.
cùm; quia antiquioribus Ecclesiæ sanctionibus, quoad Catechismi impedimentum, satis clarè derogatum est Conciliari illo decreto, cognationis spiritualis impedimentum inter certas duntaxat personas, cum aliarum universali exclusione, firmante: tum verò; quia huic *cap. 2. cit.* sensui favet *Motus proprius* Pii V. & Cardd. Trident. Interpp. declaratio apud DD. *citt.* & ipsa ambigui Juris optima interpres Consuetudo, quâ Catechismi impedimentum penitus abolitum, testis ex adversariis est Perez S. *cit. n. 6.*

(o)

TITU.

TITVLVS XII.

De Cognatione Legali.

SUMMARIUM.

1. *Cognatio hæc Legum est inventum:*
2. *Oriturque ex Adoptione,*
3. *Quæ duplex est.*
4. *Et conjugium dirimit inter adoptantem & adoptatum &c.*
5. *Inter hunc & illius filiam naturalem:*
6. *Inter adoptatum & adoptantis uxorem;*
7. *De Jure etiam Canonico.*
8. *Ratio introducti istius impedimenti:*
9. *Quod secundùm multos Adoptione Simplici:*
10. *Verùs solâ Arrogatione inducitur,*
11. *Et perpetuò durat:*
12. *Præterquam inter filios adoptivos & naturales.*
13. *Adoptans cum adoptati matre,*
14. *Filiæ adoptivæ filia,*
15. *Et illegitima adoptivi filia:*
16. *Adoptatus cum adoptantis illegitima,*
17. *Ejúsque filia adoptiva validè copulantur.*

1. COgnatio ista Legalis nuncupatur; quòd originem debeat legibus Civilibus, *l. Adoptivus* 14. *l. Per adoptionem* 17. *l. Quin etiam* 55. *ff. de Ritu Nupt.* §. *Ergo non omnes* 1. & §. *Inter eas* 2. *Instit. de Nuptiis*, à Nicolao I. & Paschali, summis Ecclesiæ Antistitibus, approbatis *can. Ita diligere* 1. *can. Post susceptum* 30. *q.* 3. *& c. Unicô, hâc Rubr.* estque secundùm D. Thomam *in 4. dist.* 42. *q.* 2. *art.* 2. Proximi-2. tas seu propinquitas personarum proveniens ex Adoptione; sicut enim Spiritualis ex Baptismi vel Confirmationis Sacramentorum collatione vel susceptione; Naturalis ex unitate seu participatione sanguinis, sic ex Adoptione oritur Cognatio Legalis.

Est autem Adoptio Actus legitimus, per quem is, qui naturâ non est, assumitur in filium aut nepotem, S. Thomas *cit. q.* 2. *art.* 1. Cui assumptioni occasionem dedit orbitas liberorum: quorum & successionis desiderio apud plerásque Gentes receptum est; ut, qui ex se liberos non haberent, deligerent ex alienis, eáque ratione, quod per naturam deerat, suppleretur Legali inventô Adoptionis: quâ ex alienis assumpti perinde habentur, acsi ex propria uxore essent procreati, *l.* 1. *pr. & l. Is, qui filium* 11. *ff. de Adoptionibus*, Tholosanus *Syntag. Lib.* 10. *cap.* 6. *n.* 1. & 4.

Porro Adoptio duplex est. Una 3. Perfecta, quæ Arrogatio: altera Imperfecta, quæ Adoptio simplex & in specie vocatur, *l.* 1. *cit.* Perfecta sive Arrogatio est, quâ persona extranea, quæ sui juris est, rescriptô Principis transit in potestatem & familiam adoptantis; ut istius hæres necessarius in quarta bonorum parte ex testamento fiat, sicut filius naturalis,

§. *Cùm*

§. Cùm autem 3. Inſtit. & l. Impuberem 2. C. de Adopt. Imperfecta autem ſive ſpecifica, quâ perſona extranea, quæ non ſui juris, ſed in poteſtate & familia patris vel avi ſui naturalis conſtituta eſt, manétque, ab aliquo cujuslibet judicis competentis authoritate in filium aut nepotem aſſumitur, quin tranſeat in ejus poteſtatem ac familiam: & propterea non fit adoptantis hæres neceſſarius ex teſtamento: licet ei inteſtato ſuccedat, §. 1. §. *Sed hodie 2. Inſtit. de Adopt.* Quæ latâ & accuratâ diſcuſſione Juris Imperialis Interpp. ad *Rubric. cit. C. ff. & Inſtit.* proſequuntur. Hôc locô ejus, quæ adoptione inducitur, Cognationis & impedimenti nuptialis declarationem reddemus.

4. Ex declarata igitur adoptione ortæ Cognationis tres ſpecies à DD. referuntur. Prima in linea Recta inter eos, qui parentum & liberorum locô ſunt: ut inter adoptantem & adoptatum atque ab iſto deſcendentes, *l. Quin etiam cit.* cujus *pr.* nefas exiſtimatur, eam uxorem ducere, quæ per adoptionem filia, neptíſve eſſe cæperit in tantùm; ut, licet per emancipationem adoptio diſſoluta ſit, idem Juris maneat: Cui conſonat §. *Ergo cit. V. Et*

5. *hac adeò & can. Ita diligere cit.* Secunda in linea Transverſa inter adoptatum & filios naturales adoptantis, *l. Per adoptionem & §. Inter eas citt.* Unde translatus eſt *c. Unici cit.* textus, *Si qua per adoptionem mihi ſoror eſſe cæperit, quamdiu durat adoptio, inter me & ipſam nuptiæ con-*

6. *ſiſtere non poſſunt.* Tertia ad modum Affinitatis inter adoptantis uxorem & adoptatum: atque etiam inter adoptantem & uxorem adoptati, *cit. l. Adoptivus filius, ſi emancipetur, eam, quæ patris adoptivi uxor eſt, ducere non poteſt; quia noverca locum habet.* Pro quarum Cognationum meliori notitia

7. Dubium moveri & quæri ſolet primò, an iſtæ Legalis Cognationis ſpecies omnes obſtent matrimoniis contrahendis. Et de duabus quidem prioribus id plerique facilè concedunt, propter *can. Ita diligere, can. Poſt ſuſceptum & c. Unici citt. textus* De poſtrema id aliqui, ab Hoſtienſi *in c. cit. n. 3.* ſuppreſſis nominibus relati, negant; quòd ſacri Canones ejus nullam faciant mentionem.

Sed meliori ratione matrimonii dirimendi vim, cum Joan. Andr. *in c. cit. n. 5.* & Alex. de Nevo *ibid. n. 9.* maximo conſenſu ipſi adſtruunt cæteri DD. quòd ſacri Canones ejus, licèt non expreſſis verbis, ſatis tamen meminerint *can. Ita cit.* & generali, *hâc Rubricâ* approbando leges Civiles, ejus, de qua agimus, Cognationis, & ex iſta orti impedimenti inventrices, & univerſali Eccleſiæ conſuetudine confirmatas.

Ratio autem hujus impedimenti introducti præcipua fuit honor, reverentia 8.
& ſubmiſſio, quam adoptanti adoptivus ferè non minorem, quàm parenti ſuo carnales liberi debent & conjugum carnale commercium multùm diminuere eſt viſum: & ſpecialis amor, conjunctio & familiaritas inter filium adoptivum & liberos adoptantis naturales; ut, niſi conjugii inter ipſos coalituri ſpes præciſa fuiſſet, facilè in libidines prolaberentur, S. Thomas *cit. art. 2.* & Sanchez *Lib. 7. de Matrim. diſp. 63. n. 16.*

Majus dubium & inter DD. in u- 9.
tramque partem militantes, multùm agitata quæſtio eſt, an impedimentum hoc inducat Cognatio Legalis orta ex adoptione ſimplici & imperfecta. Id enim etiam iſtâ induci, in *c. Unic. cit.* cum Gloſſa *fin.* notant Panormit. *n. 5.* Anchoran. *n. 8.* Alex. de Nevo *n. 12.* Henric. de Boich. *n. 5.* quorum Opinionem amplexi ſunt ex TT. Scotus *cit. diſt. 42. q. unic.* Pontius *Lib. 7. cap. 41. pr.* Hurtad. *de Matrim.*

disp. 19. difficult. 2. n. 3. Palao *Tract. 28. disp. p. & n. 9.* ex JCT.is Speculat. *Tit. de Legal. Cognat. §. unic. n. 1.* Covarruvias *p. 2. de Sponsal. cap. 6. §. 5. n. 2.* Guttierez *de Matr. cap. 102. n. 5.* Barbosa *de Offic. Episc. Alleg. 51. n. 189.* & Gonzalez *in c. Unic. cit. n. 10.* Contrà id ex sola arrogatione oriri, cum Glossa *in Summa 30. q. 1.* Innocentio *in c. Unic. cit.* & Sylvestro *V. Matrimonium 8. q. 8. d. 4.* ex RR. defendunt Henriquez *Lib. & cap. 12. n. 3.* Sanchez *cit. disp. 63. n. 9.* Diana *p. 4. Tract. 4. resol. 120.* & ad hanc Rubric. Canisius *n. 3.* Pirrhing *n. 4.* Engel. *n. 3.* & Wagnereck *not. 5.*

Illi, utrâque Adoptionis specie matrimoniale impedimentum induci, unicâ, sed palmari ratione evinci, volunt; quia etiam simplex, etsi imperfecta, hoc est, minùs quàm Arrogatio perfecta, vocetur, vera tamen & propriè dictæ Adoptio est, & reputatur §. 1. *Instit. de Adopt.* quô textu veræ ac propriè dicta Adoptionis species duæ Arrogatio & Adoptio simplex referuntur; ac proinde Jura tam Imperialia, quàm Ecclesiastica, quibus impedimentum hoc proditum aut receptum est, cùm loquantur generaliter & indistinctè, sine exceptione & distinctione de utraque sunt intelligenda, secundùm *l. Non distinguemus 32. ff. de Recept. Arbitr.* quod lege Hispanorum Regia *citt.* Guttierez §. *Ego verò* & Palao *n. 9.* confirmant.

10. Isti contrà, propositum nuptiale impedimentum ex sola Arrogatione oriri, suadent, & mihi fere persuadent, geminâ ratione. Una est; quòd in adoptatis simpliciter, hôc ipsô; quòd in adoptantis potestatem, familiam & domum non transeant, omnino cesset periculum incontinentiæ & libidinum: ad quod tollendum diminuendúmve, introductô impedimentô, conjugii cum adoptivo potiundi spes adoptantibus & istorum uxoribus ac liberis est præcisa. Altera ratio, quâ id evincunt, unáque adversæ partis fundamentum convellunt, est; quòd sanctiones Ecclesiasticæ, licet in terminis & expressè non distinguant; id tamen non obscurè faciant *Rubrica præsens & can. Ita cit.* textus, approbandô leges Romanas, quibus connubiale hoc obstaculum proditum est; quia supra *n. 4.* ex *Pandectis*, relatarum *l. Adoptivus 14. §. 1. l. Per adoptionem 17. & l. Quin etiam 55. §. 1.* textus, qui istius impedimenti ante alios meminerant, satis clarè loquuntur de Arrogatione, adoptatum subjiciente potestati adoptantis: Recentiora autem hoc est; *ll. antè citt.* posteriora Jura Romana, perinde ut sacri Canones, ab earundem *ll.* dispositione lucem & interpretationem accipiunt; ut minimè necessaria, maximéque evitanda Jurium correctio evitetur, *arg. l. Præcipimus 32. C. de Appellat. & c. Cùm expediat 29. de Elect. in 6.*

Confirmatur hæc ratio; quia matrimonium est res admodum favorabilis, *c. fin. de Sent. & re jud. c. Directæ 39. de Appell. & c. fin. de Condit. appos.* ut propterea Jura id prohibentia & irritantia, cùm ambiguus eorum sensus est, restringenda potiùs sint, quàm extendenda, *Reg. Odia 15. in 6.* Unde sacri Canones, & ipsæ etiam leges Civiles recentiores de Cognatione orta ex adoptione, & huic annexo conjugiorum obice agentes, in dubio meliùs ad arrogationem restringuntur secundùm *ll.* Pandectarum antiquas, quàm contra istas ad simplicem adoptionem extenduntur.

Dubium tertiò est, an Cognatio Le- 11.
galis perpetuò, aut quamdiu dirimat matrimonium contrahendum. Et primâ quidem ejus specie hoc perpetuò, & adoptione etiam per emancipationem dissolutâ, dirimi, ex §. *Ergò l. Per adoptionem &*

nem & can. Ita diligere citt. indubitatè constat; quòd, licet emancipati gradum liberorum amittant, nec ullum ex pristino vestigium retineant, *§. Minùs ergo 11. Instit. de Hared. ab intest. & l. In omni 13. ff. de Adopt.* tamen maneat ratio Honestatis: quæ uxorem, non patitur esse, quæ per adoptionem filia esse cœperit vel neptis, *§. Ergo cit.* De tertia, quæ inter adoptatum & adoptantis uxorem intercedit, idem desumitur ex *l. Adoptivus cit. pr. & §. 4. V. Quidam*; quòd, licet non sit mater nec cognata, tamen novercæ ha-
12. beat locum *pr. cit.* Secunda verò, quæ inter liberos adoptantis naturales & adoptivum contracta est, matrimonium inter eos non perpetuò, sed tamdiu solùm dirimit, quamdiu adoptio durat, *can. Post susceptum* & clariùs *c. Unic. citt.* Unde, patriâ potestate per adoptantis mortem & emancipationem filii adoptivi aut naturalis solutâ, inter eos conjugium consistere valet, *§. Per adoptionem post can. cit.* cùm illâ solutâ adoptatus & filia naturalis frater & soror desinant, & iste extraneus incipiat esse *l. Quin etiam cit. in fin.*

13. Sicut inter adoptivum & naturalem filiam solutâ, sic durante adoptione matrimonium consistere valet. Primò, inter adoptantem & matrem adoptati; cùm inter eos cognationem contrahi & conjugium dirimi, ullo Jure cautum non reperiatur, Sylvester *cit. q. 8. d. 2.* & Navarrus *Manual. cap. 22. num. 45.*

14. Secundò, inter adoptantem & filiæ adoptivæ filiam; quia ista non est in matris suæ; ac proinde neque in adoptantis transit potestatem, *§. Fœmina 10. Instit. de Adopt.* neq; ab isto censetur adoptata, *arg. l. Si Paterfamilias 15. eâdem Rubr.* Sylvester *q. cit. d. 5.* & Sanchez *cit. disp. 67. n. 35.*

15. Tertiò, inter adoptantem & filiam illegitimam filii adoptivi; cùm hæc non sit in potestate adoptantis, *§. Si adversus 12. Instit. de Nuptiis, citt.* Covarruv. *§. 15. n. 2.* Sanchez *n. 35.* & Palao *n. 14.*

16. Quartò, inter adoptatum & filiam adoptantis carnalem illegitimam; quia ista nomine filiæ naturalis non venit, *text. citt.* neque est sub patria potestate, *§. Si adversus cit.* qua cessante adoptio, & cum ista cognatio ac matrimoniale obstaculum cessat, *§. Per adoptionem 30. q. 3.* Glossa *in c. Unic. cit. V. Quamdiu* Navarr. *l. cit.*

17. Quintò inter filium & filiam duorum fratrum adoptivorum; cùm nullô cognationis vinculô sint conjuncti. Imò etiam inter duos adoptivos, cùm; quòd id nullo Jure vetitum sit: tum verò; quòd matrimonium consistere valeat inter filium & filiam spiritualem, licet magis conjuncti sint, quàm adoptivi. Ita cum Glossa *in c. unic. cit.* Covarr. *cit. §. 5. in fine* & aliis DD. relatis Diana *p. 4. Tract. 4. resol. 121.*

TITVLVS XIII.

De Eo, qui cognovit Consanguineam Uxoris suæ vel Sponsæ.

SUMMARIUM.

1. *Peccans cum consanguinea uxoris, debiti ab ista exigendi,*
2. *Et contrahendi alterius matrimonij spem amittit:*
3. *Licet*

3. *Licet uxore jam mortuâ cum illa peccet.*
4. *Peccans cum consanguinea sponsæ, neque hanc,*
5. *Neque etiam aliam ducere potest, si illa primò gradu sit conjuncta,*
6. *Quamdiu complex vivit.*
7. *Eadem ratio est fœminæ cum mariti aut sponsi:*
8. *Et secundum aliquos cum propriis consanguineis peccantis.*
9. *Verius impedimenta illa hôc incestû non contrahuntur:*
10. *Imò neque incestû alio: nisi is verus,*
11. *Consummatus,*
12. *Scienter,*
13. *Et voluntariè etiam commissus sit.*
14. *Ut is notorius sit, non exigit Jus:*
15. *Cui hac in re consuetudo ex parte derogavit.*

1. COgnationi Naturali & Affinitati, contractæ mariti & uxoris conjunctione conjugali, hîc præmittitur Affinitas orta ex commercio carnali illicito cum consanguinea uxoris aut sponsæ: quæ matrimonio contrahendo & contracti usui variè obstat.

Primò enim casu, quô maritus incestum committit cum consanguinea uxoris suæ, huic, antiquô Jure spectatô, quartô vel proximiori gradu conjunctæ, *arg. c. Non debet 8. de Consang. & Affinit.* matrimonium quidem, quod ab ipsis antè legitimè fuit contractum, non dissolvitur, maritus tamen cum uxore sua contrahit affinitatem, ipsi (seclusâ dispensatione) auferentem jus exigendi debitum conjugale, *c. 1. & c. Transmissa* 4. licet hoc uxori suæ exigenti reddere teneatur, *c. cit. & c. fin.* Glossa *in c. 1. cit. V. Petere*, & *in c. fin. cit. V. Exactus*, Sylvester *V. Matrimonium 8. q. 15.* Covarruvias *p. 2. de Sponsal. cap. 7. §. 2. n. 6.* Sanchez *Lib. 7. de Matr. disp. 15. n. 6.* & Pontius *Lib. 6. de Matr. cap. 13. n. 8.* Dixi, *antiquô*; quia novissimo Jure S. Synodi Trident. ex copula fornicaria ortæ affinitatis impedimentum non porrigitur ultra gradû secundum *Sess. 24. cap. 4. de Ref. matrim.* ut jam maritus à conjugalis debiti exactione non impediatur: nisi cum uxoris suæ consanguinea illi primô vel secundô gradu conjunctâ, sit fornicatus, ut cum Sà *V. Matrimonium n. 7.* & aliis observat Sanchez *cit. n. 4.*

2. Secundò, eôdem casu, tam maritus uxore suâ mortuâ, quàm istius consanguinea & mariti complex à matrimonio cum quacunque alia persona contrahendo impediuntur, *can. Concubuisti 32. q. 7. c. 1. c. Veniens 2. & c. Transmissa cit.* in pœnam gravissimæ irreverentiæ matrimonii Sacramento & injuriæ conjugi illatæ *cit.* Sanchez *num. 3.* & Pirrhing *ad hanc Rubric. n. 2. & 3.*

3. Tertiò, ab eo etiam, qui incestum cum uxoris suæ jam defunctæ consanguinea committit, alterius matrimonii contrahendi jus amitti, ex *c. Transmissa cit.* cum Gaëta *in can. Ad limina 30. q. 3. §. 4. n. 295.* desumit *cit.* Sanchez *n. 12.*

4. Quartò, casu quô sponsus fornicatur cum consanguinea suæ sponsæ de futuro, isti hodie saltem primo vel secundo gradu conjuncta, inducitur Affinitas dirimens matrimonium contrahendum imprimis inter sponsum & ipsius sponsam cæterásque consanguineæ carnaliter cognitæ consanguineas, ei primô vel secundô gradu conjunctas; ut adeò, quæ inter sponsum & sponsam intercedebant, sponsalia dissolvantur, *cc. Veniens 2. & 9.* Panormit. & Alexand. de Nevo *in c. 2. cit. n. 2.* Deinde inter consanguineam carnaliter cognitam & consanguineos sponsi, huic primô vel secundô gradu conjunctos *cc.*

ctos *cc. citt.* junctô Tridentinô *cap. 4. cit. ubi* Barbosa *n. 5.*

5. Quintò, eôdem casu, si consanguinea, quacum sponsus fornicatus est, sponsæ primô gradu conjuncta, hoc est, ejus mater, filia, aut soror est, sponsus istiúsque complex consanguinea contrahunt impedimentum, ipsis conjugium cum quacunque persona contrahendum illicitum reddens, ut colligitur partim ex *cc. citt.* partim ex decreto S. Synodi Tridentinæ, publicæ honestatis impedimentum, inter sponsum & sponsæ consanguineos ortum ex sponsalibus de futuro, ad primum gradum reducentis *Sess. cit. cap. 3. de Ref. Matr.* Gaëta *cit. §. 4. n. 408.* Guttierez *de Matr. cap. 87. n. 8.* & Sanchez *cit. disp.*

6. *15. n. 5.* Probabiliter tamen impedimentum hoc perpetuum non est; sed solummodo durat, quamdiu vivit complicum uterque; ut adeò istorum alterô mortuô matrimonium inire superstes licitè possit, ut cum Panormit. *in c. Duo pueri 12. de Despons. impub. n. 7.* & Alex. de Nevo *ibid. n. 9.* docent *citt.* Covarruvias *cit. p. 2. cap. 6. pr. n. 4.* & Sanchez *n. 5.* argumentô à contrario ductô ex *c. cit.* verbis, *Neutri, vivente altero, dabitur licentia contrahendi.*

Iis etiam casibus, quibus contra sacrorum Canonum prohibitionem, complice vivente, conjugium inire maritus aut sponsus præsumeret, hoc quidem, quod Jure aliquo irritatum non reperiatur, valore non destitueretur, ejus tamen initi usus illicitus foret; ut conjugale debitum conjugi exigenti reddere duntaxat, non etiam exigere ab eo posset, *citt.* Covarruvias *cap. 7. §. 2. n. 5.* Sanchez *n. 1. & 12.* & Pirrhing *ad hanc Rubric. n. 2. & 5.* Pro dictorum confirmatione occurrendum est

7. Dubio, an impedimentum hoc etiam contrahatur ab uxore & sponsa de futuro carnaliter delinquentibus cum consanguineis mariti vel sponsi. Ratio dubitandi est; quòd *cc. citt.* omnibus fermo sit de viris: iisque in hos constitutæ pœnæ ad fœminas non sint extendendæ: sicut pœnis, in viros raptores fœminarum, à Tridentino *Sess. cit. cap. 6. de Ref. Matrim.* latis, virorum raptrices fœminas non affici, cum Claro §. *Raptus n. 6.* Deciano *Tract. Criminal. Lib. 8. cap. 7. n. 27.* & aliis docet Farinac. *Prax. Criminal. quæst. 145. n. 41. & 42.*

Sed veriùs dicto impedimento ejusmodi incestuosas fœminas, perinde ut viros, obnoxias esse, cum Sylvestro *V. Matrimonium 7. q. 6. d. 3.* Gaëta *in can. Ad limina 30. q. 1. §. 4. n. 295.* Guttierez *cit. cap. 87. n. 3.* nemine in contrarium allegatô, docent *citt.* Sanchez *n. 2.* & Perez *disp. 23. s. 5. n. 2.* propter textus *can. Quædam 19. can. Si quis viduam 20.* ibi, *Si qua cum duobus fratribus seu cum patre & filio, 32. q. 7 & can. Si quis cum Matre, 34. q 2.* de ejusmodi fœminis incestuosis idem differtè, & meritò statuentes; quia eadem ratio est mariti & uxoris, sponsi & sponsæ; cùm incestûs crimen æquè frequens sit in utroque sexu, & ab utroque eadem injuria matrimonio & conjugi vel sponso inferatur: in correlativis autem, ut sunt maritus & uxor, sponsus & sponsa, quando eadem utriusque ratio est, dispositum de uno, etiam de altero dispositum censetur, *arg. l. fin. C. de Indict. vid.* ut eruditè ostendunt Everard. *Legal. arg. loco à Correlativis, n. 8.* & Barbosa *Axiomat. Juris 61. n. 1.* Unde corruit ratio in contrarium allata.

8. Majus dubium est de incestu, commisso cum primi aut secundi gradûs consanguineâ propriâ; eô enim etiam matrimonium cum alia contrahendum impediri, cum Glossa *in can. de Incestu 35. q. 3.* Alex.

q. 3. Alex. de Nevo *in c. Veniens cit. n. 7.* Gaëta *cit. §. 4. n. 295.* Navarro *Manual. cap. 22. n. 74.* & non paucis aliis volunt Pontius *Lib. 6. cap. 13. n. 10.* & Palao *Tract. 28. disp. 4. p. & §. 2. n. 5.* pro sua hac opinione allegantes *can. de Incestis, can. Si quis viduam citt. & can. Si duo 35. q. 6.* quibus & *can. fin. ibid. q. 8.* ejusmodi incestuosis conjugii spem omnem non obscurè præcisam volunt. Neque hoc immeritò; quia incestus cum propria consanguinea gravior est, quàm commissus cum consanguinea sponsæ, aut etiam uxoris.

Sed neque *citt. textus*, neque ratio ista intentum evincunt. Illi quidem; quia prioribus conjugium inter incestuosas duntaxat, non etiam inter alias personas, prohiberi desumitur ex *can. de Incestis cit.* illicitam conjunctionem simul interdicente, & ineundi melioris conjugii libertatem concedente, ut *ibi* advertit Barbosa *n. 3.* Non magis id probat *can. fin. cit.* quia eô incestuosis matrimonii spes ideo solùm adempta est; quòd insuper habitâ Ecclesiæ monitione in flagitio contumaciter perseverârint, Sanchez *l. cit. n. 17.* & Zœsius *ad hanc Rubric. n. 9.* Ista verò sive ratio; quia, licet incestus cum propria consanguinea magis peccaminosus, minùs tamen injuriosus est matrimonio & uxori vel sponsæ, quàm si cum istarum consanguinea committatur; cum his enim commissus inducit affinitatem, privantem jure debiti conjugalis à propria uxore exigendi: & dirimentem matrimonium cum sponsa sua contrahendum.

9. Quare meliùs cum *citt.* S. Thoma *art. 5.* Turrecremata *n. 2.* Sylvestro *q. 6. d. 3.* Carerio *de Sponsal. Lib. 5. cap. 22.* Covarruvia *de Sponsal. p. 2. cap. 6. initiô n. 4.* & aliis, incestu cum propria consanguinea commisso, conjugii cum alia ineundi impedimentum regularitèr induci, negant Henriquez *Lib. 11. cap. 2. §. 4. pr. cit.* Sanchez *n. 16.* & Barbosa *in can. De incestis cit. n. 2.* cùm; quòd hujusmodi incestuosi à matrimoniis nullibi expressè arceantur: tum verò; quòd Jura incestum cum uxoris, aut in eo perseverantiam cum propria consanguinea, ejusmodi spei ademptione plectentia, ad incestum cum propria consanguinea, cum contumacia & potestatis Ecclesiasticæ contemptu non conjunctum, non sint extendenda, *arg. Reg. l. Factum 155 ff. de R. I. & Reg. Odia 15. in 6.*

10. Porro, ut initiô relata conjugiorum impedimenta contrahantur ex communi DD. sententia necessarium est Primò; ut incestus commissus sit cum uxoris vel sponsæ consanguinea vera: non solùm cum cognata ejus spirituali vel legali; quia neque cum tali commissus propriè incestus: neque impedimenta illa etiam incestu impropriè dictô induci, Jure expressum: neque à propriè dicto ad hunc extensioni est locus, *arg. l. Factum cit. §. 2.* Glossa *in Reg. In pœnis 49. in 6.* & à Castro *Lib. 1. de Lege Pœnali cap. 7. docum. 3.*

11. Secundò; ut incestus sit consummatus, hoc est, per carnalem copulam ad generationem prolis ex se aptam perfectus, *can. Extraordinariæ 35. q. 2. & 3.* ut ad hunc textum notant Glossa *V. Impedire* Archidiacon. *n. 3.* Bellamera *n. 2.* & Barbosa *n. 1.*

12. Tertiò; ut casibus memoratis impedimentum, conjugium cum quacunque persona contrahendum impediens: uti & privatio juris exigendi debitum conjugale inducatur, requiritur; ut incestus cum mariti vel uxoris, sponsi vel sponsæ consanguinea vel consanguineo commissus sit scienter, hoc est; ut maritus aut sponsus se cum hujusmodi consanguinea,

sanguinea, & hæc se cum consanguineæ suæ marito vel sponso peccare non ignoret; quòd *c. 1. cit.* clarè est expressum; cùm enim hujus ignorantia ab incestûs culpa excuset, *can. Inebriaverunt, 15. q. 1.* etiam eximet ab incestûs pœna: quæ culpæ debet respondere, *l. Perspiciendum 11. ff. & c. Felicis 5. V. Illud, de Pœnis in 6.* Farinac. *Prax. Criminal. q. 17. n. 9.* & Sanchez *cit. disp. 15. n. 9.*

13. Quartò; ut idem impedimentum & privatio contrahatur, exigitur; ut incestus sit voluntarius: non vi extortus; cùm enim, quæ vi oppressa & corrupta est, vacet culpâ, culpæ etiam pœnam evadet, *l. & V. citt.* Guttierez *cap. 87. n. 12.* Sanchez *n. 10.* & Barbosa *in c. Discretionem 6. n. 2.*

14. Quintò aliqui exigunt; ut incestus publicus sit & notorius Juris aut Facti notorietate, propter textum *c. De illo 3.* ubi, sine ejusmodi incestûs notorietate matrimonium impediri, non permittitur. Sed perperam; quia, licet hoc in foro externo ita se habeat, in interno tamen ferè sicut cætera occulta, sic etiam relata impedimenta, quantumvis notoria aut publica non sint, conjugiis obstare, cum Glossa *in can. Qui dormierit 21. V. Neutram, 32. q. 7.* rectè docent *citt.* Guttierez *n. 18.* & Sanchez *n. 13. & 14.* cùm; quòd impedimenta ista non officiô judicis, sed ipsô Jure infligantur: tum verò; quòd incestûs crimen, sicut occultè committitur, sic ferè semper maneat occultum; & propterea, si ejus notorietas, requireretur, impedimentum rarissimè contraheretur.

Pro coronide probè notandum illud est; quòd, licet privatio juris exigendi debitum conjugale, quod à conjuge incestuoso: & impedimentum dirimens matrimonium, quod à sponso cum sponsæ consanguinea peccante contrahi, est dictum, moderno etiam usu recepta sint, impedimentum tamen, matrimonium cum alia contrahendum impediens, verisimiliùs non-usu seu Consuetudine contraria sit sublatum, ut cum Navarro *Manual. cap. 22. n. 75.* & aliis docent *cit.* Sanchez *n. 2.* & Perez *disp. 23. de Matr. s. 5. n. 8.* Quare, nisi in aliqua provincia vel diœcesi ejus usum vigere constet, pœnitentes incestuosi, præsertim juvenes à matrimoniis non facilè sunt arcendi. 15.

TITULUS XIV.

De Consanguinitate & Affinitate.

Sive antiquitatem originis, sive usûs frequentiam spectemus, inter Conjugiorum Impedimenta principem locum obtinet Cognatio Naturalis sive Consanguinitas: cujus & ex conjugali copula ortæ Affinitatis natura & vis hâc Rubricâ declaratur.

ARTICULUS 1.

De Gradibus Consanguinitatis, Conjugia dirimentibus.

SUMMA-

SUMMARIUM.

1. *Consanguinitatis etymon ac definitio.*
2. *Eâ non omnes homines,*
3. *Adam tamen Abel & Cain:*
4. *Non Homines & Angeli,*
5. *Aut illorum Protoparentes:*
6. *Christus tamen & B. Virgo sunt conjuncti.*
7. *Consanguinitas distinguitur per Lineas & Gradus.*
8. *Linea alia Recta, alia Transversa,*
9. *Et hæc Æqualis vel Inæqualis est.*
10. *Gradus non eôdem modô utroque Jure computantur.*
11. *Regula Canonica pro linea Rectâ,*
12. *Pro Transversa Æquali,*
13. *Et Inæquali,*
14. *Regula de iis Civilis.*
15. *Hodie copulari non possunt Consanguinei quarti,*
16. *Olim septimi gradûs.*
17. *Moderna restrictionis ratio,*
18. *Et congruentia, desumpta ex numero humorum.*
19. *Pater filiam ducere Jure Naturali prohibetur:*
20. *Nisi id exigat conservatio generis humani.*
21. *De reliquis lineæ Rectæ consanguineis varii sensus DD.*
22. *Verius Nuptiæ inter eos non Naturali,*
23. *Aut Divino:*
24. *Sed Ecclesiastico Jure:*
25. *Et in infinitum prohibentur.*
26. *Eodem Jure irritæ sunt initæ nepotem inter & neptem.*
27. *Et inter fratrem ac sororem,*
28. *Divino humanóque Jure & ratione quoque spectatâ.*
29. *Leviticô relati gradus consanguinitatis,*
30. *Conjugia Divinâ lege veteri, cum Christo mortuâ,*
31. *Et ab Ecclesia vivificatâ irritant:*
32. *Non etiam Jure Naturali;*
33. *Ut adeo in eorum nonnullis ab Ecclesia valeat dispensari.*

COnsanguinitas, à *Sanguinis unitate* sic dicta, sive Cognatio Naturalis est Vinculum seu propinquitas personarum, quæ ab eodem stipite sive propinquo progenitore, aut earum una ab altera per carnalem propagationem descendunt. Ex qua à Covarruvia *de Sponsal. p. 2. cap. & §. 1. n. 1.* tradita definitione. 1.

Patet primò ratio, cur non omnes homines consanguinei sint; quia esto, omnes ab uno eodémque stipite remoto, scilicet Noe & protoparente Adamo: non tamen omnes ab uno, sed diversis stipitibus sive progenitoribus propinquis descendunt: quod; ut quis alterius consanguineus sit, exigi, cum Paludano *in 4. dist. 40. q. & art. 1. & cit.* Covarruvia notat Gonzalez *in c. Cùm super 5. n. 6.* & contrà, cur consanguinei sint non solùm Abel & Cain, sed etiam isti & Adam; etsi enim isti à nullo stipite communi: eorum tamen unus ab altero, scilicet Abel & Cain ab Adamo, per carnalem propagationem descendunt, Covarruv. §. *cit. n. 3.* 2. 3.

Patet secundò, cur consanguinei non sint angeli & homines, & istorum etiam primi parentes Adam & Eva; quia, licet hi & illi ab eodem conditore Deo: ab isto tamen non procedunt per carnalem propagationem, vi cujus sanguine conjungantur, unde consanguinei dicuntur, *l. 1. §. Consanguinei 10. ff. de Suis & legit. hared.* Barbosa *in hanc Rubr. n. 6.* & contrà, cur consanguinei sint Christus & Virginea ejus Mater; quia illius corpus conceptum & formatum est ex sanguine 4. 5. 6. 7.

sanguine istius, conceptioni totum id materiæ, quod cæteræ matres naturales, subministrantis, ut cum Angelico Doctore *3. p. q. 33. art. 4.* generationem Christi ex parte materiæ per matrem ministratæ pro Naturali habente, docent Sanchez *Lib. 7. de Matrim. disp. 50. n. 1. in fine*, & Perez *disp. 2. de Matrim. s. 1. n. 2.*

Patet tertiò; quòd, licet Cognatio in stricto & legum crebriore usu recepto sensu, per fœminas tantùm conjunctas: Agnatio autem per masculinam lineam descendentes personas comprehendat, *l. Non facilè 4. §. 1. & l. fin. §. 2. ff. de Grad. & Affinib.* Naturali tamen Jure & frequentiori sacrorum Canonum usu pro cognatis Naturalibus, juxta §. *Consanguinei cit.* habeantur tam mares quàm fœminæ, ab eodem propinquo stipite descendentes, *can. Conjunctiones, 35. q. 2. c. Consanguinei 10. de Sent. & re jud. c. Postremò 36. de Appellat. c. Tuanos 7. c. Non debet 8. §. Prohibitio, hâc Rubr. citt.* Covarruv. *n. 2.* & Barbosa *n. 7.*

7. Porro Cognationes & Consanguinei per Lineas & Gradus distinguuntur. Linea est Ordinata series personarum ab uno stipite descendentium: quæ duplex

8. est. Una Recta, continens eas personas, quarum una ab altera originem ducit, vg. Titii patrem & matrem, avum & aviam aliósque Ascendentes, & ejusdem Descendentes, scilicet filium & filiam, nepotem & neptem, & pronepotem &c. Altera Transversa sive collateralis, continens personas consanguineas, quarum omnes quidem ab uno stipite sive communi principio & progenitore, earum tamen nulla ab altera procedit, ut sunt duo fratres, duæ sorores, frater & soror, duo patrueles aut consobrini &c.

9. Atque hæc linea Transversa ulteriùs vel est Æqualis, quæ datur, cùm duo consanguinei à communi stipite æquali graduum numerô distant, vg. in duobus fratribus, quorum uterque uno, in duobus patruelibus, quorum uterque duobus gradibus à Titio vg. illorum patre & istorum avo est remotus: vel Inæqualis, quæ datur, cùm duo consanguinei à communi stipite distant graduum numerô inæquali, sicut vg. Titius & ejus fratris filius Caius, quorum ille uno, iste duobus gradibus distat à Petro tanquam stipite communi, Sanchez *disp. cit. n. 2.* Perez *s. cit. n. 4.* & Gobat *Experient. Tract. 9. n. 154.*

Gradus verò est distantia unius per- 10.
sonæ ab altera, quâ vg. cognoscitur, an & quænam persona ex duabus vel pluribus consanguineis propior sit stipiti communi, Laiman. *Lib. 5. Tract. 10. p. & cap. 4. n. 3. citt.* Perez *n. 4.* & Gobat *n. 157.* Computatio, sive graduum numerus, aliter iniri solet Jure Canonico, in contrahendis matrimoniis, *can. Ad sedem 35. q. 5.* Aliter Civili, & in successionibus hæreditariis, tutelis &c. observando, *can. cit.*

Canonico enim, & quoad matri- 11.
monia in utroque Foro observando Jure, ut cognoscatur, quoto gradu duo consanguinei conjuncti sint, tres, quotidiano usu approbatæ, Regulæ traduntur.

Prima pro linea Recta: in qua ascendentes & descendentes tot gradibus inter se distant, quot inter eos intercedunt generationes; sic enim Titius & ejus Filius in primo, Titius & ejus nepos in secundo, & pronepos in tertio gradu consanguinei sunt; quia inter ipsum ejúsque filium una, inter ipsum & nepotem duæ, & pronepotem tres generationes intercedunt, Palao *Tract. 29. disp. 4. p. 7. n. 3.* & Engel *ad hanc Rubr. §. 1. n. 7.* Alii cum S. Thoma *in 4. dist. 40.*


q. unica art. 2. & *cit.* Sanchez *n. 4.* eôdem sensu, & non minùs expeditè, tot gradus in linea Recta esse dicunt, quot sunt personæ, demptâ unâ, scilicet stipite communi; sic enim Titius suo nepoti secundô, abnepoti quartô gradu conjunctus est; quia à Titio per filium ad nepotem descendendo tres; ac proinde, stipite, scilicet ipso Titio, dempto, quatuor personæ numerantur.

12. Secunda pro lineâ Transversâ æquali, in qua consanguinei collaterales tot gradibus inter se, quot ipsorum uterque à stipite communi, distant, *can. Ad sedem, & can. Parentelæ 35. q. 5.* sic enim duo Fratres & Sorores, in primo, duo Patrueles, consobrini & amitini, sive duorum Fratrum, duarum sororum & Fratris ac sororis Filii in secundo gradu consanguinei sunt; quia à stipite communi, vg. à Titio, communi patre suo, duo fratres vel duæ sorores uno, & ab eodem tanquam communi avo duo patrueles, consobrini & amitini vel consobrinæ & amitinæ duobus gradibus sunt remoti, *citt.* Sanchez *n. 5.* Perez *n. 6.* & Palao *n. 2.*

13. Tertia pro linea Transversâ inæquali, in qua duo eô Consanguinitatis gradu conjuncti sunt, quot gradibus eorum remotior distat à stipite communi, *c. fin.* sic enim Titii vg. filius & ipsius ex alio filio nepos, sive, quod idem est: duorum Fratrum unus & alterius Filius secundi gradûs consanguinei sunt; quia Titii nepos, sive duorum fratrum alterius filius, qui ex iis remotior est, à communi stipite, sive ipso Titio prioris patre & posterioris avo, duobus gradibus, propter intercedentes duas generationes, distat, iidem Sanchez *n. 6.* Perez *n. 7.* & Palao *n. 2.* Quæ omnia oculis subiiciet adjecta Arbor, ut vocant, Consanguinitatis.

Civili autem Jure distantia consanguineorum, tam in lineâ Rectâ, quàm in Transversâ, cognosci potest ex unica Regula: juxta quam duo consanguinei inter se tot gradibus distant, quot inter ipsos intercedunt generationes; sic enim in linea Recta Titius nepoti suo secundô gradu conjunctus est, propter intercedentes inter ipsos duas generationes: sic in linea Transversa æquali duo fratres vel sorores, aut frater & soror secundo, nepotes vel neptes quarto, & pronepotes vel proneptes sexto gradu conjuncti sunt; quia ab eorum uno ascendendô ad communem stipitem, & ab isto ad alterum descendendô tot generationes numerantur: sic in Transversa inæquali Titii filius & ex alio ejus filio nepos, sive frater & fratris filius in tertio: ejus ex uno nepos & ex alio filio pronepos in quinto gradu consanguinei sunt; quia ab uno ad alterum per communem stipitem progrediendô tot numerantur generationes. Alii eôdem sensu & æquè clarè dicunt, tot esse gradus, quot sunt personæ collaterales ab uno stipite descendentes: & rursum alii juxta modum loquendi D. Thomæ & TT. tot gradus esse, quot numerantur personæ, donec ab una ad alteram inclusivè perveniatur, unâ demptâ. Ita ex *can. Ad sedem cit.* & *Novell. 118. cap. 3. &c.* desumunt *citt.* Sanchez *n. 7.* Perez *n. 8.* & Palao *n. 4.* cum Legum Interpp. quorum examini, sicut ordinem successionum, sic etiam hanc graduum computationem relinquimus. His præmissis 14

Novissimi, & apud Orthodoxos 15 DD. omnino indubitati, Juris Regula est, matrimonium hodie consanguineis, quartô & proximiori aliquo gradu conjunctis, prohibitum: imò inter eos initum irritum nullúmque esse, Jure saltem Ecclesiastico, *c. Non debet 8. §. Prohibitio hâc*



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

titio hâc Rubric. desumptô ex Concilio Lateranensi: in quo ab Innocentio III.
16. Jura antiquiora, conjugiorum prohibitionem inter consanguineos usque ad septimum gradum inclusivè extendentia, *can. Nullum 7. can. De consanguinitate 17. can. Nulli 19. & c. 35. q. 3* sunt correcta: & illorũ prohibitio usque ad quartum gradum inclusivè redacta & restricta est, ut *in c. Non debet cit.* advertunt Panormit. *n. 9.* Barbosa *n. 3.* & Gonzalez *n. 1.* Quare post memoratum Generale Concilium Titii vg. pro. vel abneptis, imò etiam Filia cum ipsius atnepote validè conjungerentur; cùm sint consanguinei quinto gradu conjuncti, hôc ipsô; quòd in linea Transversâ inæquali distantia desumatur à remotiori, per text. *c. fin. hâc Rubr.* & *ibi* tradita à Glossa *fin.* Barbosa *n. 2.* & Fagnano *n. 3.*

17. Ratio autem eam, quam consanguinitas in Ecclesia olim obtinuit, conjugia dirimendi vim ita restringendi, juxta §. *Prohibitio cit.* potissima fuit; quòd experientiâ compertum sit, ad septimum usque gradum se extendentem *citt. Veterum Canonum* prohibitionem sine magno dispendio, non posse servari; cùm propter decrescentem in dies animi vigorem, rerúmque moralium observantiam homines non facilè tot graduum recordentur; & propterea in gradibus prohibitis matrimonia sæpè cum animarum periculo, gravi eóque publico scandalo & damno contraherentur, &, impedimentis, quæ prius ignorabantur, cum tem-
18. pore detectis, dissolverentur. Alia *c. Non debet cit.* ex humani corporis humorum quaternario petita, non fundamentalis ratio: sed mera, nequaquam tamen, ut à moderni temporis Hæreticis quibusdam haberi solet, explosione digna congruentia est; cùm enim homo ex quatuor humoribus, quatuor elementorum naturam imitantibus, constet, ob prædominantium in singulis qualitatum aliis contrariarum conflictum, humani corporis alterationum frequentiam, adgenerationem novarum & aliarum partium deperditionem, à progenitoribus haustus & cum extraneo permixtus sanguis in dies & cum tempore ita diminuitur; ut post quartam generationem sive in atnepote & atnepte ab atavo accepti sanguinis, à quo tanquam consanguinei à conjugio arcentur, vix aliquid amplius supersit, ut cum D. Thoma *q. cit. art. 4.* & aliis advertit Gonzalez *in c. Non debet cit. n. 3.*

Dubium nunc & controversia pri- 19.
mò est de Jure, quô irritum est matrimonium inter primi gradûs consanguineos lineæ Rectæ. In quo cum S. Ambrosio *Epist. 66. ad Paternum*, in primo istius lineæ gradu, sive patrem inter & filiam, inter filium & matrem initum, Jure Naturali irritatum consentiunt plerique; partim propter Naturalem instinctum omnium aliquô modô bene institutarum Gentium, talium personarum conjunctionem execrantium: imò non paucarum belluarum abhorrentium ab ipsa, testibus rerum Naturalium scientiâ præstantissimis, Aristotele *Lib. 9. Histor. Animal. cap. 47.* & Plinio *Historiæ Natural. Lib. 8. cap. 42.* ut proinde Persæ nefanda matrum cum filiis connubia permittentes, tanquam gens barbara, mortalium animis à Naturâ insiti Juris prævaricatrix, non immeritò reprehendantur apud Pontium *Lib. 7. de Matr. cap. 31. n. 4.* Partim verò propter reverentiam & submissionem, à liberis debitam parentibus: cui æqualitas & familiaritas conjugum, eorúmque mutuum in corpus jus, & actûs conjugalis turpitudo maximè adversatur, ut insinuat Paulus ICT.ꝰ *l. Adoptivum 14. §. 2.*

ff. de Ritu nupt. asserens, *Contra pudorem esse, filiam suam uxorem ducere.* Et denique partim etiam; quòd talis conjugii à Deo permissi, aut ab Ecclesia tolerati, ne dicam approbati, exemplum ullum non habeatur. Unde

20. Dubium secundum nascitur, an ejusmodi conjugium illicitum eô etiam casu sit, quô solus pater cum filia, soláve mater cum filio supereſſet; id enim tali etiam casu, seclusâ speciali dispensatione Dei, illicitum esse, cum Cajetano 2. 2. *q.* 54 *art.* 9. sustinent Petr. Ledesma *de Matrim. q.* 54. *art.* 3. Coninck *disp.* 32. *n.* 14. & Hurtad. *de Matr. disp.* 18. *n.* 7. Rationem reddunt; quòd conjugium inter ejusmodi primi gradûs consanguineos etiam eô extremæ necessitatis casu non conveniat cum pietate in parentes & cum reverentia ac submissione, quam filia patri & matri filius debet.

Quin Perez *cit. disp.* 28. *f.* 2. *n.* 11. ad ejusmodi conjugium dispensari à Deo ullo extraordinariæ & extremæ quoque necessitatis casu posse, negat eâ ductus ratione; quòd ejusmodi personarum copulatio non secus, quàm odium Dei, perjurium ac mendacium intrinsecè mala & à ratione naturali adeò aliena atque indecens sit; ut ea nullo casu modóve cohonestari possit. Verùm hanc cum odio Dei &c. æquiparationem, tanquam ulli etiam in speciem solido fundamento non innixam, alii DD. non agnoscunt; atque idcircò ejusmodi conjugium ex ejusmodi generis humani conservandi causa permitti à Deo posse, facilè concedunt; quòd, cùm is humanorum corporum dominus sit, sicut Evam in uxorem tradidit Adamo, ex cujus costa in mulierem ædificata erat Genes. *cap.* 2. *à v.* 21. sic etiam filiam patri suo in uxorem & filium in maritum matri suæ tradere valeat; cùm id matrimonii substantiæ finíque simpliciter non repugnet: & pietas, reverentia ac submissio debita parentibus à Deo in liberis conservari, alióve majore bono compensari queat.

Verisimiliùs etiam casu, quô ad humani generis conservationem liberorum cum solis parentibus superstitum copulatio medium simpliciter necessarium esse, appareret, eam illis, speciali Dei revelatione & dispensatione non intervenientè, permissam, censent Sotus *in* 4. *dist.* 40. *q. unic. art.* 3. Palatios *dist. cit. disp. unic.* Veracrux *Speculi p.* 1. *art.* 43. Valentia *p.* 4. *disp.* 10. *q.* 5. *p.* 3 *cit.* Sanchez *disp.* 51. *n.* 10. Pontius *Lib.* 7. *de Matrim. cap.* 31. *n.* 5. Palao *cit. p.* 7. *n.* 8. & alii, quibus non obscurè favent SS. Ecclesiæ PP. ac DD. Ambrosius *Lib.* 1. *de Abraham cap.* 6. & Chrysostomus *in Genesin Homil.* 44. filiarum Loth cum isto concubitum Genes. *cap.* 19. *v.* 33. à culpa excusantes; quòd, Sodomâ cum reliquis civitatibus sulphureo igne deletâ, non supereſſe existimârint alium virum, qui humani generis propagationi posset deservire. Rationem reddunt; quia casu, quô conjugium inter ejusmodi primi gradûs consanguineos medium ad humani generis conservationem unicum esset, reverentia ac submissio parentibus debita cederet communi bono totius generis humani, istiúsque conservandi necessitas tolleret & cohonestaret turpitudinem atque indecentiam actûs conjugalis; cùm reverentia & submissio illa minus & inferioris ordinis bonum sit, quàm propagatio & conservatio totius generis humani; ac proinde reverentiæ paternæ vel maternæ diminutio minus & inferioris ordinis malum, quàm est interitus totius generis humani. Cùm ergo minus & inferioris ordinis malum majoris & altioris

tioris ordinis mali evitatio & hujusmodi boni conservatio cohonestet, per *can. Duo mala* 1. *dist.* 13. & tradita à S. Thoma 1. 2. *q.* 19. *art.* 6. *ad* 3. Turrecremata *in can. Duo cit. n.* 1. Covarruvia *cit. p.* 2. *cap.* 7. §. 2. *n.* 9. Suarez *de Pœnit. disp.* 4. *s.* 10. *n.* 4. Tuscho *Practic. V. Malum, concl.* 26. & Menoch. *Lib.* 5. *præsumpt.* 2 *n.* 24. hinc reverentiæ parentibus debitæ aliqualem diminutionem, totius humani generis ab interitu vindicatio satis cohonestaret, & propositæ necessitatis casu licitam redderet ejusmodi primi gradûs consanguineorum conjunctionem.

21. Dubium tertiò & dissensio inter DD. non modica résque satis incerta est de reliquis consanguineis lineæ Rectæ; eos enim inter matrimonia usque ad secundum, cum Soto *in* 4. *dist.* 40. *q. unic. art.* 3. Gonzalez *in c. Quod super* 5. *n.* 10. Usque ad quartum Goffredus *in Summa hâc Rubr. n.* 7. Usque ad septimum, Lud. Lopez *Instruct. de Matr. cap.* 49. Ultra decimum gradum alii, & rursum alii in infinitum à Naturâ irritata volunt; ut adeò, si Adam superviveret, quacum matrimonium iniret, hodie non reperiret. Rationem reddunt; quòd ascendentes, quantûcunque remoti, omnes sint progenitores descendentiû; & propterea illis tanquam principiis honor & reverentia non minor, quàm patri aut matri debeatur, & exhibitus semper fuerit à Gentibus benè institutis: apud quas matrimonium avi cum nepte, proavi cum pronepte, &c. sicut inusitatum, sic abominandum semper est visum.

22. Sed probabiliùs inter ascendentes & descendentes matrimonia ultra primum gradum Jure Naturali non irritari, cum D. Thoma *in* 4. *dist.* 40. *q. unica, art.* 3. & aliis DD. allegatis, defendunt Sanchez *cit. disp.* 51. *n.* 19. & huic aliàs, ubi potuit, contrarius Pontius *cit. Lib.* 7. *cap.* 31. *n.* 6. quos secuti sunt *Perez disp. cit. s.* & *n.* 4. & Fagnanus *in c. Vir qui* 9. *de n.* 33. Ratio est partim; quòd sanguinis participatio minor sit in nepote quàm in filio: in remotioribus autem descendentibus paulatim evanescat, & avus cum nepote, cum pronepote proavus minùs conjunctus sit, quàm cum filio pater; cùm illis non immediatè tanquam principiis, sed potiùs tanquam principii, seu causæ applicationi conjungantur, & propterea, Jure Naturali spectatô, avo & proavo minor, quam patri reverentia & submissio debeatur: neque in congressu cum illis tanta turpitudo & indecentia naturalis reperiatur. Unde

Corruit ratio allata in contrarium; hôc ipsô enim; quòd avus nepti minùs communicet, eique principium & causam solùm applicet, minùs propriè ejus parens & genitor est, minórque ei, quàm patri reverentia debetur. Inusitata autem cum avo conjugia fuerunt propter Leges humanas, ea non tolerantes: cujusmodi lege cessante, avum infidelem cum nepte sua conjunctum, si ad fidem converteretur, ab ista non separandum, existimat *cit.* Perez *n.* 5. Atque hinc

Infertur, matrimonia inter ascendentes & descendentes in infinitum in novo Testamento Christianis prohibita etiam non esse Jure Divino; quia, ut Covarruvias *cit. cap.* 6. §. 10. *n.* 1. & cum eo Fagnanus *l. cit. n.* 31. advertit, in isto nullus gradus lege Divina prohibitus est, qui prohibitus non sit Jure Naturali. 23.

Dubium & non minor dissensio est quartò, an inter consanguineos lineæ Rectæ conjugia in infinitum irrita sint Jure saltem Ecclesiastico. Negativam defendunt *citt.* Sanchez *n.* 22. & Pontius *n.* 6. quibuscum ex Coævis non pauci, & ex RR. sentiunt Palao *Tract.* 28. *disp.* 4. *p.* 8. *n.* 9. Bonacina *de Sacram. Matr. q.* 3. *p.* 5. 24.

§. 1. *n.10.* Fagnanus *in c. Vir qui cit. n.31.* & Gonzalez *in c. Quod super 5. n.10.* eâ præcipuè permoti ratione; quòd impedimentum consanguinitatis olim quidem ad septimum inclusivè: postea verò *c. Non debet*, §. *Prohibitio cit.* ad quartum tantùm gradum, inter Rectam & Transversam lineam non distinguendô, fuerit restrictum.

25. Sed, hâc tantorum DD. authoritate & ratione etiam non obstante, præferendam censeo Affirmativam, quam cum Hostiensi *in Summa hîc n.17. V. Non quæritur* Joan. Andr. *de Arbore Consang. n. 12.* Panormit. *in c. Non debet cit. n. 8.* Alexand. de Nevo *in c. cit.* §. *Prohibitio, n. 12.* tenent Sylvester *V. Matrimonium 8. q. 6. d. 5.* Tholosan. *Syntag. Lib. & cap. 9. n. 29.* & novissimè secutus est Lud. Engel *ad hanc Rubr.* §. *1. n. 9.* Ratio est; quia Jure Civili matrimonia inter ascendentes & descendentes disertè prohibentur in infinitum, *l. Nuptiæ 53. l. fin. ff. de Ritu Nupt. &* §. *Ergo non omnes; Instit. de Nupt.* ubi Imp. *Inter eas*, inquit, *personas, quæ parentum liberorúmve inter se locum obtinent, contrahi Nuptiæ non possunt: veluti inter patrem & filiam, vel avum & neptem, vel matrem & filium, vel aviam & nepotem, & usque in infinitum.* Quæ Juris Civilis dispositio naturali honestati valdè conformis, & non solùm non correcta, sed clarè satis approbata est à Nicolao I. *ad Consulta Bulgarorum* inter cætera etiam exquirentium, quibus fœminis debeant jungi, *cap. 39.* præter sacrorum Canonum Decreta, etiam §. *Ergo cit.* dispositionem ad verbum reponente, & *can. Progeniem 16. &c. 35. q. 3.* ubi lineæ Rectæ consanguineis in infinitum matrimonia prohibita, non obscurè habetur. Quare, quod Civili, etiam Ecclesiastico Jure obtinebit, *arg. c. 1. de Novi oper. nunt.*

Ratio in contrarium allata non urget; quia *c. Non debet cit.* sermo tantùm est de consanguineis lineæ Transversæ: & in Concilio ibi relato de restrictione impedimentorum, matrimonia inter hos dirimentium, fuit actum, ut patet, partim; quia gravia dispendia, ex ulteriorum graduum prohibitione in Ecclesia provenientia, quibus ejus Concilii Patres ad impedimenta restringenda permotos, textus docet, ex solis collateralium conjugiis oriebantur: partim; quia Concilium illud prorsus nullam causam habuit impedimenta inter consanguineos lineæ Rectæ restringendi; cùm de nullo conjugio inter hos contracto constaret: & ob brevitatem vitæ rarò, aut vix unquam contrahi possit, ut cum Panormit, *cit. n. 8.* advertit Fagnanus *ibid. n. 35.*

Confirmatur hic *c. cit.* intellectus; quia eô relatum Lateranensis Concilii decretum correctorium est Juris antiqui; ac proinde ejus tanquam odiosi permissio restringenda ad consanguineos lineæ Transversæ, de quorum conjugiis à sacræ illius Synodi Patribus actum, quorúmque ad gradus quartô remotiores porrecta inhibitio absque gravi dispendiô amplius non poterat observari: neque trahenda est ad lineam Rectam, inter cujus consanguineos ullum conjugium permitti, nec urgebat publica necessitas, nec evidens utilitas exposcebat; quòd antiqui juris honestati naturali valde conveniens inhibitio sine difficultate semper observata, ulliúsque in Ecclesia dispendii vel incommodi non fuerit causa; ut ita priscorum & honestatem publicam spectantium canonum non necessaria neque etiam publicè utilis correctio, cùm facilè potest, evitetur, & ut *c. Cùm non expediat 29. de Elect. in 6. & l. Præcipimus 32. C. de Appellat. &c. Non debet cit.* Jus recentius iis, quæ frequenter & facilè, non quæ perrarò, & vix uno al-

uno alteróve casu, vel nunquam eveniunt, accommodetur, quod *l. Ex his 4. & l. Nam ad ea 5. ff. de LL.* admonemur.

26. Dubium quintò & DD. in diversa abeuntium magno dissensu agitata controversia est, an Jure Naturali irritum sit aliquod conjugium inter consanguineos lineæ Transversæ. Et in secundo quidem tertióque gradu id, Jure illô spectatô, subsistere, convenit inter Omnes; quòd in eo dispensari posse, constet ex Tridentino *Sess. 24. cap. 5. de Refor. Matr.* & Praxi Ecclesiæ, inter magnos Principes secundo gradu conjunctos, ob publicam causam id permittente.

27. In primo autem gradu, sive inter fratrem & sororem, conjugium Jure Naturali irritatum, volunt Covarruvias *cit. cap. 6. §. 10. n. 15.* Bellarminus *Lib. 1. de Matrim. cap. 28.* Guttierez *de Matrim. cap. 98. n. 20.* Sanchez *cit. disp. 52. n. 11.* & ab hoc relati alii, id desumentes ex *c. Gaudemus 8. de Divort.* Ubi Innocentius III. dum asserit, infideles in secundo & ab ulterioribus gradibus copulatos, si ad fidem convertantur, non separandos, non obscurè innuit separandos, qui copulati sunt in primo. Rationem dant; quòd reverentiæ, quam sibi mutuò debent frater & soror, valde repugnet turpitudo actûs conjugalis: ideóque Abraham; ut conjugii cum Sara initi suspicionem, indéque imminens vitæ periculum à se removeret, ipsam sororem suam vocârit Genes. *cap. 20. v. 2.*

Ego, sicut istorum Opinionem probabilem, sic probabiliorem censeo contrariam S. Thomæ *2. 2. q. 154. art. 9.* Sotî *in 4. dist. 40. q. unica, art. 2.* aliorúmque VV. à *cit.* Sanchez *n. 10.* relatorum, quam ex RR. amplexi sunt *citt.* Pontius *cap. 31. à n. 3.* Perez *s. 5. n. 2.* Palao *p. 7. n. 11.* & Gonzalez *in c. Literas cit.*

28. *n. 6.* Moveor primò Historiâ sacrâ veteris Testamenti, in quo Imprimis per fratrum & sororum conjugia genus humanum propagatum est ex dispositione Dei, Naturæ Jura in ipso ejus conditæ primordio utique non statim infringentis. Deinde, Saram Abrahæ sororem & Uxorem fuisse, patet ex illius verbis, *Aliàs autem & verè soror mea est, Filia patris mei & non Filia Matris meæ, & duxi eam in Uxorem*, Genes. *cap. cit. v. 11.* Hanc autem non solùm ex propinquis aliquam, sed veram Abrahæ sororem fuisse, ex SS. PP. docent Hieronymus *in Q. Q. Hebraicis in Genes.* & Clemens Alexandrinus *Lib. 2. Stromat. cap. 12.* Denique Regum *Lib. 2. cap. 13. v. 13.* Thamar, Ammoni fratri violentam oppressionem dissuasura, *Quin potiùs*, inquiebat, *loquere ad Regem, qui me non negabit tibi:* quæ verba ad defensionem apta non fuissent, si matrimonium inter eos irritum fuisset Jure Naturali. Eadem, cùm violata ejiceretur, *Majus*, ajebat, *hoc est malum, quod nunc agis in me, expellens me:* quibus verbis non obscurè insinuatur, Thamar, ut Uxorem retineri voluisse. Secundò exemplis Ægyptiorum, à rerum Naturalium cognitione celebratorum, & Athenienssium aliarúmque Gentium, prudentiæ laude florentium, apud quas fratrum cum sororibus connubia usitata fuisse, testes sunt Tiraquellus *Connub. l. 7.* & Palæotus *de Nothis, cap. 3. n. 2. & 3.* Tertiò Authoritate Imperiali *l. Si stipulor 35. ff. de V. O.* ubi JCTus assertionem, quâ aliud per Naturam, aliud per Leges fieri non posse, dixit, exemplis declarans, impossibile per Naturam esse ait, dare quod dari non potest: per leges autem, sororem in uxorem accipere: quô dictô cum ista initum connubiale fœdus Naturali Juri non repugnare, insinuat. Quartò ratione; quia duorum collateralium, etiam primo gradu conjunctorum, uterque alteri æ-

teri æqualis, neuter alterius principium aut alteri est subjectus; ideóque reverentiæ, quam sibi mutuò debent, conjugalis conjunctio non ita adversatur, ut ei, quæ à filia patri debetur. Quintò demum; quia, si ejusmodi conjugia irritata essent Jure Naturali, ad ea dispensari non posset, *can. Sunt quædam 25. q. 1.* quod tamen à Martino V. vel potiùs ejus nominis III. & aliis Romanis Pontificibus factum, Cajetanus *Opusc. de Matrimonio Regis Angliæ* & Sylvester *V. Papa, q. 17.* perhibuerunt. Unde corruit ratio allata in contrarium.

Non majorem vim habent textus,& Historia Abrahæ. Ille; quia Innocentius de secundo & ulterioribus tantùm gradibus respondit; quòd de his solummodo fuerit consultus. De primo autem, inter Doctores controversò, nihil statuit,ut ex contrariæ Opinionis assertoribus probè advertit Sanchez *l. cit.* Ista verò; quia, etiamsi Sara Abrahæ soror non fuisset, plus inde non inferretur, quàm rara, aut omnino inusitata, illis locis & temporibus fuisse conjugia inter fratres & sorores, ut notat Pontius *cap. cit. n. 6.* Pro istius & *n. 22.* stabilitæ Resolutionis confirmatione sit

29. Dubium sextum, an ergo in gradibus, Levitici *cap. 18.* vetitis, inter fideles inita conjugia irrita non sint Jure Naturali. Ratio dubitandi gravissima est; quòd *cap. cit.* imprimis in linea recta, præter inita inter parentes ac liberos,quæ Naturali Jure irritata, dictum est *n. 19.* inhibita & irritata etiam sint conjugia avorum cum neptibus & aviarum cum nepotibus *V. 10.* deinde in linea Transversa, sive inter collaterales, præter inita inter fratrem & sororem, sive ex utroque sive ex uno tantùm parente conjunctos, *V. 9.* vetitum & irritatum sit conjugium nepotis cum amita & matertera sive patris aut matris sorore, *v. 12. & 13.* licet ita vetitum non fuerit conjugium neptis cum patruo vel avunculo, sive patris aut matris fratre, nepti eôdem gradu, quô amita & matertera nepoti, conjunctis, ut cum Soto *in 4. dist. 40. q. unic. art. 3.* Bellarmino *Lib. 1. de Matrim. cap. 24.* & aliis advertit *cit.* Sanchez *disp. 52. n. 1.* Quibus aliisque conjugiorum, in gradibus Levitici *cap. 18. cit.* expressis inhibitionibus novæ Legis fideles adstringi, cùm Innocentius III. apertè agnoscat, *c. Literas 13. de Restitut. Spolat.* dum ejus *§. Opinioni, In gradibus consanguinitatis Divina lege* (scilicet Levitici *cap. cit.* ut *in c. cit.* notat Glossa *V. Divina*) *prohibitis dispensari posse*, negat, consectaneum est, in gradibus illis inter fideles inita conjugia irrita esse Jure Naturali; cùm in gradibus illis inita irritata non sint Primò Jure Divino novi Testamenti; quia istius Divinô Jure propositum ferè nullum præceptum est ultra ea, quæ Fidem, Spem & Charitatem ritúsque substantiales incruenti Sacrificii & Sacramentorum concernunt, ut cum D. Thoma *1. 2. q. 108. art. 1. & 2.* Soto *dist. cit. q. unic. art. 4.* Covarruvia *cit. p. 2. cap. 6. §. 10. n. 1.* & aliis tradit *cit.* Sanchez *n. 2.* & matrimonium ad Sacramenti dignitatem à Christo Domino elevatum est sine ulla circa ejus contractum & personarum illud ineuntium habilitatem mutatione, juxta dicta *Tit. 1. n. 160.* Neque secundo Jure merè Divino Testamenti veteris sive istius Cæremonialium ac Judicialium præceptorum; quia Divinum hoc Jus quoad istiusmodi præcepta fideles in nova lege obligandi, eorúmque conjugia irritandi vim non habet; cùm Christi morte expirârit, teste Apostolo ad Hebræos *cap. 7. v. 12.* & S. Augustino, relatô *c. Translato 3. de Constitut.* ut Dissert. *Proœm. n. 43.* est dictum. 30

Neque tertiò Ordinatione Ecclesiæ, Levi- 31
tico pro-

tico prodita, & Christi morte evacuata præcepta resuscitantis ac vivificantis; quia Ecclesiastica ordinatione quæcunque condita aut resuscitata præcepta per viam dispensationis relaxari Apostolica authoritate posse, D. Thomæ *Quodlib. 4. art. 3.* Covarruv. *p. 2 de Sponsal. cap. 6. §. 7. n. 6.* Suarez *Lib. 6. de LL. cap. 14. n. 2.* & aliorum certa sententia est: ad conjugia autem in gradibus Levitico prohibitis dispensari à sede Apostolica non posse, rescripsit laudatus Innocentius *c. Literas §. Opinioni citt.* ut adeò conjugiorum, in gradibus Leviticô prohibitis initorum, nullitas, sicut cætera Moralia veteris Legis præcepta, necessariò descendat ex Jure Naturali, non obnoxio Apostolicæ dispensationi.

Confirmatur hæc ratio primò ratione, propter quam conjugia illa vetita sunt; ne scilicet reveletur turpitudo personarum gradibus illis conjunctarum, quæ naturalis indecentiæ & moralis ratio est.

Confirmatur secundò, *c. De infidelibus 4.* textu, quô idem Papa, infidelium contra sacros Canones, sed secundùm Legis veteris instituta conjunctorum & ad fidem conversorum conjugia non dissolvenda, rescripsit. Unde argumentô à contrario ductô infertur, ea dissolvenda, si contra Legis veteris instituta coaluissent; ac proinde, sicut Decalogô comprehensa præcepta, sic etiam Leviticô relatas conjugiorum prohibitiones Morales & Juris Naturalis declaratorias esse.

32. Verùm sic confirmata ratio, quanticunque ponderis primô intuitu sit, *n. 22. & n. 27.* stabilitas Resolutiones non convellit: & inter secundi Rectæ, atque inter ejusdem & primi etiam gradûs consanguineos lineæ Transversæ inita conjugia Naturali Jure irritata, non persuadet; cùm, conjugia quædã Levitico vetita, Naturali Jure spectato, subsistere, evincat textus *c. Gaudemus 8. de Divortiis* & Synodalis definitio Trident. *Sess. 24. can. 3. de Sacram. Matrim.* quorum prioris *pr.* conjugia inter hujusmodi gradûs consanguineos infideles inita sine ulla inter lineas distinctione pro validis habentur ab eôdem Papa Innocentio, eos ad fidem conversos in conjugio perseverare liberè ac licitè posse, decernente: posteriori autem, in nonnullis gradibus in Levitico prohibitis dispensari ab Ecclesia posse, negantes Anathemate damnantur. Accedit; quòd Levitici *cap. 18.* vetitum non sit conjugium neptis cum patruo & avunculo, eôdem consanguinitatis gradu conjunctis, quô amita & matertera conjuncta est nepoti, qui cum illis copulari Leviticô prohibetur, argumentô minimè obscurô, legem his conjugia vetantem non esse Juris Naturalis declaratoriam & Moralem: sed ad Judicialia vel Cæremonialia Hebrææ gentis præcepta pertinere; cùm, Naturali Jure spectato, conjugium inter consanguineos ejusdem gradûs æqualiter indecens ac vetitum sit.

Neque, Leviticô propositas nuptiarum inhibitiones Juris Naturalis esse, in 33.
eam rem deducta ratio efficaciter probat; quia *c. Literas §. Opinioni cit.* in gradibus lege Divina prohibitis dispensari non posse asseritur, non; quòd sit lex Divina pro novo Testamento à Christo Domino stabilita: vel; quòd Divina Lege veteri, Leviticô proditâ, Papa adstringatur, aut in gradibus consanguinitatis illô vetitis collata dispensatio Apostolica invalida sit: sed; quòd Sedes ista propter personarum gradibus illis conjunctarum nimiam propinquitatem & legis Divinæ veteris reverentiam non debeat nec soleat in iis dispensare: &; quòd id Ecclesiæ non expediat, neque facilè occurrat justa & ad dispensationem cohonestandam sufficiens

causa; cùm id solùm posse dicamur, quod justè & honestè facere possumus, *can. Faciat 15.* juncta Glossa *V. Eodem 22. q. 2. & l. Nepos 125. ad finem ff. de V. S.* Cui §. *cit.* intellectui ansam ipse Papa dedit *c. cit. pr.* verbis, *In quo sedes Apostolica dispensare non potest*, subjiciendô, *Nec etiam consuevit*, quæ omnino superflua forent, si in gradibus illis dispensari simpliciter non posset.

Neque vim habet confirmatio prima; quia, licet rationi naturali contraria turpitudo aliqua in conjugiis Leviticô vetitis planè omnibus reperiatur, non omnium tamen turpitudo tanta est; ut ista eorum inducat nullitatem: &, licet non facilè occurrant, dari tamen possunt causæ, quæ turpitudini illi prævaleant, & dispensationem atque ex ista secutas nuptias cohonestent.

Non magis urget altera & *c. De infidelibus cit.* textus; quia ex isto à contrario illatum argumentum ulla ratione non fulcitur; cùm *c. cit.* Papa, conjugia ante Baptismum secundùm legem veterem inita esse valida, iisque copulatos post conversionem & susceptum Baptismum non separandos, rescripserit ad consultationem Archiepiscopi Tyrensis, an conjugia, contra sacros Canones inita ab infidelibus, invalida & dirimenda sint, ambigentis & interrogantis. Unde legitimè quidem infertur, à Judæis secundùm veteris Legis instituta & à cæteris infidelibus secundùm leges suas Politicas contra sacros canones contracta matrimonia non dissolvenda; quòd ante Baptismum sanctionibus Ecclesiasticis non afficiantur, *c. Gaudemus cit. pr.* perperam autem à contrario arguitur, contra veteris Legis instituta inita conjugia omnia irrita esse Jure Naturali; cùm hic articulus *c. De infidelibus cit.* nec decisione nec ratione attingatur.

Quare nec matrimonia avi cum nepte & fratris cum sorore ut, *n. 22.* & *n. 27.* dictum: neque cætera etiam, quæ Leviticô vetita sunt, indiscriminatim omnia Naturali Jure irrita sunt, ut cum Scoto *in 4. dist. 40. q. unic. art. 2.* Cajetano *2. 2. q. 154. art. 9. ad 3.* Soto *q. unic. cit. art. 3.* Navarro *ad Rubr. de Sponsal. Consil. 14. n. 8. citt.* Covarruv. *cap. 6. §. 10. n. 2.* Bellarmino *cap. 27.* & cæteris DD. Orthodoxis docent Sanchez *cit. disp. 52. n. 6.* & Perez *disp. 28. s. 6. n. 5.*

ARTICULUS II.

De Gradibus Affinitatis, iisdem obstantibus.

SUMMARIUM.

34. *Hæc oritur ex copula,*
35. *Etiam fornicaria,*
36. *Quatenus conjugium dirimit.*
37. *Non ex sola illius attentatione.*
38. *Ejus tria sunt genera:*
39. *Quorum hodie primum tantùm obstat nuptiis,*
40. *Inter conjugem unum & alterius consanguineos,*
41. *Non inter consanguineos utriusque.*
42. *Olim usque ad septimum gradum:*
43. *Hodie, si affinitas ex conjugali usque ad quartum,*
44. *Et, si ex fornicaria copula orta sit, usque ad secundum.*
45. *Affinitas primi gradûs linea Transversa non Naturali,*
46. *Sed Positivo Jure conjugium dirimit,*
47. *Veteris & novæ Legis exemplis,*
48. *Rationèque & Jure spectatis.*
49. *Eâdem in linea Recta secundùm aliquos Naturali,*
50. *Secun-*

50. *Secundùm alios & verius Positivo Jure conjugium irritari,*
51. *Canones Ecclesiastici & ratio evincunt,*
52. *Imperialia:*
53. *Divinique Juris textibus non obstantibus.*

34. AFfinitas, *à Finium* propinquitate sic dicta, est Propinquitas personarum proveniens ex perfecta copula carnali, Glossa *in Arbor. Affinit. 35. q. 5.* & passim DD. cùm enim per copulam carnalem perfectam & consummatam vir & mulier fiant una caro, *Matth. cap. 19. v. 5. & can. Fraternitatis, 35. q. 10.* &, qui adhæret meretrici, unum corpus efficiatur, secundùm Apostolum *1. Corinth. cap. 6. v. 16.* illorum unius consanguinei ad fines alterius accedunt, *l. Non facilè 4. §. 3. ff. de Gradib. & Affinib.* indéque consanguinei mariti affines Uxoris, & viciſſim consanguinei Uxoris affines fiunt mariti. Unde

Patet, ad contrahendam Affinitatem non sufficere matrimonium ratum; cùm enim per hoc vir & mulier una caro non fiant, ex eo non Affinitatis, sed publicæ Honestatis oritur impedimentum, Glossa *fin. in can. Si quis desponsaverit, 27. q. 2.* Panormit. *in c. Juvenis 3. de Sponsal. n. 4.* & Covarr. *de Sponsal. p. 2. cap. 6. §. 2. n. 1. & §. 7. n. 3.*

35. Imò ad eam contrahendam nullô matrimoniô est opus; cùm ex personarum etiam solutarum illicita conjunctione oriatur, secundùm Trident. *Sess. 24. cap. 4. de Ref. Matr.*

36. Neque his adversatur *l. Non facilè cit.* cujus *§. 3. & 8.* Affinitatem aliunde quàm ex justis nuptiis oriri, disertè negatur; quia imprimis id solummodo negatur quoad aliquos effectus Civiles, vg. successionem: non absolutè, saltem quoad matrimonium; cùm, in isto etiam illiciti concubitûs rationem haberi, constet ex *l. Liberi 4. C. de Nuptiis*, quâ matrimonia à filiis cum parentum concubinis inita, tanquam *minùs Religiosa & probabilia*, rejiciuntur. Deinde; quia Jure Ecclesiastico, hac in re præcipuè spectando, Affinitatem ex copulâ fornicariâ oriri, patet ex *c. In literis 24. de Test. & Attest. c. Discretionem 6. de Eo, qui cognovit &c.* & Trident. *cap cit.*

Neque etiam, ut aliqui existimant, 37.
ad affinitatem contrahendam carnalis copulæ attentationem sufficere, desumitur ex *c. Juvenis 3. cit. & c. Fraternitatis 7. de Eo, qui cognovit &c.* ubi vir non admittitur ad conjugium cum ea, cum cujus sorore copulam tantùm attentavit; quia utroque textu à conjugio arcetur, non propter affinitatem eâ attentatione contractam, sed propter impedimentum publicæ Honestatis, ut in priorem Panormit. *n. 4.* Barbosa *n. 3.* & Gonzalez *n. 2. & 7.* in posteriorem verò textum iste & Barbosa *n. 2.* observant.

Porro Affinitatis tria sunt genera: 38.
quæ exemplô clarius quàm alia ratione declarantur; sic enim, si Titius frater meus matrimonium ineat & consummet cum Bertha, hæc mea & cæterorum Titii consanguineorum affinis est in primo genere affinitatis. Deinde, si fratre meo Titio mortuo Bertha copuletur Sempronio, oritur secundum genus affinitatis, quâ Sempronius alter Berthæ maritus me cæterósque Titii consanguineos contingit. Si demum, mortuâ etiam Berthâ, Sempronius matrimonio jungatur Caiæ, cum hac Sempronii uxore ego cum cæteris Titii consanguineis contrahimus tertium genus affinitatis, conjugium, à me meisque consanguineis, sicut cum Bertha & Sempronio, sic etiam cum Caia contrahendum, dirimentis, secundùm Jus antiquum

can. De Propinquis 3. &c. 35. q. 3. & can. fin. ibid. q. 5.


39. Jure autem Decretalium recentiori, post sublatum à Concilio Lateranensi secundum & tertium genus, conjugia non dirimuntur, nisi inter primi generis affines, *c. Non debet 8. pr.* pro quorum gradibus & distantia cognoscenda magno DD. consensu & generali usu recepta est unica Regula: quâ in eo gradu quis uxoris affinis esse dicitur, in quo est consanguineus mariti: & vicissim in eo gradu affinis mariti, in quo est consanguineus Uxoris. Unde uxoris consanguinei in primo vel secundo gradu, in eodem gradu affines sunt mariti, & vicissim, Tannerus *Tom. 4. disp. 8. q. 4. n. 118.* & Sanchez *Lib. 7. disp. 54. n. 3.* Quæ oculis subjiciet adjecta Arbor Affinitatis.

40. Dixi, quod bene notandum, affinem aliquem fieri *Uxoris aut Mariti*: non *Uxoris aut mariti consanguineorum*; quia inter utriusque illorum consanguineos affinitas, quæ conjugio obstet, non contrahitur. Unde hoc validè & licitè in-

41. eunt Primo duo fratres cum duabus Sororibus, uti etiam pater & filius cum matre & filia: &, pater trésque ejus filii & fratres germani cum matre istiúsque tribus filiabus & sororibus germanis: quæ cum illis alicubi nostra ætate & eodem tempore sunt conjunctæ. Secundò privignus cum matre, filia aut sorore novercæ, & privigna cum patre, filio aut fratre vitrici; quia privignus & privigna solius vitrici aut novercæ, non etiam personarum his sanguine conjunctarum sunt affines. Tertiò, fratris & sororis mortuorum superstites conjuges inter se; sic enim, Titio Sempronii filio & Caia illius filia mortuis, superstites & vidui eorum conjuges, scilicet Bertha Titii uxor & Cornelius Caiæ maritus legitimè copulantur; cùm Bertha & Cornelius nulla affinitate sint conjuncti. Quartò filius mariti & filia uxoris ex conjugiis, ante cum alia alióve initis, procreati. Quintò valida sunt matrimonia successivè inita cum duabus viduis, quarum defuncti mariti erant fratres germani; sic enim Titius ducere potest Bertham & hac mortua Caiam, quarum defuncti mariti erant Mævius & Sempronius duo fratres germani. Pluribus exemplis hanc rem illustratam dabunt Tannerus *cit. q. 4. n. 118.* & Laiman *cit. p. 4. cap. 5. n. 4.*

Sicut Affinitatis genera, sic novô Ju- 42.
re etiam in primo genere, restricta est prohibitio matrimoniorum; Jure enim antiquô, sicut consanguinitas, sic etiam affinitas ad septimum usque gradum matrimonium dirimebat, *can. Nullum in utroque 7. &c. 35. q. 3.* Novô autem 43.
ejusdem Concilii Lateranensis, inter quarti tantùm gradûs affines inita coniugia dirimuntur, *c. Non debet cit. §. Prohibitio.* Imò, affinitas quæ ex illicita copula ori- 44.
tur, à S. Synodo Tridentina ita restricta est, ut illa non dirimat, nisi inter affines, primi aut secundi gradûs, *Sess. 24. cap. 2. de Ref. Matr.* quòd veterum Canonum latiùs patens prohibitio, propter gravia scandala aliáque incommoda inde orta, jam non amplius possit observari, ut de consanguinitate *n. 17.* est dictum. Hæc satis certa.

Dubium autem est primò, an Naturali Jure irritum sit coniugium inter affines lineæ Transversæ. Et quidem, si eorum affinitas ex copula fornicaria orta sit, coniugium illo Jure non dirimi, satis exploratum est, cùm; quòd nullitatis non appareat efficax ratio naturalis: tum verò; quòd cum ejusmodi affinibus occultis ad matrimonium Papa dispenset in sacra Pœnitentiaria, & dispensandi facultatem aliis committat. Simili modo inter ejusmodi affines ex copula licita seu conjugali, secundò


ARBOR AFFINITATIS 1706
Consanguinei Mariti
Affines Vxoris
Consanguinei Vxoris
Affines Mariti
4. Abavus Abavia
3. Proavus Proavia
2. Avus Avia
1. Pater Mater
4. Pronepot Proneptes Abnepotes Abneptes Mariti
3. Nepotes Neptes Pronepotes Proneptes Mariti
2. Filij Filiæ Nepotes Neptes Mariti
1. Frater Soror
Titius Maritus
Berta Uxor.
1. Frater Soror
2. Filij Filiæ Nepotes Neptes Vxoris
3. Nepotes Neptes Pronepotes Proneptes Vxoris
4. Pronepotes Pronepter Abnepotes Abneptes Vxoris
1. Filij Filiæ
2. Nepotes Neptes
3. Pronepot Proneptes
4. Abnepot Abneptes
Consanguinei Mariti
Affines Vxoris
Affines Vxoris
Consanguinei

secundô vel remotiori gradu conjunctos, conjugium irritum non est Jure Naturali, propter eandem rationem, &; quia conjugium inter ipsos secundi & ulterioris gradûs consanguineos lineæ Transversæ eô Jure irritum non est, juxta dicta *à n. 26.*

45. Quare in dubium solummodo vocatur conjugium initum inter ejus lineæ affines primo gradu conjunctos: ut sunt maritus & uxoris defunctæ soror, uxor, & mariti defuncti frater: quos inter matrimonium Naturali Jure irritatum, cum nonnullis antiquioribus asserunt nostri temporis sectarii, eam in rem allegantes Primò *cap. 18.* Levitici, disertè vetantis conjugium cum uxore fratris *v. 16.* uti & fratris cum sorore, *v. 9.* cujus rationem uxor habet; quippe quæ per matrimonii consummationem unus sanguis & una caro effecta est cum fratre. Secundò illud S. Præcursoris Domini, Herodem ob ductam fratris sui Philippi uxorem increpantis, *Non licet tibi habere uxorem fratris tui*, Matth. *cap. 16. v. 4.* & Marci *cap. 6. v. 18.* quæ increpatio ex eo vel maximè urget; quòd Herodi cum fratris sui uxore conjugium non tam Levitici, cujus præceptis tanquam Gentilis non adstringebatur, quàm Naturali Jure fuerit interdictum. Tertiò *c. Gaudemus 8. de Divortiis*, cujus *pr.* conjuges pagani, conjuncti secundo & ulteriori gradu, cùm ad fidem convertuntur, non separandi dicuntur. Unde argumentô à contrario ductô infertur, eos, si primo gradu conjuncti sint, separandos; ac proinde eorum conjugia irrita esse Jure Naturali. His tamen non obstantibus

46. Veritati magis consentanea & omnino certa doctrina est, inter primi gradûs affines lineæ Transversæ, sive cum uxoris defunctæ sorore & cum mariti defuncti fratre conjugium, licet propter naturalem quandam indecentiam illicitum sit, solo tamen Jure Naturali spectato subsistere: Divinóque veteris & novæ Legis Ecclesiastico Jure fuisse irritatum, ut cum Cajetano *Tom. 3. Opusc. Tract. 14. de Conjug. Reg. Angliæ ad Clement. VII.* Covarruvia *de Sponsal. p. 2. cap. 6. §. 10. n. 7.* Bellarmino *Lib. 1. de Matr. cap. 28.* Petr. Ledesma *de Matrim. q. 55. art. 6.* Sanchez *cit. Lib. 7. disp. 66. n. 11.* & Pontio *Lib. 9. de Matr. cap. 34. n. 3.* Catholicæ veritatis instar magno consensu defendunt RR. propter varia exempla utriusque Testamenti; quia 47.
imprimis in lege Naturæ Patriarcha Jacob Liam & Rachaelem Labani filias duxit, Genes. *cap. 29. v. 23. & 28.* & Judas relictam primogeniti sui defuncti Onan alteri suo filio in uxorem dedit, Genes. *cap. 38. v. 8.* Deinde in lege Mosaica frater sine liberis defuncti fratris sui uxorem ducere jubetur Deuteron. *cap. 25. v. 5.* Denique in nova Lege, cum fidelibus ad ejusmodi matrimonia non semel ab Ecclesia dispensatum, legimus; sic enim ab Alexandro VI. cum Rege Lusitaniæ: cum Casimiro Rege Poloniæ, ad fratris sui Uladislai relictam, à Clemente VIII. & antè à Julio II. cum Henrico VIII. Angliæ Rege, ad Catharinam Arcturi fratris sui defuncti uxorem ducendam dispensatum, Orbi universo notum: eámque dispensationem, consultis priùs celeberrimis Europæ Universitatibus & DD. validam fuisse, à Clemente VII. speciali Bullâ editâ pronuntiatum, Castro *Lib. 1. de Lege pœnali cap. 12.* aliíque testantur: quæ fieri utique non potuissent, si ejusmodi conjugia irrita essent Jure Naturali. Confirmantur ista, 48.
partim ex *c. fin. de Divortiis*, ubi Innocentius III. maritos infideles, qui defunctarum uxorum suarum sorores duxe-

runt, in conjugio persistere permittit: partim ratione; quia affiniū lineæ Transversæ neuter est alterius superior; proindéque à neutro alteri specialis reverentia aut submissio debetur: vel, quæ debetur, tanta non est; ut matrimonium inter eos exigat irritari.

Neque Orthodoxam hanc doctrinam convellunt aut ancipitem reddunt, quæ ei à nostri temporis Sectariis opponuntur.

Primum; quia non in omnibus gradibus Leviticô prohibitis conjugia Naturali Jure irritata, jam dictum est *à n. 29.* &, si Jure isto non subsisteret conjugium fratris cum sorore; inde tamen non rectè argueretur ad conjugium initum cum uxore fratris aut cum fratre mariti, cùm; quia affinitas minor est consanguinitate, ut nemo facilè inficiatur: tum verò; quia frater cum uxore sua unus sanguis & una caro non est verè ac propriè, sed impropriè propter utriusque sanguinis commixtionem & conjunctionem carnis in copulatione.

Secundum, sive increpatio S. Joannis Baptistæ *v. 4. & v. 16. citt.* quia Herodes uxorem Philippi fratris sui, isto adhuc superstite, contra Divinum & Naturale Jus duxerat, ut cum S. Hieronymo *Comment. in Matth. cap. 14.* Beda *in Marci cap. 6. cit.* S. Thoma *in Matth. cap. 4.* Josepho *Lib. 18 Antiquit. cap. 9.* Eusebio Pamphil. *Lib. 1. Histor. Eccles. cap. 11.* Niceph Callisto *Lib. 1. Histor. cap. 19.* & aliis docent Bellarmin. *Lib. cit. cap. 27.* & Covarruvias *cit. §. 10. n. 9.* partim verò; quia, esto Philippus jam fuisset mortuus, Herodes tamen, ut eo tempore cæteri Idumæi, testibus laudato Josepho *Lib. 3. cap. 17.* sectatus erat Religionem Judæorum, vetantem conjugium cum uxore fratris jam defuncti, si iste liberos reliquisset, Levitici *cap. 18. v. 16.* sicut à Philippo ejus fratre Herodialis filia saltatrix relicta fuit, Sanchez *cit. disp. 66. n. 12.*

Postremum, desumptum ex *c. Gaudemus cit. pr.* quia istô sermonem de solis consanguineis esse, observant *citt.* Sanchez *disp. 66. n. 14. in fine* & Perez *disp. 31. s. 4. n. 3.* &, in his etiam primo gradu conjunctis matrimonium Naturali Jure dirimi, ex *pr. cit.* perperam infertur; quia Papa de infidelium secundo & ulteriori gradu conjunctorum matrimoniis, ea post Baptismum susceptum non dissolvenda, ad consultationem respondit, primô gradu omnino intactô & sub dubio relicto, ut insinuatum suprà *n. 28.* & præter alios notat Gonzalez *in c. cit. n. 2.*

Dubium secundo est, an Naturali 49
Jure irritum sit conjugium inter affines in primo gradu lineæ Rectæ. Non quidem, si affinitas orta sit ex copula fornicaria; cùm ad conjugium inter ejusmodi affines contrahendum & ad jam contracti usum, quando affinitatis impedimentum occultum est, Sedes Apostolica non rarò dispenset in sacra Pœnitentiaria, teste Laiman. *Lib. 5. Tract. 10. p. 4. cap. 8 n. 6.* & dispensandi facultatem aliis committat apud *cit.* Perez *s. 5. n. 2.*

Sed, si affinitas orta sit ex copula conjugali: sicut est inter socerum & nurum, socrum & generum, vitricum & privignam, novercam & privignum; an enim inter tales inita conjugia Naturali vel Positivo tantùm Jure irritata sint, dubium ingens & inter DD. Catholicos olim hodiéque agitata controversia est: in qua, illa Naturali Jure irritata, affirmantium Opinionem, cui S. Augustinus *can. Si vir & uxor, 35. q. 3.* relatus admodum favet, cum Paludano *in 4. dist. 41. q. 1. art. 5. concl 2.* Sylvestro *V. Matrimonium 8. q. 15. d. 6.* Soto *dist. cit. q. unic. art. 3.*

art. 3. & aliis antiquioribus propugnant Covarr. *cit.* §. 10. *n. 6.* Bellarmin. *Lib. 2. de Matr. cap. 28. not. 2.* & Laiman. *cit. cap. 6. n. 5.* Moventur primò, textibus Juris Civilis, *l. Si ad adulterium 38. §. 2. ff. ad L. Jul. de Adult. & l. fin. §. 1. ff. de Condict. sine causa*, ejusmodi nuptias habentis pro incestuosis. Secundò, authoritate Concilii Arvernensis *cap.* 11. matrimonio cum privigno inito Naturæ Jura perrumpi, asserentis. Tertiò lege Divina, Levitici *cap. 20. à v.* 11. easdem, tanquam grande nefas, gravissimis pœnis subiiciente, apud Prophetam Amos *cap. 2. v. 2.* tanquam gravissimum scelus exaggerante filii & patris concubitum cum puella; quòd eô Nomen Dei sanctum violârint, id est, Gentibus tales concubitus abominantibus occasionem præbuerint Nomen Domini Dei sanctum blasphemandi: & illô Apostoli, *Auditur inter vos fornicatio, qualis nec inter Gentes; ut uxorem patris sui aliquis habeat*, 1. Corinth. *cap. 5. v. 1.* Quartò, usu Ecclesiæ, quæ ad ejusmodi matrimonium nunquam legitur dispensâsse. Quintò ratione; quia vitrico & novercæ, socero & socrui; quòd parentum loco sint, *§. Socrum 7. Instit. de Nuptiis & l. Quia parentis 16. ff. Soluto matrim.* eadem ferè, quæ parentibus, reverentia & submissio deberi, & huic mutua conjugum obligatio, & actûs conjugalis turpitudo adversari videtur.

50. Huic tantæ authoritati & momentis rationum ea quidem vis inest; ut ad ejusmodi matrimonium, si aliquando validè: licitè tamen nunquam, nisi ex gravissima maximæ & extraordinariæ necessitatis causa, dispensari posse, existimem cum Card. de Lugo *Responf. Moral. Lib. 1. dub. 40. n. 36.*

Nihilominus tamen, ab ejusmodi in primo gradu & lineæ rectæ affinibus contractum, non Naturali, sed Ecclesiastico Jure irritatum, censeo cum D. Thoma 2. 2. *q. 174. art. 9.* Cajetano *ibid.* Abulensi *in Lib. 1. Reg. cap. 8. q. 149. 151. &c.* & aliis VV. quos secuti sunt Henriquez *Lib. 11. cap. 1. n. 22. citt.* Sanchez *disp. 66. n. 7.* Pontius *cap. 34. n. 5.* Palao *Tract. 29 disp. 4. p. 8. n. 12.* Diana *p. & tract. 4. resol. 93.* & Gonzalez *in c. 1. n. 9.* suam hanc 51.
Opinionem desumentes aut firmantes Imprimis authoritate Conciliorum Agathensis, relati *can. De incestu, 34. q. 3.* Epaunensis *can. 30.* & Aurelianensis III. *can. 10.* quorum posteriori, cum relicta patris & cum filia uxoris in infidelitate contracta conjugia, non solvenda post susceptum Baptismum: prioribus autem cum privigna ante suam prohibitionem constituta, subintellige, *Matrimonia*, ad quæ verbum illud Doctores *citt.* (non *Decreta antiquorum Canonum*, ad quæ id, non tamen improbabiliter *cit.* Lugo *n. 16.*) referri volunt, post suæ prohibitionis decretum non dissolvenda dicuntur contrà, quàm debent, quæ irritata sunt Jure Naturali. Deinde sacræ prophanæque Historiæ exemplis, sic enim Adonias Abisag, David patris sui relictam, sibi petiit copulari *Lib. 3.* Regum *cap. 2. v. 17.* sic Seleucus Rex Stratonicen uxorem suam filio in matrimonium dedisse perhibetur à Valerio Maximo *Lib. 5. cap. 7.* Denique etiam ratione; quia, licet ejusmodi matrimonium valde indecens, eámque ob causam extra maximæ necessitatis casum permittendum non sit, tamen ejusmodi affinium neuter alterius superior aut alteri tanquam naturali suo principio, connubiale fœdus simpliciter excludenti, est subjectus. Idem fœdus etiam non excludit reverentia, quæ ab uno alteri debetur & exhiberi solet ipsi patri: &,

patri: &, si eam excluderet, qua ratione dispensari posset ad matrimonium cum eâ, quæ à patre extra matrimonium carnaliter cognita, itáque cum suo principio una caro est effecta? ut cum *citt.* DD. rectè advertit Perez *disp.31.s. 3.n.6.* Unde planè corruit ratio contrariæ Opinionis.

52. Leges etiam Civiles aliud non evincunt, quàm ejusmodi nuptias, propter naturalem quandam indecentiam, meritò prohiberi & irritari potuisse: & quia prohibitæ & irritatæ sunt, pro incestuosis Jure haberi. A Concilio autem Arvernensi matrimoniô cum privigna initô, cùm Jus Naturæ perrumpi dicitur, id de Jure solùm prohibente, non etiam de irritante exaudiendum, desumitur ex eo; quòd idem asserat de matrimonio inito cum sorore uxoris, naturaliter non decente & illicito, nisi gravi causa cohonestetur, *cit.* Pontius *n. 9.*

53. Non majorem vim habent textus legis Divinæ. Veteris quidem; quia hæc ejusmodi matrimonium nuspiam irritavit. Gravissimis autem pœnis id meritò subjecit propter maximam indecentiam: propter quam ad ipsum dispensatio ab Ecclesia nunquam est impetrata: neque ejus in posterum impetrandæ spes est, extra casum urgentis omnino extraordinariæ necessitatis. Patris etiam & filii cum eadem puella concubitus abominandum scelus reputatum apud Amos est, fuítque; quòd non incestûs tantùm, sed cujusdam adulterii omni Jure damnati & apud Gentes scandalosi habuerit rationé. Novæ autem Legis sive *cap. 5. v. 1. cit.* textus; quia isto sermo est, de matrimonio à filio inito cum uxore patris adhuc viventis: quod non obscurè insinuat ipse Apostolus, dum ait, *Hæc scripsi non propter eum, qui fecit injuriã, nec cum, qui passus est*, intellige *Patrem adhuc viventem* 2. Corinth. *cap. 7. v. 12.* hoc enim solum inter Gentes inauditum erat. Ita Sedulius, Cajetanus & alii à Cornelio *in cap. 5. v. 1.* relati.

TITULUS XV.

De Frigidis & Maleficiatis, & Impotentia coëundi.

PErquam molestæ Curiarum Ecclesiasticarum Præsidibus esse solent lites, ortæ super impotentia coëundi; quòd ejus certa ratio, etiam Medicæ artis peritorum auxiliô investigata, sæpe vix, & ne sic quidem deprehendatur; & propterea sententias super ea, quacunque circumspectione latas, retractare sit necesse.

ARTICULUS I.

De Impotentiæ Varietate & causis.

SUMMARIUM.

1. *Impotentia duplex acceptio:* 2. *Et l.*

2. *Et I. alia est ad Coitum, alia ad Generationem.*
3. *Declaratur natura,*
4. *Et causa impotentiæ ad Coitum,*
5. *Et ad Generationem.*
6. *II. Alia Perpetua, alia Temporanea.*
7. *Quæ sine vitæ periculo naturaliter tollitur, perpetua non est.*
8. *III. Alia Absoluta, alia Respectiva.*
9. *Respectivam aliquando perpetuam esse, negantium,*
10. *Et affirmantium vera Opinio.*
11. *Impotentiam tollere conjuges,*
12. *Licet non cum mortis & gravissimæ infirmitatis,*
13. *Cum gravis tamen doloris periculo tenentur.*
14. *Non etiam cùm dubium est periculum mortis.*
15. *Impotentia aliquando oritur ex maleficio,*
16. *Pactione cum dæmone inducta:*
17. *Et variis mediis tollitur,*
18. *Licitè mediis spiritualibus:*
19. *Illicitè maleficio contrario,*
20. *Et secundùm aliquos illius signi remotione:*
21. *Quæ verius licita est,*
22. *Et pactum diabolicum solvit,*
23. *Sine novæ pactionis interventu.*
24. *Licita etiam est maleficii ei contrarii positio.*

1. IMpotentiæ nomine latè & genericè accepto venit quæcunque & undecunque proveniens maris ac fœminæ inhabilitas ad procreationem prolis & speciei propagationem. Presse ac specificè sumptum eam duntaxat ad hanc inhabilitatem denotat, quæ provenit ex naturali defectu partium corporis genitalium, illorum coitum sive carnalem commixtionem impediente: & opponitur impotentiæ sive inhabilitati ad coitum, ex frigiditate vel maleficio proveniente, secundùm propositam Rubricam & notata à Gonzalez *in c. Laudabilem 5. n. 5. pr.*

Priori modo & genericè accepta impotentia, alia Coëundi & alia Generandi est, Sanchez *Lib. 7. de Matr. disp. 92. n. 1. in fine* & Medicæ artis pertissimus totiùsque Ecclesiastici statûs Archiater generalis Paulus Zacchias *Lib. 3. Q Q. Medico-Legal. Tit. 1. q. 1. n. 8.* 2.

Coëundi, sive ad copulam carnalem perfectam, impotentia est vitium naturale vel accidentale impediens maris ac fœminæ carnalem commixtionem, quæ fit per vasis fœminei penetrationem & seminis in id effusionem, Panormit. *in c. Quod sedem 2. n. 5.* Sanchez *cit. disp. 92. n. 7. & disp. 99. n. 37.* Tannerus *Tom. 4. disp. 8. q. 4. n. 131.* Palao *Tract. 28. disp. 4. p. 14. §. & n. 1.* Perez *disp. 37. de Matrim. s. 1. n. 1.* Gobat *Experient. Tract. 9. n. 413.* Pirrhing *ad hanc Rubric. n. 1.* & Zacchias *cit. q. 1. n. 1.* Secundùm quos DD. ut mas ad copulam carnalem potens sit, necessarium est, ut fœmineum vas penetrare, & in id humanum semen effundere valeat: nec sufficit, quòd id sine seminis effusione penetrare, aut sine penetratione semen circa id effundere possit: etiamsi circa id effusi seminis pars aliqua matricis virtute attrahatur, ut aliis DD. relatis docent Hurtadus *de Matrim. disp. 22. diff. 3. n. 6. citt.* Palao §. 2. *n.* 1. & Perez *s. 2. n. 6.* Ratio est; quia per hujusmodi copulam, seu potiùs conatum ad eam, mas & fœmina una caro non efficiuntur; ut matrimonium inter eos initum verè consummetur, juxta *c. Laudabilem cit.* 3.

Quin, ut copula carnalis perfecta & ad matrimonii consummationem sufficiens sit, fœminei seminis cum masculino concursum exigit Medicæ artis peritorum

ritorum præsertim RR. sententia multò communior: quam comprobat laudatus Zacchias *q. 7. à n. 10.* secundùm quam proinde ad matrimonium validè ineundum habilis non est fœmina, quæ semen emittere non valet, ut probè agnoscit Sanchez *cit. disp. 92. n. 9.* licet ipse contrarium sentiat; quòd, fœminæ semen ad generationem multùm quidem conferre, sed necessarium non esse, credat.

4. Habet coëundi sive ad copulam impotentia varias causas; aliquando enim oritur ex defectu ætatis ad illam nondum aut non amplius aptæ: aliquando ex temperamento ipsius maris, vel nimis frigido & deficiente spiritibus ad illam excitantibus, vel nimis calido & seminis præproperâ expulsione, ejus intra vas effusionem aç exceptionem impediente: aliquando ex defectu partium genitalium ejusdem maris; quòd careat semine aut testibus, vel hos ineptos aut semen spurium, vel virgam habeat flaccidam aut nimis exilem vel magnitudine, præsertim crassitie, excedentem: aliquando ex maleficio, quô mali homines pessimis artibus, plerumque auxiliô dæmonis maris & fœminæ mutuam appropinquationem, spirituum excitationem & ad partes genitales commeationem, istarúmve motum, seminis effusionem & in debitum vas immissionem impedientis, homines ad coitum inhabiles reddere aliquando solent: aliquando ex certorum medicamentorum, ciborum & exercitiorum usu, ex intemperie aëris aliisve extraneis causis, *citt.* Sanchez *disp. 92. n. 1. & disp. 94. n. 2.* & Zacchias *q. 1. à n. 10.*

5. Generandi, sive ad generationem, impotentia est vitium naturale vel accidentale, impediens quò minùs ex maris ac fœminæ coitu, seu copula carnali perfecta prolis generatio & speciei propagatio sequatur: quod vitium aliquando se tenet ex parte maris, ob caloris, frigoris vel alterius qualitatis prædominantis excessum: aliquando ex parte fœminæ, ob eandem aliámve causam: aliquando ex parte utriusque, ob temperamentum ac seminis nimiam disconvenientiam aut etiam convenientiam, infæcundi aut sterilis: aliquando provenit ex maleficio, medicamentis, cibis, aliisve causis extrinsecis, semina nimiùm alterantibus: de quibus latè Zacchias *cit. q. 1. à n. 8. & 23.*

6. Hôc locô proposita impotentia coëundi sive ad copulam alia est Perpetua, quæ per media licita, hoc est, arte Medica sine gravi periculo & damno salutis corporalis, vel per consuetos Ecclesiæ Exorcismos non potest tolli: etiamsi tolli valeat per miraculum, vel arte magicam aut cum periculo & damno salutis corporalis. Alia solùm Temporanea, quæ sine tali periculo per naturalia & licita media tolli potest, ut desumitur ex Innocentii III. verbis, *Nos perspicacitèr attendentes, quòd impedimentum illud non erat perpetuum, quòd præter divinum miraculum per opus humanum absque corporali periculo potuit removeri, c. Fraternitatis 6.* quô textu *Operis humani* nomine, non quodcunque, sed illud solùm, quod est licitum ac honestum intelligunt DD. apud Barbosam *in c. cit. n. 5.* Cùm illud solùm dicamur posse, quod, non naturaliter tantùm, sed etiam justè facerè possumus, *can. Faciat 15.* junctâ Glossâ *V. Eôdem, 22. q. 2.* Sylvester *V. Matrimonium 8. q. 16. d. 6.* Navarrus *Manual. cap. 22. n. 59. cit.* Sanchez *disp. 94. à n. 8.* Laiman. *Lib. 5. Tract. 10. p. 4. cap. 11. n. 1.* & Palao *cit. §. 1. n. 4.* ubi tamen

7. Dubium est, an perpetua reputanda sit impotentia, quæ sine vitæ quidem, at non

at non sine gravis morbi periculo tolli potest. Eam enim etiam, quæ sine istius periculo tolli nequit, perpetuam esse, præter nonnullos alios existimârunt Vega *Tom. 2. Summæ cap. 34. casu* 111. & Henriquez *Lib. 12. cap. 7. n. 6.* quòd, licet *c. cit.* nomine *Corporalis* vel maximè intelligatur ipsius vitæ; non tamen excludatur, nec excludi Jure valeat periculum morbi gravis, cùm; quòd hujusmodi morbi est, mortis periculum inducat. Verùm, quia gravis morbus etiam is censetur, qui, licet gravem molestiam ac dolorem afferat, cùm mortis tamen periculo conjunctus non est, perpetua reputanda non est impotentia, quæ cum ejusmodi morbi, vitæ discrimen non adducentis, periculo tolli potest; quia *c. cit.* nomine *Corporalis* ipsius mortis periculum denotari, apertè insinuat Papa, id, quod *V. Quamvis Corporale* nominavit §. *Per hæc autem Mortis periculum* vocans, Zabarella *in c. cit. n. 5. citt.* Sanchez *disp. 93. n. 18.* & Palao *p. 14.* §. *1. n. 4.*

8. Eadem coëundi impotentia alia est Absoluta sive respectu omnium diversi sexûs personarum: alia solummodo Respectiva, sive respectu unius duntaxat vel etiam plurium similium, non respectu omnium diversi sexûs personarum: quæ aliquando provenit ex maleficio, viri cum una duntaxat vel certis quibusdam fœminis, aut fœminæ cum uno vel certis aliquot viris, non etiam cum aliis, carnalem commixtionem impediente: aliquando ex partium genitalium maris ac fœminæ disconvenientia; quòd ille virgam nimis exilem aut magnitudine excedentem, ista vulvæ os nimis angustum, & aliquando nimis amplum, habeat; ut licet ille cum alia muliere, ista cum alio viro congredi valeat, verè tamen copulari ob defectum proportionis inter partes illas non possit: aliquando ex alia non congrua dispositione corporum vel animi passionum, odii & quandoque amoris vehementia, aut aliis causis explicatis à laudato Zacchia *q. 6. à n. 1.* Ubi

Dubium est primò, an impotentia 9.
solùm respectiva, sive ex defectu naturali sive ex maleficio proveniens, perpetua esse possit, fuêre enim DD. qui id negarent, secuti S. Bonaventuram *in 4. dist. 34. q. 2. art. 3.* & Petr. de Ledesma *de Matrim. q. 58. art. 2. dub. 5.* pro quorum Opinione faciunt primò *can. Requisisti 33. q. 1.* verba, *Nam si huic non poterat concordare naturaliter*, hoc est, cum ea coire, *quomodo alteri conveniet?* cùm naturalis frigiditas aut maleficium, coitum impediens cum una, eum cum alia quoque sit impeditura, ut quibusdam placet apud Glossam *in can. cit. V. Naturaliter.* Secundò, *c. Laudabilem & c. Fraternitatis citt.* quorum textuum utroque ob coëundi impotentiam, diuturnô experimentô probatam, separatorum matrimonium ex ea solùm causa redintegratum est; quod, in casu prioris, virum cum alia muliere: in posterioris autem casu, fœminam cum alio viro coïre potuisse, fuerit compertum, minimè obscurô argumentô, conjugium non dirimi ob impotentiam solummodo respectivam; ac proinde hanc perpetuam non esse. Tertiò; quòd arte Medica muliebris angustia relaxari, & virilis membri undecunque proveniens improportio tolli, & ipsa etiam maleficii vis Ecclesiæ Exorcismis aut à maleficii authore vel alio enervari possit, Glossa *in c. Fraternitatis cit. V. Miraculum.*

At multò verius, imò certum est, 10.
etiam impotentiâ respectu certarum duntaxat personarum perpetuam esse posse, ut cum S. Thoma *in 4. dist. 34. q. unica art. 3.* Panormit. *in c. Fraternitatis cit.*

n. 19. Sylvestro *V. Matrimonium 8. q. 16. d. 3.* Petr. Barbosa *in l. 1. ff. Soluto Matrim. p. 1. n. 95.* & aliis docent Guttierez *de Matrim. cap. 113. à n. 1.* Sanchez *disp. 93. n. 5.* & Pontius *Lib. 7. de Matrim. cap. 65. n. 6.* quòd id clarè proditum *can. Si per sortiarias 4. q. 1. cit.* & insinuatum etiam sit *c. Fraternitatis cit.* cùm hoc textu matrimonium priùs instaurari non absolutè, sed eo solùm casu jubeatur, quô mulier, à priori viro prætextu impotentiæ ex naturali defectu provenientis separata, ab alio ei simili potuit cognosci, non obscurô indiciô, eam si à dissimili duntaxat cognosci potuisset, priori viro non restituendam; ac proinde ejus impotentiam, quantumvis solùm respectivam, perpetuam fuisse; cùm istâ solùm matrimonium dirimatur. Quare *c. hoc* à parte adversa perperam allegatur: uti & *c. Laudabilem cit.* cùm isto agatur de redintegratione conjugii propter viri impotentiam, provenientem ex frigiditate: quæ absoluta, non respectiva est; cùm frigidus omnino impotens reputetur, ut cum S. Thoma *disp. cit. q. 1. art. 2.* observat *cit.* Sanchez *n. 6.* ubi ex *can. Requisisti cit.* recitata verba de eadem naturali frigiditate intelligit.

Non magis quàm textus, urget ratio; cùm ob membri genitalis nimiam angustiam mulierem viro, & hunc ob illius magnitudinem uni duntaxat aut certis quibusdam mulieribus non convenire: idque ex maleficio aliquando evenire & naturalia illa vitia mediis naturalibus non emendari & consuetis Ecclesiæ Exorcismis aliisve licitis mediis fascinum non semper tolli, experientiâ sit compertum. Neque refert; quòd maleficium ab ejus authore vel alio malis artibus tolli queat; quia, hæc impotentiæ perpetuitati non obstare, ex *c. Fraternitatis cit.* liquet.

Dubium secundò est de obligatione conjugis ad impotentiam tollendam. Qua in re præ oculis habenda est qualitas remediorum. Et primò quidem, ex omnium sententia eam tollere uterque tenetur per media, quæ neque cum morbi, neque cum alterius gravis incommodi periculo sunt conjuncta; id enim poscit mutuum jus copulæ, ab utroque in in alterum translatum ipso contractu nuptiali. II.

Secundò, eam tollere neuter tenetur per media, afferentia discrimen salutis corporalis; quia ad hujusmodi remedia admittenda neuter se obligavit, aut conjugii lege obligatur, ut luculenter patet ex eo; quòd cùm ex cohabitatione salutis corporalis periculum imminet, divortium permittatur, ex communi sensu DD. II.

Tertiò, ex eadem ferè ratione admittere conjugum neuter tenetur impotentiæ remedia, quæ, licet nullum mortis, gravissimæ tamen infirmitatis periculum afferre judicantur, *citt.* Sanchez *disp. 93. n. 32.* & Perez *s. 7. n. 3.* II.

Quartò, mortis & hujusmodi infirmitatis periculo absente, conjux uterque ad suam & alterius etiam impotentiam tollendam, quando ea tolli aliter non potest, admittere tenetur remedia cum gravi dolore ac molestia conjuncta; ac proinde etiam virgo pati scissuram, quâ tolli ejus arctitudo vel virginale claustrum referari, eáque marito ad carnale commercium idonea reddi posse à peritis judicatur, ut aliis DD. allegatis verisimiliùs censent *citt.* Sanchez *n. 34.* Perez *n. 6. & 7.* & Gobat *n. 434.* Ratio est; quia, cùm tali casu matrimonium jure validum, eóque mutuum jus ad copulæ potentiam translatum sit, ad actus conjugales alteri exhibendos uterque obligatur, ejusmodi dolore ac molestia non obstante; II.

obstante; cùm huic multùm præponderet ademptio spei prolis procreandæ, maximúmque incontinentiæ ac pollutionum & ex his imminens periculum animarum: ad quæ incommoda sanè gravissima, cum sine graviori vel æquali incommodo potest, utrumque obligare videtur lex conjugii; cùm qui ad exhibendũ aliquod obsequium, etiam ad ejus requisita ponenda & impedimenta, cùm potest, removenda obligetur.

14. Quintò, in dubio, an scissura aliáve remedia mortis afferant periculum, illa admittere conjux non tenetur, nec debet: sicut sumere nequit cibos ac medicamenta, de quibus, an lethalia sint, rationabiliter dubitatur, *citt.* Sanchez *n. 15.* & Perez *n. 6.* ubi, tali casu matrimonium invalidum esse, uterque & rectè monet, ac desumitur ex *c. Fraternitatis cit.*

15. Dubium in praxi utile est tertiò de modo tollendi impotentiam, ex maleficio provenientem & à maleficis ex tacito, ut frequenter solet, vel etiam expresso pacto cum dæmone initô signi alicuius positione procuratam; usu enim magistro docemur, à maleficis quandoque cum dæmone conveniri & poni signa, vg. glomum capillorum, ligaturam vel nodos funiculi, fixuram clavi &c. eiusmodi aliásve res sub limine domûs alióve loco defodi aut abscondi ea pactione; ut, quamdiu signum non destruitur aut removetur, maleficium duret & impotentiam aliúdve nocumentum conservare dæmon
16. teneatur. Eiusmodi autem pactum simplex aut duplex esse potest. Simplex est, si eiusmodi signô positô dæmon præcisè impotentiam vel nocumentum aliud inducere & illo durante conservare: non etiam eô ablato potentiam restituere vel nocumentum tollere teneatur; ut ablatô signô liberum ei sit, à mali illatione cessare vel eam continuare. Duplex autem, si non solùm posito & durante signo malum inducere & conservare: sed insuper remotô vel destructô signô desistere & potentiam, sanitatem &c. restituere aut procurare teneatur.

Tolli vel impediri ex pacto diaboli- 17.
co orta maleficia diversimodè possunt, & Primò quidem remediis supernaturalibus, ut sunt oratio, invocatio sanctissimæ Trinitatis, Nominis JESU vel B. Virginis, ieiunium aliáque mortificationis vel misericordiæ opera, usus Sacramentorum Pœnitentiæ & Eucharistiæ vel signi S. Crucis aut sanctarum Reliquiarum, aqua, panis aut sal benedicta, consueti Ecclesiæ Exorcismi &c. Secundò alio potentiori & contrario maleficio. Tertiò remotione vel destructione signorum, quibus positis impotentia aliúdve nocumentum ex pactione cum dæmone inita infertur &, quamdiu illa intacta manent, conservatur. Quartò positione alicuius rei, quâ pactum à malefico cum dæmone initum dissolvitur; quòd eam dæmon aversetur aut ex pacto solummodo ligetur, quamdiu eiusmodi res à maleficiato per se aut alium non ponitur. Quibus præmissis

Certum est primò impotentiâ ex 18.
maleficio proveniente laborantibus aliúdve ex eo nocumentum passis non solùm licitum, sed consultum & præ omnibus aliis suadendum esse usum remediorum spiritualium ac supernaturalium; quippe quæ ad obtinendam ab ejusmodi malo & præstigiis omnibus liberationem à Deo specialiter instituta & ordinata, eorúmque usus non solùm ab omni peccati periculo remotissimus, sed insuper meritorius, & ad corporis animæque salutem proficuus est, Delrio *Disquisit. Magic. Lib. 6. cap. 2.* Lessius *Lib. 2. de J. & J. cap. 44. à n. 49. cit.* & Palao *Tract. 17. disp. 1. p. 11. n. 3.*

Certum est secundò, impotentiam a- 19.

liúdve nocumentũ quodcunque, ex maleficio ortũ, tolli non posse maleficio alio & potentiori: quamvis ad id parata opera à malefico offeratur, ex certa & ab omnibus recepta doctrina D. Thomæ *in 4. dist. 34. q. unic. art. 3. ad 3.* Ratio manifesta est; quia omne maleficium est intrinsecè malũ, sive ad nocendũ, sive etiam, ut quandoque sed in speciẽ tantùm solet, ad benefaciendum sit comparatum; cùm sit usus artis magicæ, & expressa vel tacita invocatio auxilii dæmonis ad recuperandam potentiam aliúmve effectum obtinendum: cuiusmodi auxilii invocatio & usus quicunque severè interdictus est à Domino Deo, cuius præceptum est, *Non declinetis ad magos, nec ab ariolis aliquid scisciteminí*, Levitici *cap. 19. v. 31.* & gravissima comminatio, *Anima, quæ declinaverit ad magos & ariolos, ponam faciem meam contra eam & interficiam illam, ibid. cap. 20. v. 6.* quibus similia ex S. Augustino referuntur *can. Qui sine 7. can. Illo 8. &c. 26. q. 2. can. Admoneant 15. can. Non observetis 26. q. 7.*

Neque ejusmodi maleficii usum cohonestat utilitas atque etiam bonitas effectûs; quia mala facienda non sunt, ut veniant bona, secundùm Apostolum ad Roman. *cap. 3. v. 8.* atque idcirco non immeritò Alexander III. presbytero, qui bonô zelô & simplicitate ductus, ad recuperandam Ecclesiæ rem furto ablatam, superstitiosam divinationem expertus erat, ab Altaris ministerio remoto pœnitentiam jussit imponi, *c. Ex tuarum 2. de Sortilegiis.* Unde etiam

Certum est tertiò, casu, quô ex pacto cum malefico quomodocunque inito dæmon, positô signô, non solùm impotentiam aliúdve nocumentum inducere illóque durante conservare, sed insuper signô remotô vel destructô eiusmodi malum tollere & potentiam, sanitatem &c. restituere ac procurare tenetur, signum tollere maleficiato non licere ea intentione; ut dæmon ex pacto malum auferat & potentiam, sanitatem &c. procuret ac restituat. Ratio est; quia tali intentione facta signi ablatio pacti cum dæmone initi usus, confirmatio & approbatio foret, eiúsque virtute potentiæ, sanitatis &c. recuperatio speraretur, *citt.* Sanchez *n. 1.* & Perez *f. 8. n. 4.* Hæc omnino certa.

20. Controversia autem percelebris est, an sine ullius maleficii & huiusmodi pactionis interventu removere ac destruere, vel ab ipso malefico petere liceat; ut destruat vel removeat signum, quô positô ac durante impotentiam vel aliud nocumentum dæmon ex tacito vel expresso pacto inducere & conservare tenetur; nam & hoc apud *cit.* Delrio *Lib. 7. cap. 2. f. 1. q. 3.* aliqui inficiantur & moventur

Primò exemplô S. Hilarionis, non passi investigationem ac remotionem signorum, quibus dæmon se ligatum, iisque ablatis se à puella exiturum dixerat, apud S. Hieronymum *in Vita Hilarionis*: quem S. Ecclesiæ Doctor ea ratione ductum ait; ne dœmon solitis incantationibus recessisse, aut ejus dictis fidem accommodâsse ipse videretur.

Secundò; quia ejusmodi signi destructio est quoddam signum datum potentiæ & sanitatis à dæmone restituendæ, aut non ampliùs impediendæ: à dæmone autem datis signis ad sanitatis & potentiæ recuperationem uti non licet; cùm id sit intrinsecè malum; ut nullo casu nullóque quantumcunque honesto fine valeat cohonestari.

Tertiò; quia à dæmone cum malefico paciscente habetur notitia, quòd signi positione ac perseverantiâ impotentia vel aliud nocumentum illatum conservetur; ac proinde illius remotione vel destructione sit

ctione sit cessaturum; cùm seclusâ pactione id maleficiatus nesciret; ac proinde signum removens aut tollens ad tollendum maleficium utatur scientiâ à dæmone acceptâ: cujus ad mali propulsationem atque potentiæ & sanitatis recuperationem usus illicitus est.

Quartò; quia, sicut signi positio ad tollendâ potentiâ aliúdve nocumentum inferendum valet: sic ejus destructio vel remotio valet ad potentiæ recuperationem & liberationem à nocumento; cùm dæmonis adinventio & opus utraque sit & utriusque effectûs ipse sit causa: &, sicut signô positô impotentiam inducit aut aliud malum infert, sic eô remotô vel destructô potentiam ipse reducat & tollat nocumentum.

Quintò; quia, si removere aut dedestruere liceret signa, quibus positis dæmon ex pacto impotentiâ vel nocumentum aliud induxit, uti etiam liceret signis ac remediis aliis, quibus positis dæmonem ab ejusmodi mali illatione cessaturum scitur; cùm non appareat ulla ratio, cur signi ablatio potiùs quam positio signorum aut mediorum aliorum usus licitus sit: & à pacto saltem implicito cum dæmone hujusmodi signorum positio & mediorum usus non magis quàm eorum ablatio sit dependens. His tamen non obstantibus

21. Ejusmodi signorum, quorum positione ac perseverantiâ impotentia aut aliud malum illatum conservatur, destructionem ac remotionem non illicitam esse; atque idcirco maleficiatum illa destruere vel removere per se, aut; ut id præstet, à malefico vel alio petere posse cum Scoto *in 4. dist. 34. q. unica* & ejus Scholæ DD aliis, cum Cajetano *in Summa V. Maleficium*, Sylvestro *V. eôdem q. 7.* Soto *dist. cit. q. unic. art. 4.* Navarro *Manual. cap. 11. n. 29.* Castro *Lib. 1. de Hæretic. Punit. cap. 15.* Delrio *cit. q. 3. tota &c.* defendunt Lessius *cap. cit. n. 36.* Suarez *Lib. 2. de Superstit. cap. 17. à n. 9. citt.* Sanchez *à n. 3.* Perez *s. 8. à n. 5.* Palao *p. 11. n. 8.* & alii RR. Rationem satis efficacem reddunt; quia remotionis & destructionis signi inhonestas, si quæ esset, tota proveniret ex eo; quòd esse videatur usus & participatio quædam artis magicæ & tacita invocatio dæmonis; ad hoc enim evincendum deductæ rationes planè omnes tendunt: talis autem actûs rationem non habere destructionẽ illam, ostenditur; quia hæc artis magicæ par- 22.
ticipatio usúsq; & diabolici auxilii invocatio non est ex sua natura; cùm hâc præcisè spectatâ omnino indifferens actio sit. Neque etiã ex fine & intentione removentis ac destruentis; hic enim dæmonem non tam invocare, quàm per maleficium sive positionem signi factã ejus invocatione, signi remotione vel destructione dissolvere & impedire intendit. Neque etiam ratione effectûs; quia impotentiæ aut alterius nocumenti cessatio ex se bona & removenti vel destruenti debita est. Neque etiam ex antecedente pacto; quia signum tollens cum dæmone non convenit; ut amotô vel destructô signô desinat nocere; sicut enim, qui sciens à civitatis proditore ex collusione vel pactione cum hostibus inita positum esse signum, quô conspectô isti, quo tempore & loco civitas invadenda & occupanda sit, signum illud tollendô non tam colludere & pacisci cum hostibus aut inito cum illis pacto consentire, quàm eos aversari & collusionem pactionémque impedire ac tollere censetur: sic etiam, qui sciens, à malefico ex pactione cum dæmone inita positum esse signum inducendi impotentiam aliúdve nocumentum inferendi, signum illud removendô vel destruendô non tam cum dæmone pacisci, cum eóve

à malefi-

à malefico inito pacto consentire, quàm illum aversari, pactum dissolvere eique resistere &, ne impotentiam aliúdve malum illatum continuet, impedire intelligitur. Neque etiam ratione credulitatis, quòd signô sublatô malencium sit cessaturum; quia id credere ullo Jure non prohibetur; cùm ex usu & experientia verisimile sit, fore ut dæmon, qui pactô ligatus erat ad nocendum, signô ablatô pactóque dissolutô cesset.

Confirmatur hæc ratio & resolutio primò; quia in impotentiæ vel alterius nocumenti illatione dæmon aliquid agit & operatur: non etiam in potentiæ recuperatione & liberatione à nocumento ad signi destructionem vel ablationem; quia hâc factâ solummodo agere & operari definit; quòd ex pactione cum malefico inita agere & operari solùm teneatur, quamdiu signum durat; ac proinde signo ablato agere & operari definit non ex nova pactione, sed ex mera priùs initi dissolutione ac cessatione.

Confirmatur secundò; quia, si maleficus in externo vel etiam in interno ac Pœnitentiali foro impotentiam aliúdve nocumentum signi alicujus positione illatum & conservatum confiteretur, ab utriusque fori judice ad signi remotionem compelleretur; imò externi fori judex aliquando illius remotionem vel destructionem alteri mandaret, manifestô indiciô, ut signum tollat, à malefico peti, idque ab ipso maleficiato ad se à diabolica vexatione liberandum tolli posse, quin ex pacto cum dœmone inito agere eúmque invocâsse videatur.

Ex his facili negotio diluuntur argumenta, quibus signorum à maleficis positorum destructione vel remotione factâ, pactorum diabolicorum dissolutio ipsa quoque arguitur Superstitionis.

23. Primum, quia S. Hilarion diabolicæ pactionis signa perquiri & removeri vetuit, partim causâ vitandi scandali pusillorum; ne scilicet præsens ac rudis populus, dæmonis à puella expulsionem magicis incantationibus procuratam, existimaret: partim verò; quòd ad fidelium in fide & fiducia in Deum confirmationem & Divini Numinis majorem gloriam fore judicârit, si miraculorum patrandorum, quô excellebat, dono uteretur, & virtute Divina puellam à maligni spiritûs potestate ac vexatione liberaret.

Secundum; quia signi ablatio non est signum potentiæ, sanitatis &c. ex pactione à dæmone procurandæ ac restituendæ, sed solummodo remotio causæ & invocationis, ad potentiam & sanitatem impediendam vel tollendam moventis; cùm ex pactione expressa vel tacita cum malefico inita dæmon positô signô solummodo nocere: non etiam signô remotô potentiam & sanitatem procurandô prodesse teneatur hôc ipsô; quòd positô ac perseverante signô solummodo; ut potentiam & sanitatem tollendô noceat; non etiam; ut signô ablatô illas restituendô prosit cum malefico sit pactus; ac proinde signi remotionem vel destructionem secuta potentiæ & sanitatis recuperatio nullatenus procedat ex pactione, sed huic merè accidentaria sit.

Tertium; quia signum tollens, eô ablatô dæmonem desinere, non didicit ab ipso dæmone, sed naturaliter intellexit ex iis, quibus id cum illo pactus maleficus manifestavit: &, si ab ipso dæmone id didicisset, & discendô graviter peccâsset, acceptæ tamen ab eo notitiæ ad signi destructionem vel remotionem usus ei illicitus non esset: sicut, qui Grammaticam aliámve ex se licitam artem dæmonis magisteriô didicisset, licet ab eo discendô graviter peccârit, Grammaticam tamen aliámve ejusmodi artem usu exercere sine

cere sine peccato potest, ut aliis DD. relatis tradunt *citt.* Sanchez *n. 4.* & Palao *p. 11. n. 1.*

Quartum; quia inter signi positionem & ablationem lata disparitas est; cùm illa ex pactione, non etiam ista procedat: ad illam dæmon agat aliquid & operetur, ad hanc agere & operari desinat præcisè ideo; quòd cum malefico initæ pactionis vi solùm ligetur, quamdiu signum in loco positum intactum perseverat: eô verò remotô agere desinat, vel; quia non vult: vel; quia à Deo non ampliùs permittitur: non vi pactionis, ipsum inter & removentem intercedentis.

24. Quintum ac postremum; quia verisimiliùs licita non solùm est destructio vel remotio signorum à malefico positorum, sed etiam positio contrariorum, ex se tamen licitorum aut indifferentium signorum, quibus positis dæmon nocere desinit; quod ex pactione cum malefico inita ad impotentiam aliúdve malum inducendum solùm ligetur, donec hujusmodi contrarium signum ponatur, ut cum Hostiensi *in c. fin. hâc Rubr. n. 6.* Joan. Andr. *ibid. n. 16.* sustinent Sylvester *V. Maleficium q. 7.* non obscurè: & perspicuè omnino docent Sanchez *Lib. 2. Moral. cap. 41. n. 25. citt.* Lessius *n. 45.* Suarez *n. 16.* Palao *n. 10.* & Perez *n. 6.* qui parùm referre aiunt, an id proveniat ex eo; quòd dæmon tali signo offendatur, vel ipse statuerit, tali signo posito à nocumento inferendo cessare, vel à Deo nocere ampliùs non permittatur. Rationem reddunt; quòd licitum sit, aliquid ex se bonum vel omnino indifferens facere, quô factô à malefico cum dæmone inita conventio dissolvitur ac cessat; cùm id non signum pactionis novæ, sed priùs initæ detestatio & eversio sit.

(o)

ARTICULUS II.

De Impotentia dirimente Matrimonium.

SUMMARIUM.

25. *Nuptiis non obstat impotentia ad solam generationem:*
26. *Ad copulam solùm temporanea,*
27. *Et aliquando respectiva:*
28. *Imò & absoluta, si superveniat matrimonio,*
29. *Etiam nondum consummato:*
30. *Cujus contractum aliquando præcessisse,*
31. *Aliquando ei superveniisse, præsumitur.*
32. *Superveniens conjugio, hujus usum plerúmque non impedit:*
33. *Aliquando tamen illicitum reddit.*
34. *Valet matrimonium à moribundo,*
35. *Et ab hermaphrodito secundùm sexum prævalentem:*
36. *Aliquando etiam secundùm debiliorem initum.*
37. *Cum dubio de impotentia matrimonium iniri nequit.*
38. *Conjuges impotentes separantur, si incontinenter:*
39. *Si castè vivant, cohabitare permittuntur.*
40. *Impotentes secundùm aliquos verum contractum matrimonialem inire possunt:*
41. *Quod alij meliùs negant,*
42. *Spectatô Jure moderno & ratione,*
43. *Et veteri Jure non adversante.*
44. *Impotentia perpetua conjugium dirimit Jure Ecclesiastico,*
45. *Imò Naturali.*
46. *Alia ratio est impotentia temporalis.*

25. CErtum est primò, Matrimonium inter Christianos non dirimi Impotentiâ ad solam generationem: etiamsi ea perpetua & absoluta sit, ut patet ex parentibus S. Joannis Baptistæ aliisque sterilibus, inter quos, quia ad actum conjugalem verè potentes sunt, verum matrimonium intercedit: etiamsi ex illo ob senium, frigiditatem, infirmitatem &c. prolis generatio non sequatur, nec speretur secutura, ut cum S. Thoma *in 4. dist. 34. q. unica art. 2.* aliisque TT. & Canonistis docent Petr. Barbosa *in l. 1. ff. Soluto Matr. p. 1. n. 98.* & Sanchez *Lib. 7. de Matrim. disp. 94. à n. 26.* Ratio est; quia Impotentia ad solam generationem non impedit, quò minùs vir & mulier una caro fiant. Unde leges Julia & Papia, viros sexagenarios & fœminas quinquagenarias à conjugiis arcentes, non solùm Ecclesiæ usu, sed Imperiali etiam judicio sublatæ sunt, *l. Sancimus 27. C. de Nuptiis*, senibus quacunque ætate matrimonium permittente: nisi fortè ad actus conjugales perpetuò inhabiles essent, Covarruvias *de Sponsal. p. 2. cap. 8. §. 2. n. 10. V. Nonò, citt.* Barbosa *n. 94.* & Sanchez *n. 20.*

Neque obstat; quòd finis matrimonii sit generatio prolis, deficiens in sterilibus & infœcundis; quia, quòd ea non sequatur copulæ perfectæ tantùm accidens: & matrimonii finis non sola prolis generatio, sed etiam remedium concupiscentiæ est, *can. Nuptiarum, 27. q. 1. cit.* D. Angelicus *art. 2. ad 3.* & Barbosa *n. 98.*

26. Certùm secundò est, conjugia non dirimi propter impotentiam ad copulam solùm temporaneam, etiam absolutam & undecunque provenientem, *c. Fraternitatis 6. V. Quamvis igitur*; Cui non adversatur; quòd impuberes, quantumvis hujusmodi duntaxat impotentiâ laborent, inhabiles sint ad matrimonium inundum, *c. Ubi non est 2. c. Contingebat 6. &c. de Desponsat. impub.* quia, inter eos inita conjugia Jure solùm Ecclesiastico irritata, doctrina est *cit.* S. Thomæ *dist. 36. q. unica art. 5.* ab aliis DD. recepta; ideóque ad ejusmodi conjugia cum fidelibus dispensari potest, *arg. c. Ubi non est cit. in fine*, eáque inter infideles usu rationis præditos, quacunque ætate inita sint, subsistunt, Perez *disp. 37. de Matr. s. 2. n. 3.*

27. Certùm est tertiò, matrimonium non dirimi propter impotentiam solùm respectivam, si istâ respectu unius personæ impeditus, id contrahat cum alia, respectu cujus potentia datur, ut colligitur ex *c. Fraternitatis cit.* & cum Glossa *V. Simili & V. Debeat*, explicat Panormit. *n. 19. & 20.* quia ita, sive respectu unius duntaxat, impotens tradere alteri potest in suum corpus jus respiciens actus conjugales, hoc ipso; quòd hi cum illo possibiles sint, Sylvester *V. Matrimonium 8. q. 16. d. 3. citt.* Barbosa *n. 95.* & Sanchez *disp. 93. n. 5.*

28. Certum est quartò, matrimonium etiam non dirimi propter impotentiam ad copulam, etiam perpetuam: si ista illi jam consummato superveniat, *can. Hi qui, 32. q. 7.* propter omnimodam ipsius insolubilitatem; contrà verò matrimonium dirimi Impotentiâ perpetuâ, ejus contractum antecedente, per textus *can. Si uxorem 32. q. 5. c. 1. &c. hâc Rubr.* & declarationem Sixti V. propter eam matrimonii incapaces pronuntiantis Eunuchos & spadones *Motu proprio*, qui incipit *Cùm frequenter* 27. Jun. 1587. edito: cujus tenorem refert Guttierez *Q. Q. Canon. Lib. 1. cap. 16. n. 18.*

29. Dubium autem primò est de impotentia perpetua, superveniente matrimonio tantùm Rato; nam etiam illâ hoc dirimi cum Gratiano *in fine Summæ 33. q.* 1. voluerunt Sprenger *Mallei Malles. p. 1. q. 5. &*

q. 8. & Alexand. Carerius *Lib. 5. de Sponsal. cap. 18.* & suadetur etiam *can. Quod proposuisti, 32. q. 7. & c. Ex literis 3. hâc Rubr.* At revera textus isti id non persuadent. Prior; quia eô vel de muliere, correptâ infirmitate arctitudinis; ac proinad matrimonium inhabili: vel de matrimonio cum alia permisso prævia dispensatione, quod cum illa non consummatum, sed solumodo ratum erat, sermonem esse, patet ex dictis supra *Tit. 8. n. 4.* Posterior; quia eô relatum Alexandri III. rescriptum de impotentia matrimonium antecedente loqui, clarè patet ex verbis, *Si Mulier vitium illud à natura contraxit*, ut *ibi* cum Glossa *V. Contraxit*, notant Barbosa *n. 2.* & Gonzalez *n. 2.*

Quare matrimonium etiam Ratum, superveniente Impotentiâ quacunque, dirimi *in c. Ex literis cit.* meritò negant Anchoran. *in fine*, Panormit. *n. 3.* & Alex. de Nevo *n. 2.* cósque secuti cæteri Interpp. & DD. cùm propter textus *can. Si Uxorem cit. & can. Ii qui 32. q. 5.* quorum utroque, præsertim posteriori, matrimonium contractum, superveniente quacunque infirmitate vel defectu, solvi negatur: tum verò; quia à melioris notæ DD. ferè omnibus receptum est, matrimonium Ratum quoad vinculum non solvi, nisi professione Religiosa vel Apostolica dispensatione: cui tali casu locum esse, monent Panormit. & Alex. de Nevo *l. citt.*

30. Dubium secundò est, an in dubio impotentia matrimonium antecessisse, vel istius contractum subsecuta esse præsumatur. Illam præcessisse, cum Hostiensi in *c. Fraternitatis cit. n. 4.* Panormit. *ibid. n. 16.* & *cit.* Sylvestro *q. 16. d. 9.* Gaëta *in can. Ad limina 30. q. 1. §. 4. n. 27. &c.* docent Henriquez *Lib. 12. cap. 8. n. 3.* & Mascard. *de Probat. conclus. 816. n. 19.* contrà eam matrimonium subsecutam, cum Ant. de Butrio *in c. cit. n. 20.* vult Palao *cit. p. 14. §. 7. n. 5.* A quo fortassis non multùm divertet, qui rem expedire volet distinctione; vel enim ejusmodi dubium ortum est statim post matrimonium contractum istiúsque attentatam consummationem: vel primùm ex intervallo temporis, præsertim notabilis vg. duorum vel plurium annorum?

Si prius: præsumendum est, eam matrimonium antecessisse, saltem si impotentia ex vitio naturali & non merè accidentali, vg. ex maleficio aut mutilatione sit orta, ut cum prioris Opinionis Assertoribus volunt Guttierez *cap. 116. n. 3.* & Sanchez *disp. 103. n. 4. & 6.* Ratio est; quòd aliquem brevi tempore ab uno extremo ad alterum transiisse, & potentiam, quam à naturâ habuit, amisisse non præsumatur, præsertim, cùm qualitates acceptæ à natura semper inesse præsumantur, per tradita à Menoch. *Lib. 1. præsumpt. 14. n. 3.*

Si posterius: impotentiam matrimo- 31.
nio contracto superveniisse, existimandum docet *cit.* Palao *n. 5.* sive ex maleficio, alióve accidenti, sive ex naturali vitio proveniat; quia præsumi debet quemlibet à natura potentem & habilem ad humani generis propagationem; ac proinde ad istam inhabilitatem superveniisse potiùs, quàm antecessisse. Propter quam rationem in dubio impotentiam accidentalem potiùs, quàm naturalem esse, cum *citt.* Guttierez, Sanchez & aliis DD. censet idem Palao *n. 7.*

Neque obstat; quòd, si judicetur, eam matrimonio supervèniisse, periculum sit accedendi ad non suam. Non, inquam, hoc obstat, cùm; quia ex notabilis temporis lapsu, sicut potens, sic etiam sua præsumi potest: tum verò; quia, si impotentia judicetur antecessisse, & propterea conjugio dissoluto ad novas nuptias

transeant conjuges separati, periculum est adulterii, ab utroque committendi.

32. Dubium tertiò est, an licitus sit usus matrimonii, cui impotentia perpetua supervenit. Si, quæ supervenit, ad generationem duntaxat, non etiam ad coitum inhabilem reddat, illum licitum esse, nemo facilè in dubium vocat, extra casum: quô fœmina ex viro conceptam prolem semper mortuam & cum manifesto vitæ periculo in lucem edit. Quô tamen etiam casu debiti ipsam etiam exactionem, licet ad redditionem non obligent, cum *cit.* Sanchez *disp.* 102. *n.* 11. ei permittunt Coninck *disp.* 31. *dub.* 8. *n.* 87. & Palao *Tract.* 28. *disp.* 4. §. 2. *n.* 12. quòd, licet contrahendô ad redditionem cum suscipiendæ prolis & propriæ vitæ periculo se obligâsse non præsumatur, ad vitandum tamen incontinentiæ & animarum detrimentum, cui matrimonialium actuum privatione ipsa cum consorte exponitur, periculum illud subire ullo Jure non prohibeatur præsertim; cùm prolis conceptio, ex qua hoc periculum oritur, fortassis non secutura: &, si sequatur, proli ante partum mortuæ etiam sic esse, quam non esse, melius: &, quod ejus editione mater timet, mortis periculum certum non sit.

33. Si impotentia etiam sit ad copulam, & ex superveniente testium aut seminis defectu proveniat, debiti redditionem & ipsam etiam exactionem licitam, cum Gaëta *in can. Ad limina*, 30. *q.* 1. §. 4. *n.* 539. censent. *citt.* Sanchez *n.* 8. & Palao *n.* 11. non etiam, si undecunque proveniens impotentia impediat seminis intra vas effusionem; hôc enim casu DD. *citt.* conjugibus illos tantùm actus permissos aiunt, ex quibus semen vel non effundendum, vel, id quoad partem saltem aliquam fœmineo vase recipiendum, sperant: contra prohibitos & illicitos esse docent actus, ex quibus seminis extra vas effusio secutura, & seminis ullam partem illô recipiendam spes non esse, certò scitur.

34. Dubium quartò est de valore matrimonii cum concubina in articulo mortis contracti ab infirmo. Ratio dubitandi est; quòd in articulo illo constituto prolis generatio, & ipse etiam actus conjugalis impossibilis sit; ac proinde ejus matrimonio perpetua impotentia obstare videatur: propter quam rationem initum ab eo matrimonium pro irrito habet Baldus in *l. Sed est 6. ff. de Lib. & posth. in fine.* Sed contra sensum & usum Ecclesiæ, concubinam, etiam in ejusmodi articulo, duci permittentis, favore non tantùm prolium ex ea susceptarum: quas hujusmodi matrimoniô legitimari, patet ex generali Regula *c. Tanta 6. Qui filij legitimi:* sed salutis etiam spiritualis ipsius infirmi, ob nimium affectum in concubinam, & defectum aut maximam difficultatem serii propositi ab illa recedendi, de animæ salute & felicitate æterna non parùm periclitantis: quod periculum initô inter ipsum & concubinam matrimoniô cessat.

Neque hujus valori obstat difficultas aut impossibilitas actûs conjugalis; quia, licet hunc vis morbi impediat, ipsa tamen ad eum & generandi etiam potentia adesse & perseverare præsumitur, quamdiu eam vi morbi destructam esse, non constat, ut rectè advertit *cit.* Palao *p.* 14. §. 2. *n.* 6. & ante eum Sanchez *disp.* 105. *n.* 3. hanc sententiam veram vocans.

35. Dubium quintò est de valore conjugii initi ab hermaphrodito, sive eo, qui utroque sexu pollet. Quem marem aut fœminam censeri juxta sexum prævalentem, liquet ex *l. Quæritur* 10. *ff. de Statu homin.* Cùm neuter sexus prævalet, alterius electionem, sed sine variatione, ei permittunt: eúmque ex sua determinatione pro

tione pro mare aut fœmina habendum, & ad matrimonium cum sexûs ab electo diversi personam ineundum habilem, cum Glossa *in can. Si testes 2. §. Ad testimonium 4. q. 3.* Sylvestro *V. Hermaphroditus, in fine* Maiolo *Lib. 3. de Irregularit. cap. 25. n. 16.* & aliis docent Guttierez *de Matr. cap. 119. n. 1.* & *cit.* Sanchez *disp. 106. n. 6.* quòd, cùm utroque sexu polleat, & uti neutrô magis quàm alterô, & utroque simul non valeat, rectè uti permittatur eô, quô ipse, adhibitô peritorum, præsertim Medicorum aut Matronarum, consiliô mavult: dummodo alterius usui perpetuò renuntiet, *arg. can. Presbyteros, 16. q. 1.* præstitô juramentô: quod ei deferendum, ex Hostiensi rectè monet *cit.* Sanchez *n. 2.* Hæc satis certa

36. Anceps autem & controversus est valor matrimonii ab eo initi secundùm sexum debiliorem, vg. fœmineum, cùm ei prævalet virilis; eius enim valorem ex ea ratione DD. *citt.* impugnant; quòd, cùm hermaphroditus à prævalente sexu vir reputetur, *l. cit.* ab eo cum viro contractum matrimonium inter ejusdem sexus personas initum videatur. Cui Opinioni sicut facilè accedo, si fœmineus sexus ita debilis sit; ut eum ad coitum seu perfectam copulam carnalem cum viro reddat impotentem: casu tamen, quô ad coitum secundùm utrumque sexum potens esset, matrimonium secundùm debiliorem initum validum censeo cum Pontio *Lib. 7. de Matrim. cap. 65. n. 8.* & Perez *disp. 36. s. 13. n. 4.* quòd ab eo, qui potentiam fœminæ habet instar alterius fœminæ, cum viro initum conjugium neque Naturali neque Positivo Jure sit irritum. Imò id satis probabiliter etiam illicitum non sit ei, qui diversi sexûs usui perpetuò præstitâ cautione juratoriâ renuntiavit.

Dubium sextò est de casu, quô, an hermaphraditus secundùm aliquem sexum, & quicunque alius, tam mas quàm fœmina, ad coitum potens sit: vel ea, quâ laborat, impotentia perpetua sit, dubitatur; dubiô enim hôc non obstante, initum ab iis matrimonium culpâ vacare, existimat Palacios *in 4. dist. 34. dist. 1. concl. 2. in fine*; quòd ad ejusmodi dubium tollendum triennale experimentum ab Ecclesia concessum sit, *c. Laudabilem 5. & c. fin.* Sed hoc leve est; cùm triennium hoc ab Ecclesia solummodo indultum sit ad explorandum valorem conjugii jam contracti; quòd hoc, antequam de illo vel nullitate constet, nec ratum haberi nec dissolvi possit. Quare, antequam ejusmodi dubium deponatur, à 37.
contractu matrimoniali abstinendum, communis DD. sententia & solida ratio est; quòd, tali dubiô stante, eum celebrans necessitatem contrahat ad exercendos actus, quos an fornicarii vel conjûgales sint, rationabiliter dubitatur: proinde ei, quô cum matrimonium init, gravem inferat injuriam, & non minorem irreverentiam Sacramento matrimonii, id exponendô periculo irritationis, *citt.* Guttierez *cap. 116. n. 3.* Sanchez *disp. 103. n. 10.* & Palao *p. 14. §. 7. n. 1.*

Dubium septimò & magni momenti 38.
controversia est, an matrimonium scienter contrahens cum impotente saltem ad cohabitationem & obsequia conjugalia, quæ potest, exhibenda obligetur. Qua in re satis convenit inter plerósque DD. si, ut plerumque solet, incontinentiæ periculum sit, duos, quorum alter vel uterque impotens est, ad mutuam cohabitationem admitti non posse: imò eos etiam, quorum alter alterius impotentiæ ignarus cum eo matrimonium iniit, si non castè vivere, sed carnalibus & libidinosis actibus operam dare appareat,

authoritate Ecclesiastica separandos, Sixtus V. in Motu proprio, *de Eunuchorum conjugiis* 1587. editô, declaravit, ut videre est apud Guttierez *QQ. Canon. Lib. 1. cap. 16. n. 18.* & *cit.* Sanchez *disp. 92. n. 17.*

39. Convenit inter eosdem secundò, eos quorum uterque matrimonium bona fide, sive cum hujusmodi impedimenti ignorantia contraxit, impotentiâ & ex ista proveniente matrimonii nullitate detectâ, si castè vivere communi consensu velint, ita sibi mutuò cohabitare posse; cùm id apertè decisum sit *c. Laudabilem 5.* ubi Cœlestinus III. de matrimonio, cum frigido ignoranter contracto, agens, *Si*, inquit, *consentiant simul esse: vir eam, & si non ut uxorem, saltem habeat ut sororem.* Quin etiam eos, qui cum impedimento impotentiæ scienter contraxerunt, si continentiæ & libidinosæ cohabitationis periculum absit, ita simul, si velint, permanere permitti posse, clarè insinuatur *c. Consultationi 4.* ubi relati Lucii III. de viro cum fœmina arctitudine impeditâ copulato, rescriptum est, *Licet incredibile videatur, quòd aliquis cum talibus contrahat matrimonium: Romana tamen Ecclesia consuevit in consimilibus judicare; ut, quas tanquam uxores habere non possunt, habeant ut sores.* Quô textu de contractu cum impedimenti scientia inito sermonem esse, ibi notant Innocentius, Panormit. *n. 2.* Barbosa *n. 2.* & manifestum est ex verbis *Licèt incredibile videatur*; quia cum fœmina arcta, aut aliter impotente matrimonium ignoranter iniri, cùm frequenter accidat, incredibile non est, ut probè advertunt *cit.* Sanchez *disp. 97. n. 2.* & Pontius *Lib. 7. cap. 58. n. 1.*

40. An autem ita contracta socialis vita verum matrimonium sit, aut de Jure esse valeat, dubium & dissensio quædam est inter DD. Id enim ex antiquioribus disertè affirmant Paludan. *in 4. dist. 30. q. unica, art. 2.* Tholos. *Syntag. Lib. 9. cap. 12. n. 6.* Medina *de Continentia Lib. 5. à cap. 74.* & nonnulli alii: quorum Opinioni non obscurè favet S. Thomas *in 4. dist. 34. q. 1. art. 2.* & apertiùs 3. *p. q. 29. art. 2.* eique ex RR. virile patrocinium præstat Pontius *cit. Lib. 7. à cap. 56.* eam ex Jure & ratione latè propugnans. Et ex illo quidem pro se allegat duo *cc.* antè relata & *can. Requisivisti 33. q. 1.* quibus textibus mulier impotens, cui quis (præsertim sciens) matrimonio conjungitur, cùm nequeat ut uxor, ut soror habenda dicitur, matrimoniali vinculo non dissoluto, argumentô ductô ex *can. cit.* verbis, *Si non ut frater & soror cohabitare: sed retinaculum conjugale voluerint rescindere.* Unde à contrario infertur casu, quô ut frater & soror cohabitare voluerint, retinaculum seu vinculum conjugale non rescindi, quod est persistere & firmum manere. Rationem *cit.* Pontius *cap. 58. à n. 1.* unicam, sed suô judiciô optimam & solidam reddit; quòd matrimonii essentia consistat in conjunctione animorum, quâ duo diversi sexûs se mutuò obligant ad naturalem societatem vitæ, *arg. l. Nuptias 30. ff. de R. I.* quæ conjunctio, cùm stare valeat cum impotentia, matrimonium ita validè contrahent impotentes: &, si ultra illam conjunctionem exigeretur obligatio ad actus conjugales, quâ ratione, inquit Pontius, matrimonium consistere potuisset inter S. Josephum & B. Virginem Mariam? Quia hæc obstricta fuit voto continentiæ, ut ex verbis, *Quoniam virum non cognosco*, Lucæ *cap. 1. v. 34.* colligunt S. Augustinus *Lib. de Sancta Virgin. cap. 4.* aliique PP. & propterea ad ejusmodi actus se obligare non potuit. Ita Opinionem suam sua-

quam suadent DD. *citt.*

41. Sed non persuadent; cùm ejusmodi socialem vitam verum matrimonium esse, cum Divini humaníque Juris Interpp. & DD. VV. à *cit.* Sanchez *disp. 97. n. 2.* magnô numerô congestis passim negent RR. permoti, imprimis allegatô *Motu proprio* Sixri V. cujus tenor

42. est: *Mandamus; ut conjugia per quoscunque Eunuchos & Spadones, utroque teste carentes, cum quibulibet defectum illum sive ignorantibus sive scientibus contrahi prohibeas: eósque ad matrimonia contrahenda inhabiles authoritate Nostra declares &c. & matrimonia ipsa sic de facto contracta, nulla, irrita & invalida esse, declares.* Quibus verbis matrimonia cum eunuchis & spadonibns, tam ignoranter, quàm scienter, contracta irrita pronuntiantur. Deinde ratione; quia matrimonium ex natura & institutione sua ad humani generis propagationem, sive ad actus ad hanc ex se aptos, referri clarè indicat sacer textus *Adhærebit uxori suæ & erunt duo in carne una*, Genes. *cap. 2. v. 24.* itẽ ab Alexandro III. *c. Illud quoque* 11. *de Præsumpt.* tradita ejus definitio & *can. Deus, 31. q. 1.* Unde vi ejus initi conjuges contrahunt obligationem sibi mutuò, cùm exigitur, reddendi debitum conjugale: quod cùm impotentibus impossibile sit, impossibilis etiam cum ipsis erit verus contractus matrimonialis. Denique ex absurdis, quæ ex contraria Opinione sequuntur; quia, si conjunctio animorum sine obligatione tradendi corpus ad actum conjugalem induceret matrimonium, hoc inter patrem & filiam, filium & matrem, fratrem ac sororem, socerum & nurum &c. consistere posset, §. *Cùm ergo* post *can. Sufficiat, 27. q. 2.* quia prædicta animorum conjunctio & societas vitæ eis non adversantur, ut rectè arguunt *cit.* Palao §. *6. n. 3.* & Perez *disp. 37. s. 4. n. 3.* Unde corruit adversæ partis ratio.

Neque pro ea facit conjugium B. Virg. Mariæ cum S. Josepho; quia, licet illi votum continentiæ obstiterit, quò minùs in ipsum actum conjugalem potuerit consentire: consentire tamen potuit in individuam vitæ societatem, & virtualiter in obligationem tradendi corpus ad ejusmodi actus, si exigerentur; quia eos nunquam esse exigendos, certa fuit ex revelatione & dispositione Divina, *can. Beata, 27. q. 2.* cui virginitatem suam committens in ejusmodi societatem & virtualiter in obligationem ad copulam sive istius exigendæ jus in castissimum Sponsum transferendum, non in ipsam copulam consensit, ut cum S. Hieronymo in illud, *Cùm esset desponsata* & S. Chrysost. *Homilia 4. in verba, Antequam convenirent*, Matth. *cap. 1 v. 18.* & aliis PP. ac DD. advertit Barbosa *in can. cit. n. 5.*

Neque plus eruitur ex *cc. citt. textibus*; cùm, quatenus asserunt impotentem non posse haberi *Ut uxorem*, nostram sententiam apertè confirment; quia clarè indicant, cum illa verum matrimonium non dari: quatenus autem dicunt, eam habendam *Ut sororem*, nobis non contradicant; quia cohabitationem, seclusô incontinentiæ periculô, non præcipiunt, sed solummodo permittunt, si in eam uterque consenserit, Perez *s. cit. n. 5.* 43.

In speciem magis, reipsa minùs urget *can. Requisivisti cit.* cum ejus textu nomine *Conjugalis retinaculi*, non vinculum matrimoniale verum, sed tantùm putatitium, sive inchoatam vitæ societatem intelligi, non obscurè pateat ex eo; quod secundùm textum & contra naturam conjugalis vinculi possit rescindi, & ortum sit ex contractu, ignoranter inito cum

to cum impotente : quod irritum esse, qui nobis adversantur, non inficiantur.

44. Dubium est octavò de Jure, quô impotentia perpetua matrimonium dirimit; hoc enim Jure solùm Positivo, præsertim Ecclesiastico, irritum esse, Paludanus *in 4. dist. 30. q. 1. art. 2. n. 6.* Major *ibid. dist. 34. q. 1.* Gaëta *in can. Ad limina 30. q. 1. §. 4. n. 328.* Armilla *V. Matrimonium n. 47.* & nonnulli alii volunt, præcipuéque nituntur *c. Quod sedem 2.* quô relatum Alexandri III. rescriptum est, *Sicut puer, qui non potest reddere debitum, non est aptus conjugio, sic qui impotentes sunt, minimè apti ad contrahenda matrimonia reputantur.* Unde subsumunt, pueri sive impuberis cum puella matrimonium non Naturali, sed Ecclesiastico tantùm Jure irritum esse; cùm ad id dispensari cum eo posse, & à Sede Apostolica fuisse dispensatum, testis sit Navarrus *ad Rubric. de Sponsal. Consil. 4.* apud Gobat *Experient. Tract. 9. n. 610.* Ergo Naturali Jure validum, solóque Ecclesiastico irritum est conjugium impotentis. Confirmatur; quia, sicut impotentia solùm temporalis se habet respectu temporis, quô ea durat, ita se habet perpetua respectu temporis totius vitæ; cùm illa corporis ad actus conjugales traditionem pro tempore, quô durat, non minùs impediat, quàm ista sive perpetua impotentia pro vitæ tempore toto. Ergo, sicut impotentia temporanea, sic etiam perpetua conjugium dirimit solo Ecclesiastico Jure.

45. Veriùs tamen, si impotentia perpetua sit, id dirimi Jure Naturali, cum SS. DD. Angelico *in 4. dist. 34. q. unic. art. 2. ad 1.* & Seraphico *dist. cit. q. 1. art. 2. ad 1.* Turrecremata *in Summam. 35. q. 1. n. 8. ad 1.* Soto *dist. cit. q. unic. art. 2. concl. 1.* Sylvestro *V. Matrimonium 8. q. 16. in fine* & antiquioribus multis defendunt *citt.* Sanchez *disp. 98. n. 2.* Perez *disp. 37. s. 9. n. 2.* Hurtad. *de Matrim. disp. 22. n. 30.* & Palao *p. 14. §. 6. n. 3.* Ratio solida non minùs quàm perspicua est; quia matrimonialis contractûs natura & essentia consistit in mutua traditione & translatione juris in corpus mutuóque consensu in obligationem, non solùm ad individuam societatem vitæ, sed etiam ad actus ex se aptos ad generationem prolis, ut indubitatè desumitur ex verbis Domini Dei matrimonium instituentis, *Et adhærebit uxori suæ: & erunt duo in carne una*, Genes. *cap. 2. v. 24.* & ex illô Apostoli, ex nuptiali contractu ortam obligationem mutuam explicantis, *Uxori vir debitum reddat: similiter autem & uxor viro*; quoniam vi contractûs illius *Mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir: similiter autem & vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier*, 1. ad Corinth. *cap. 7. v. 3. & 4.* Cùm ergo, qui perpetuâ impotentiâ laborat, corporis sui jus ita transferre in alterum, & in obligationem ad ejusmodi actus consentire non possit hôc ipsô; quòd actus ad prolis generationem apti ipsi impossibiles sint, per *Reg. Impossibilium 185. ff. & Reg. Nemo 6. in 6.* contractus matrimonialis ex ipsa istius natura & essentia ei impossibilis, ab eóque initum conjugium naturali Jure irritum est; quia id, quòd rei naturæ & essentiæ repugnat, eam irritam reddit Jure Naturali.

Neque hac in re eadem aut par ratio est impotentiæ perpetuæ & solummodo temporalis; cùm illa traditionem juris in corpus & obligationem ad actus conjugales, ac proinde contractum nuptialem simpliciter excludat: non etiam ista sive impotentia temporalis; cùm, qui actus illos exhibere jam non potest, eos exhibere valeat in futurum; ac proinde, 46

sicut qui

ſicut, qui jam ſolvendo non eſt, ſolvendi obligationem ſubire in futurum tempus poteſt, ſic etiam, qui propter defectum ætatis ad conjugales actus exhibendos potens jam non eſt, eos, cùm potens erit, exhibendi obligationē ſubire valebit per contractum matrimonialem: licet id nequeat, qui impotentiâ perpetuâ laborat inſtar ejus, qui ſolvendo nunquam eſt futurus; nam & hic ſolvendi obligationem, cujus eſt incapax, ſubire non poteſt, *arg. Regg. citt.* Ex hac reſolutione

Infertur primò, perpetuam impotentiam etiam ſolummodo reſpectivam matrimonium cum perſona, quacum actus conjugales ei impoſſibiles ſunt, dirimere Jure Naturali; cùm tali perſonæ tradi nequeat jus in corpus ſuum, neque etiam ſubiri obligatio ei exhibendi, ſi exigantur, actus conjugales; quòd hi reſpectu ejusmodi perſonæ impoſſibiles ſint. Secundò, idem juris eſſe etiam, ſi impotentia proveniat ab extrinſeco vg. ex maleficio; cùm etiam talis actum conjugalem aliquando reſpectu omnium, aliquando reſpectu unius vel plurium & tertarum perſonarum impoſſibilem; ac proinde reſpectu earum matrimonium irritum reddat. Tertiò, irrita etiam eſſe conjugia infidelium, quorum uterque vel alter perpetuâ impotentiâ laborat; cùm enim inter impotentes & cum ipſis initorum conjugiorum nullitas ex ipſa matrimonii natura oriatur, pariter afficiet fideles & infideles. Ita *citt.* Sanchez & Perez uterque *à n. 5.*

ARTICULUS III.

De Matrimonii cum Impotente initi Diſſolutione.

SUMMARIUM.

47. *Hæc Jure permiſſa non eſt ipſis cõjugibus:*
48. *Quibus etiam audientia aliquando negatur,*
49. *Aliquando conceditur ante experientiam triennalem.*
50. *Circumſpectè tractanda eſt cauſa impotentiæ:*
51. *Cujus ſigna, ſi evidentia,*
52. *Vel moraliter certa ſunt, matrimonium diſſolvendum.*
53. *Cùm illa dubia ſunt, triennium expectandum,*
54. *Eóque exactò pro matrimonio pronuntiandum eſt:*
55. *Niſi impotentiam fateatur conjux uterque.*
56. *Triennium illud inchoatur copulæ attentatione,*
57. *Et moraliter continuum exigitur.*
58. *Matrimonii diſſoluti, ſi potentia appareat, redintegratio facienda eſt:*
59. *Niſi impotentia miraculò,*
60. *Vel malis artibus ſit ſublata:*
61. *Vel matrimonium ſolutum ſit propter impotentiam ſolùm reſpectivam.*
62. *Aut ex maleficio provenientem,*
63. *Eámque ſolum temporaneam fuiſſe, non appareat.*
64. *Matrimonii redintegrationi præmittenda eſt Pœnitentia.*

QUantumvis cum impotente verum matrimonium conſiſtere non poſſit, & propterea, qui hoc cum illo iniit & de impotentia certus eſt, carnalem copulam illicitè attentet, à conjugio tamen receſſus ei Jure permiſſus non eſt ſine Eccleſiæ authoritate, *arg. c. Porro 3. de Divortiis.* 47.

48. Ab ipso etiam judice Ecclesiastico adversus matrimonium suum proclamantium querelas, non indiscriminatim omnes, admittendas, docet Burcardus relatus *c.* 1. ubi mulieri, viri impotentiam post annum vel dimidium alleganti, audientia denegatur, & rationis locô ei objicitur; Cur tamdiu tacuerit; *Cùm facilè & intra breve tempus scire potuerit, an sit aptus ad copulam.* Cui textui primô intuitu apertè adversari videntur *c. Fraternitatis 6. & c. fin.* decisiones, quarum priori post multos, posteriori, post octo cohabitationis annos adversus matrimonium conquerens auditur: idque jure optimô; cùm, *Quòd ab initio nullum est, tractu temporis non convalescat* per *Reg. Quod ab initio 29. ff. & Reg. Non firmatur 18. in 6.* & matrimonium præscribi ullo tempore non possit, *c. Non debet 8. §. fin. de Consang. & Affinit.* Quas sanctiones Canonicas ut ab Antinomiæ vitio absolverent, VV. Interpp. multùm: & multi necquicquam laborârunt. Nec defuêre & à Sanchez *Lib. 7. de Matr. disp. 8. n. 2.* referuntur, qui relatam *c. 1. cit.* dispositionem *c. Fraternitatis & c. fin. citt.* assererent correctam. Imò ei negarent vim Juris; quòd neque ex Rescriptis Apostolicis, neque ex alicujus Concilii generalis decretis translata sit in Decretales. Sed perperam; cùm Juris correctio, ubi congrua interpretatione potest, vitanda sit: &, si ratio habenda esset fontis, ex quo textus in Decretales derivatus est, vis & authoritas Juris innumeris textibus adimenda foret.

Meliùs ergo alii, *c. 1. cit.* mulieri, post notabile temporis intervallum viri impotentiam proponenti, audientiam eô solùm casu denegari, ajunt, quô vir, se potentem asserens, ei contradicit, & necdum lapsum est triennium, atque insuper impotentiæ evidentia certáve aut saltem verisimilia indicia non allegantur & probantur. Hôc ergo casu, licet audientia ei deneganda, audienda tamen 49.
mulier est Imprimis, si, viro etiam se potentem asserente, post unum vel duos menses à copulæ attentatione lapsos statim proclamet, juxta *c. 1. cit. V. Si autem.* Dein etiam, si vir ei non contradicat aut, hôc ipsi contradicente, séque potentem asserente, post experientiam triennalem: atque ante hanc etiam, si ab ipsa allegatæ impotentiæ evidentia certáve aut saltem verisimilia indicia afferantur. Si hæc dubia duntaxat sint, audientia ei quidem ante, *V. Si autem cit.* non etiam post triennalem experientiam denegatur, *c. Fraternitatis & c. fin. citt.* Atque ita hos textus in concordiam reducunt Guttierez *de Matr. cap. 120. n. 7. cit.* Sanchez *disp. 109. n. 14.* & Palao *Tract. 28. disp. 4. p. 13. §. 8. n. 2.*

In praxi cùm adversus matrimo- 50.
nium ex causâ impotentiæ, etiam justo tempore, provocatur, judex Ecclesiasticus propter arduitatem negotii ad illius dissolutionem nequaquam temerè, sed circumspectione maxima: neque ex sola conjugum unius, vel etiam utriusque, confessione: sed, si de corporis defectu certò constare aliunde non possit, prævia inspectione corporum, masculini per Medicos & Chirurgos, fœminei verò per obstetrices aliásque honestas matronas: non eôdem semper modô, sed pro varietate indiciorum ac probationum variè, aliquando statim, aliquando ex intervallo procedet.

Et primò quidem, si de impoten- 51.
tia constet ex signis, peritorum judicio omnino certis & physicè evidentibus, v. g. quod mas virilibus vel utroque teste careat, vel illa omnino arida habeat: fœmina propter nimiam arctitudinem ad

omnem

omnem coitum inepta indubitatè appareat, matrimonium ſine mora aliáve probatione ac ſolennitate diſſolvendum eſt, adeò; ut, conjugibus juramentum deferri, non ſit neceſſe: ſed ſufficiat; quòd id delatum ac præſtitum ſit à Medicis & aliis, qui ejusmodi ſigna adeſſe teſtantur. Ita cum Gloſſa *in c. Fraternitatis 6. V. Matronas*, Panormit. *ibid. n.* 11. & aliis Interpp. ac DD. *citt.* Guttierez *cap.* 120. *n.* 2. Sanchez *diſp.* 107. *n.* 3. & Pontius *Lib.* 7. *de Matr. cap.* 66. *n.* 1. Ratio eſt; quòd tali caſu certa ſit matrimonii nullitas: quâ compertâ, carnale commercium Juri Naturali adverſatur.

52. Secundò, ſi impotentiæ ſigna veriſimilia, & non phyſicè, ſed moraliter duntaxat certa ſint, *cit.* Sanchez *n.* 4. cum Ant. de Butrio *in c. Laudabilem* 5. *n.* 14. & Alex de Nevo *ibid. n.* 17. matrimonii diſſolutioni præmitti vult juramenta, quibus conjuges, de quorum alterius impedimento agitur, ſe coire non poſſe: & eorum ſeptem propinqui aut vicini, ſe credere, eos verum jurâſſe, aſſerant, juxta *c. cit. & c. fin.* Ratio eſt; quòd, cùm ſigna ſolùm moraliter certa, meritò major, quàm cùm ea omnino evidentia ſunt: & minor probatio exigatur, quàm cùm ea dubia ſunt. Unde, cùm *c. Laudabilem cit.* ad cognoſcendam frigiditatem triennalis cohabitationis experientia præſcribitur, id de caſu, quò impotentiæ ſigna certa & evidentia non adſunt, intelligendum, notat & ex *c. cit.* verbis, *Si frigiditas priùs probari non poſſit*, deſumit Panormit. *in c. cit. n.* 5.

53. Tertiò, ſi ſigna ſint dubia, & impotentiam, uno negante, alter duntaxat, imò ſatis probabiliter etiam, ſi eam uterque conjux fateatur, concedendum ipſis eſt triennium ad experiendum, an matrimonium per veram copulam carnalem valeant conſummare, *cc. citt.* Imò, ſi fœmina duodecimum aut mas decimũ quartum annum primùm egreſſi, eorúmque potentia dubia eſſet, tempus experientiæ longius indulgendum, nec matrimonium diſſolvendum eſſet ante pubertatem plenam & perfectam: quam, licet fœmina impletô decimô quartô, *l. Mala* 14. *ff. de Alimentis*, mas tamen non adipiſcitur ante exactum ætatis annum decimum octavum, *l. Arrogato* 40. §. 1. *ff. & §. Minore* 4. *Inſtit. de Adopt.* Hoſtienſ. *in c. Laudabilem cit. poſt pr. ubi* Joan. Andr. *n.* 3. *cit.* Sanchez *diſp.* 108. *n.* 4.

54. Quartò, lapso trienniô, ſi matrimonium verè conſummatum neget vir, & fœmina affirmet: & impotentiæ ſigna certa aut ſaltem veriſimilia non appareant, fides habenda affirmanti, & ſententia pro matrimonio ferenda eſt; partim *arg. c. fin. de Sent. & re jud.* & Regulæ, *In pari cauſa potior eſt conditio poſſidentis*, quæ eſt 65. *in 6.* Panormit. *in c.* 1. *n.* 5. partim; quòd fœmina, viro impotenti cohabitare & ſterilis apparere velle, non præſumatur. Ita *in c.* 1. Hoſtienſ. *n.* 1. Joan. Andr. *n.* 4. Alex. de Nevo *n.* 9. & alii Interpp. ac DD. quos referunt & ſequuntur Maſcard. *de Probat. concluſ.* 312. *n.* 24. & *cit.* Sanchez *diſp.* 109. *n.* 9. Si verò matrimonium conſummatum, negante fœminâ, affirmet vir: & hunc impotentem, per Medicorum & Chirurgorum: aut, illam incognitam & adhuc virginem eſſe, per matronarum & obſtetricum inſpectionem probari nequeat, fides habenda eſt viro affirmanti; cùm *arg. c. fin. & Reg. citt.* tum verò; quòd vir caput ſit mulieris, *c.* 1. ut propterea etiam ejus potiùs, quàm iſtius, aſſertioni fides ſit adhibenda, Panormit. *in c. cit. n.* 5. *ubi* Alex. de Nevo *n.* 17. & aliis DD. relatis Sanchez *n.* 1. & Palao *n.* 7.

55. Quintò demum, si alterum impotentem uterque affirmet, ad tollendam suspicionem collusionis, juxta *c. Laudabilem cit.* ipsis cum septima manu propinquorum aut vicinorum: vel, si tales & tot haberi nequeant, aliorum bonæ famæ & pauciorum, juramentum modò antè dictò est deferendum. Quò præstitò, matrimonium irritum declarandum, & ei, qui potens est, ad alia vota transitus est permittendus, *c. cit. & c. fin.* Glossa *in can. Requisisti 2. V. Septimâ manu, 33. q. 1.* Sylvester *V. Divortium q. 20. citt.* Guttierez *n. 13.* Sanchez *disp. 108. n. 7.* & Pontius *n. 5.* Ex dictis

56. Dubium oritur primò, de triennii à Jure ad experimentum indulti computatione. Et id quidem ab attentatæ copulæ potiùs, quàm à matrimonii contracti die, computandum, satis convenit inter DD. & ratio perspicua est; quia conceditur ad explorandam conjugis potentiam: quæ exploratio inchoatur ipsâ copulæ attentatione. Unde *c. Laudabilem cit.* verba, *A tempore contracti matrimonii cohabitent per triennium*, exaudiunt de illius contractu, ut ferè solet, perfecto cum copulæ attentatione, Glossa *in c. cit. V. Contracti, ubi* Hostiens. *c. cit. pr.* Alex. de Nevo *n. 10.* & *cit.* Sanchez *disp. 110. n. 1.*

An autem ab attentatione illa, vel potiùs à decreto judicis computandum sit, dissensio inter eos est. Mihi, spectato Jure, id ab illa potiùs, quàm ab isto, sive à termino à judice præfigendo, computandum: idque *c. cit.* insinuatum & clarè proditum videtur *c. fin.* quò locò mulier, quæ viro suo per octo annos cohabitavit, ab eo statim separanda asseritur, si constiterit, eos intra prædictos octo annos per continuum triennium insimul habitâsse, Panormit. *in c. fin. cit. n. 12. citt.* Guttierez *cap. 121. n. 3.* & Sanchez *n. 4. & 5.* sed, licet hoc Jure verius, Curiæ tamen Romanæ praxi, id à decreto judicis currere, testis est Farinacius *Consil. vol. 1. decis. 27. & 277.* quòd, insinuatò sibi decretò judiciali, præmissáque confessione peccatorum & SS. Eucharistiæ Sacramenti sumptione, copula à conjugibus sollicitiùs procuretur, Pontius *cit. cap. 66. n. 12.*

57. Dubium secundò est, an experientiæ triennium debeat esse continuum. Quod aliqui affirmant, alii negant. Nec malè utrique, si illi de Morali: isti de Mathematica aut etiam Physica continuatione, interpolationem & cessationem omnem excludente, loquantur; cùm triennium, moraliter saltem continuum, apertè exigant verba recitata ex *c. fin.* physicæ autem continuationis necessitatem non admittat ratio; quia, si eâ frequentiâ, quâ alii conjuges matrimonio uti communiter solent, in ejus usu seu carnalis copulæ attentatione tribus annis ipsi perseverârint, trienniò continuò copulæ experimentum cæpisse censentur; ut, cæterorum conjugum instar, ipsorum cohabitatio & experientia interrupta non censeatur: quantumvis peregrinationis aut alicujus negotii gerendi causâ unus ab altero aliquot diebus, imò hebdomadis, & uno alteróve mense abfuerit, vel propter infirmitatem aut aliud simile impedimentum tanto tempore à matrimonii usu abstinuerit, Ita aliis DD. relatis *citt.* Guttierez *n. 7.* Sanchez *disp. 111. n. 5.* Pontius *n. 12.* & Palao *§. 10. n. 5.*

58. Dubium tertiò est de casu, quò eum, ob cujus impotentiam matrimonium Ecclesiæ authoritate est dissolutum, potentem fuisse, postea apparet. Quò casu Regulæ instar est, eò, quod postea contractum est, dissolutò priùs matrimonio redinte-

redintegrandum, secundùm Rescriptum Innocentii III. relatum *c. Fraternitatis cit.* Ratio est; quòd tali casu Ecclesia sit decepta, ab eáque contra matrimonii valorem lata sententia processerit ex errore: ex quo pro & contra matrimonium lata sententia decendii, imò decennii, lapsu in rem judicatam non transit, *c. cit. & c. Lator 7. de Sent. & re judic.* ut eam, quandocunque ex errore processisse apparet, aut legitimè probatur, retractari sit necesse, juxta dicta *Lib. 2. Tit. 27. art. 5.*

59. Hæc tamen Regula perpetua non est; cùm plures sint casus, quibus conjugium priùs initum instaurari necesse non est: veluti

Primò, si ex defectu testium aut membri virilis aut istius ariditate, ex fœminæ nimia arctitudine aliáve causa proveniens impotentia sublata esset miraculô; quia extraordinariâ miraculi viâ potentiam aslecutus naturaliter verè & perpetuò impotens & ad nuptias inhabilis fuit, ut argumentô à contrario ductô infertur ex verbis, *Attendens, quòd impedimentum illud non erat perpetuum, quod præter Divinum miraculum potuit removeri, c. Fraternitatis cit.* Secus esset, si sublatum esset per consuetos Ecclesiæ Exorcismos & Orationes, *can. fin. 33. q. 1.* quia miraculô tolli id solùm censetur, quod extraordinariis & insolitis: non quod consuetis & ordinariis, etiam spiritualibus, auxiliis cessat, Sotus in *4. dist. 34. q. unic. art. 3. cit.* Sanchez *disp. 94. n. 10.* & Laiman *Lib. 5. Tract. 10. p. 4. cap. 11. n. 2.*

60. Secundò, si impotentia aliter insuperabilis, sive à maleficii authore, sive ab alio incantatione magica vel alia mala arte sublata esset; quia etiam ea, quæ per ordinaria & licita media tolli nequit, naturaliter perpetua reputatur, juxta *c. cit.* verba, *Per opus humanum*, ideſt, *licitum*, ut monui *n. 6. citt.* Sanchez *n. 11.* & Laiman *n. 2.*

Tertiò, si matrimonii dissolutio facta est propter impotentiam, vg. arctitudinem mulieris solummodo respectivam, eáque ab alio priori dissimili viro cognoscatur; quia ea, quæ posteriori & dissimili viro ad coitum apta & potens est, priori nimis arcta, & respectu ipsius perpetuò impotens potuit esse, *arg. c. cit. citt.* Sanchez *disp. 99. n. 18.* & Pontius *cap. 64. n. 3. Dissimili*, inquam; quia, si mulier ab alio, quoad ætatem, vires & habitum corporis priori simili viro carnaliter cognosceretur, potens esse convinceretur etiam respectu istius: quocum proinde matrimonium redintegrandum esset eô, quod postea cum alio contractum est, dissolutô, ut *c. cit.* disertè habetur. 61.

Quartò, quando idem post triennalem experientiam dissolutum est propter impotentiam provenientem ex maleficio unius vel utriusque; si enim eam, quæ prævià ejusmodi experientiâ respectu unius declarata est impotens, ducat & carnaliter cognoscat alius, cum isto initum non dissolvitur, nec redintegratur matrimonium prius, ex clarâ decisione *can. fin. 33. q. 1.* quô relatum decretum, licet Provinciale duntaxat sit, Ecclesiæ tamen usu approbatum & Apostolicæ Constitutionis vel in Concilio generali editæ sanctionis instar est receptum. Ratio est; quia non rarò accidit; ut quis maleficiatus sit solummodo respectu unius. Ita in *can. cit.* Turrecremata *art. 2. in fine & in c. 1. hâc Rubric.* Ant. de Butrio *n. 7.* Panormit. *n. 7.* Alex. de Nevo *n. 10.* Sylvester *V. Matrimonium 8. d. 8.* aliisque DD. congestis *cit.* Sanchez *n. 22.* excipiens casus, quibus conjugii dissolutioni præmissa non esset experientia triennalis: quô post illam, istâ aliisque cautelis adhibitis factam, mulier à priori viro: imò etiam 62. 63.

casu, quò post matrimonium, propter impotentiam ex maleficio omnino generali omnésque viros respiciente dissolutum, ab alio viro cognosceretur; cùm enim his casibus impotentiam solummodo temporaneam; ac proinde Ecclesiam deceptam fuisse, planè appareat, dissolutò posteriori, priùs matrimonium est redintegrandum.

64. Porro iis casibus, quibus, posteriori matrimoniò dissolutò, prius est redintegrandum, præmittenda redintegrationi est pœnitentia de periurio, si quod super impotentia jurandò conjuges commisere, *can. Requisisti cit. & c. Laudabilem* ibi, *Peractâ pœnitentiâ cogantur ad connubia priora redire:* quorum tamen textuum dispositioni satisfieri, si ante instaurationem pœnitentia à conjugibus inchoata, Turrecremata in *can. cit. in fine*; imò, si ea injuncta tantùm sit, existimant *citt.* Guttierez *cap.* 115. *n.* 10. Sanchez *disp. 99. n.* 30. & Palao §. 12. *n.* 5, quòd credibile non sit, Papam voluisse; ut ob dilatam executionem pœnitentiæ matrimonii instauratio cum peccati & animarum periculo differretur.

TITVLVS XVI.

De Matrimonio, contracto contra Interdictum Ecclesiæ.

NUptias dirimentibus (Raptu duntaxat ad *Lib. 5. Tit. 17.* rejecto) omnibus: Sponsalibus etiam, uti & Religionis, Sacri Ordinis, Continentiæ & non nubendi Votis simplicibus explicatis, ad *hanc Rubricam* declaranda ex impedimentis, conjugium solummodo impedientibus, supersunt Interdictum Ecclesiasticum, Tempus feriatum & Crimen.

ARTICULUS I.

De Interdicto, seu Vetito Ecclesiæ.

SUMMARIUM.

1. *Contra hoc generaliter, quod contra SS. Canones:*
2. *Specialiter contrahi dicitur, quod initur contra prohibitionem superioris:*
3. *Non solùm Papæ vel Episcopi,*
4. *Sed etiam Parochi.*
5. *Irritum est conjugium initum contra interdictum Papæ,*
6. *Nuptialem contractum specialiter,*
7. *Vel generaliter, contra illud attentanda, irritantia.*
8. *Contra Papæ simplex,*
9. *Et quodcunque Episcopi &c. interdictum initum subsistit:*
10. *Nisi ab his propositù sit lite, super sponsalibus ac defloratione pendente:*
11. *Idque secundùm aliquos ex rescripto Alexandri III.*
12. *Et mente Glossæ, nuptias contra interdictum ex causa perpetua,*
13. *Etiam nuptias ex se non irritante, ab Episcopo proposito,*
14. *Et clausula irritante non munitum, initas*

initas pro irritis habentũ.
15. *Veriùs etiam contra tale Epiſcopi interdictum contractæ ſubſiſtunt.*
16. *Memoratô Papæ reſcriptô,*
17. *Gloſſæ diſtinctione,*
18. *Nonnullorum DD. authoritate,*
19. *Sponſæ deflorata injuriâ damnóque,*
20. *Et Eccleſiæ contemptu nõ obſtantibus.*
21. *Interdicti Cenſura non impedit matrimonium:*
22. *Niſi durante contumaciâ,*
23. *Vel cum Benedictionibus celebrandũ.*
24. *Ab excommunicato validè initur,*
25. *Non etiam licitè,*
26. *Etiamſi excommunicatio ſit minor.*

1. ECcleſiæ Interdicto generaliter adverſatur matrimonium quodcunque, quod contra ſanctionum Eccleſiaſticarum præſcriptum: & vel maximè, quod cum impedimento aliquo ipſum dirimente celebratur.

2. In ſpecie autem contra illud contrahi dicitur, quòd initur à perſonis, quibus ejus contractus à legitimo ſuperiore ex juſta aliqua cauſa eſt interdictus; quòd earum altera, priùs initis cum alia ſponſalibus de futuro, obligata: vel, ſinon vana ſuſpicio ſit latentis alterius obſtaculi, conjugium inter ipſos impedientis, vel omnino dirimentis: vel; quòd ex futura earum conjunctione graves rixæ, inimicitiæ aliáve incommoda, aut ſcandala timeantur, *c. fin.* §. *Cum autem, de Clandeſt. deſponſ. c. 1. & c. Ex literis 2. hâc Rubr.*

3. Superiorem autem, à quo, ejusmodi cauſarum aliquâ ſuadente aut exigente, conjugium interdici valeat, præter Romanum Pontificem, omnium Chriſtiani Orbis Fidelium ſupremum judicem & Paſtorem, proprium contrahentium Epiſcopum aut alium Prælatum Eccleſiaſticum, in certi territorii populum jurisdictionem quaſi Epiſcopalem obtinentem, Capitulum ſede Vacante & iſtius atque Epiſcopi Vicarium in ſpiritualibus generalem eſſe, explorati Juris eſt.

4. An etiam proprius ipſorum Parochus, ambigit Goffredus in *Rubr. cit. n. 1.* quod cauſarum matrimonialium cognitio ſpectet ad judices ſolùm Eccleſiaſticos, *c. 1.* junctâ Gloſſâ *V. Poteſtatem, de Conſang. & Affinit.* non ad Parochos, aut ipſos etiam Decanos & Archidiaconos, Trident. *Seſſ. 24. cap. 20. V. Adhæc, de Reformat.* Verùm, licet hoc ita ſit, & ejusmodi cauſarum cognitio definitióque Parochiali ſuperiorem exigat poteſtatem, prædictis tamen caſibus, præſertim cùm matrimonio opponitur impedimentum, illius contractum impedire & extra judicialiter interdicere Parochus poteſt, atque ex officio debet: donec cauſa ad Ordinarium judicem delata diſcutiatur & per ſententiam terminetur: quod non obſcurè inſinuat Innocentius III. *c. fin. cit.* cujus §. *cùm autem cit.* de caſu probabilis conjecturæ impedimenti, perſonarum conjunctioni obſtantis, agens ait, *Contractus interdicatur:* & clarè tradit §. *fin.* ibi, *Sanè, ſi Parochialis Sacerdos tales conjunctiones, perſonarum impedimentô laborantium, prohibere contempſerit,* Hoſtienſ. *in c. cit. V. Interdicatur,* ubi Joan. Andr. *n. 9.* Alex. de Nevo *n. 16.* Navarrus *Manual. cap. 22. n. 68.* & Sanchez *Lib. 7. de Matrim. diſp. & n. 6.*

5. Majus dubium eſt de valore matrimonii, contracti contra interdictum Eccleſiaſticum, & Imprimis quidem contra interdictum propoſitum ab ipſo Papa: de cujus Apoſtolici interdicti efficacia, eóque inſuper habitô celebrati conjugii valore DD. variè ſentiunt & ſatis ambiguè loquuntur.

Mihi præ aliis hac in re ſemper placuit doctrina Ferd. à Caſtro. Palao *Tract. 28. diſp. 4. p. 2. §. 1. n. 2.* & Gonzalez *in c. fin. de Matrim. contra interd. contr. n. 2.* dubita-

2. dubitationem hanc ad mentem Pontii *Lib. 6. de Matrim. cap. 7. n. 3.* resolventium auxiliô distinctionis inter interdictum Papæ simplex sive conjugium prohibens simpliciter, & munitum decretô seu clausulâ irritante: & contra istud quidem, sive clausula irritante munitum, initos contractus matrimoniales tanquam invalidos indubitatè rejicientium, & de hujusmodi interdicto accipientium decretum Cælestini Papæ, eam, quæ, post celebrata cum alio sponsalia de futuro, contra Ecclesiæ prohibitionem ducta est, uxorem non esse, pronuntiantis *can. 1. §. Videtur, 35. q. 6.* & hujus suæ decisionis rationē eam subjicientis; *Nam quod contra interdictum & Ordinem Ecclesiæ factum est, ratum non haberi, tam divinæ quàm humanæ Legis proclamat authoritas.*

6. Neque cum Goffredo *cit. n. 1.* hac in re discrimen aliquod statuendum est inter interdictum seu prohibitionem Constitutione generali, & Præcepto personali latum; cùm hoc ab illo extensione potissimùm ac duratione, non etiam obligandi & irritandi vi differat.

7. Neque etiam cum Alexandro *de Nevo in c. Ad dissolvendum 13. de Desponſ. impub. n. 21. & 22.* inter prohibitionem, munitam clausulâ speciali & solummodo generali; cùm, sive ea matrimonium inter aliquos, specialiter factâ ejus expressâ mentione, sive generaliter, *Quidquid contra prohibitionem Apostolicam attentatum fuerit*, ex justa causa irritet, eâ prohibitione contemptâ, celebratæ nuptiæ irritæ sint, sive Jus sive ratio spectetur; quia ab Innocentio III. contra interdictum, firmatum ejusmodi clausula solùm generali, præsumptuosè initum contractum matrimonialē viribus omnino carere, decernitur *c. Ad dissolvendum cit.* ut hunc textum accipit laudatus Pontius *n. 7.* quòd, ut iste rectè arguit, si ejusmodi clausula generalis conjugii postea initi valori non obstaret, non appareat, quid eâ in præjudicium tertii, in cujus favorem interdictum latum est, irritum reddatur; cùm nihil sit, quod ei magis præjudicet, aut contra illud attentatum non subsistere magis expediat, quàm est ipse contractus matrimonialis.

§ Si interdictum simpliciter & sine decreto seu clausula irritante propositum à Papa sit, contra id celebratos contractus matrimoniales pro illicitis duntaxat *citt.* DD. habent; quòd conjugiorum irritationem, cùm res gravissima sit, ullâ simplici prohibitione induci, nec consonum rationi nec fide dignum sit; cùm enim *Prohibere* & *Irritare* diversæ significationis verba sint, *c. Ex literis cit. c. Rursus 6. Qui clerici & vovent. & c. Unico de Voto in 6.* ex simplici prohibitione contra hanc gesti actûs nullitas perperam infertur; quia notissimi Juris Regula est, *Multa fieri prohiberi, quæ, si facta fuerint, obtinent roborū firmitatem, c. Ad Apostolicam 16. de Regular.*

§ Deinde de conjugio, celebrato contra interdictum Episcopi vel alterius Prælati Papâ inferioris: quod saltem regulariter subsistere, communis certáque doctrina est plerorúmque alicujus nominis ac notæ TT. & JCT.um cùm enim hujusmodi Prælatis impedimenta nuptialia, conjugiū contrahendum dirimentia, statuendi potestas Jure non competat, per tradita *Tit. 1. n. 181.* nuptiarū valori ipsorum statutū, præceptum vel prohibitio obstare non potest, neque obstitit *c. 1. & c. Ex literis citt.* quorum textuum priori Episcopi Paduani monitis ac mandatô contemptô: posteriori contra Cantuariensis Archiepiscopi, sub anathematis interminatione factam prohibitionem, inita conjugia ab Alexandro III. sustinentur, ab iisque conjuges discedere non permittuntur.

Sed, ut

10. Sed, ut hoc regulariter ita ſit, ſpeciali tamen caſu, quô ab ejusmodi prælato, multóque magis ab ipſo ſummo Pontifice, matrimonium alicui etiam ſimpliciter interdictum eſt ex cauſa litis & appellationis, ſuper ſponſalibus carnali commerciô conſummatis pendentis, contra interdictum hoc initi matrimonii valor in dubium & quæſtionem vocatur. Non quidem ſpectatô Jure, S. Synodô Tridentinâ antiquiori; cùm eô tempore ſponſalia de futuro, ſuperveniente inter ſponſos carnali copulâ, in matrimonium tranſierint; quòd ad peccati ſaltem gravioris excluſionem in commercio illo affectum conjugalem interveniſſe, præſumptio fuerit juris & de jure, probationem in contrarium ſaltem directam non admittens, *c. Veniens 15. c. Is qui fidem 30. de Sponſ. & matrim. c. De illis 3. & c. Per tuas 5. de Condit. appoſit.*

11. Sed Jure modernô, & poſtquàm matrimonia præſumpta cum orto ex his ligaminis impedimento à S. Synodo illa ſublata ſunt *Seſſ. 24. cap. 1. §. Qui aliter, de Ref. Matrim.* hôc enim etiam Jure ſpectatô matrimonium initum contra Eccleſiæ interdictum, à quovis prælato Ordinario ex ejusmodi cauſa propoſitum, irritum eſſe, percelebres Romanæ Curiæ Advocati contendunt moventúrque *c. Tua fraternitas 4. de Sponſa duor.* ubi Alexander III. Archiepiſcopo Januenſi ita reſcripſit, *De his verò, qui coram te ſuper deſponſatione facta per conſenſum mutuum de præſenti controverſiam movent & appellatione pendente, quam ante ſententiam vel cognitionem cauſæ ad ſedem Apoſtolicam interponunt, accipiunt alias in uxores, hoc arbitramur agendum; ut, ſi amodo in tali caſu duxerint appellandum, eis in Eccleſia publicè interdicas, ne ante deciſionem cauſæ aliud contrahant matrimonium. Et ſi contra interdictum Eccleſiæ publicè factum venire præſumpſerint, matrimonium tam præſumptuosè contractum poteris irritare.* Ex cujus Apoſtolici reſcripti tenore ita arguunt, irritum nullúmque eſt matrimonium, initum contra interdictum à Prælato Ordinario publicè factũ, ſi interdicti ſeu prohibitionis cauſa non merè Temporanea, ſed Perpetua ſit, ut in *c. Recitatum* notat Gloſſa *V. Poteris*, quam ſequuntur Panormit. *in c. cit. n. 4.* Henric. de Boich *in c. fin. hâc Rubricâ* Præpoſitus *in c. 1. eâdem Rubr. n. 2.* Florenſ. *Oper. Jurid. Tom. 2. tit. de Sponſal. §. Prohibitio*, Chartar. *Deciſ. Mediol. 22. n. 11.* & alii. Atqui cauſa ſponſalium de futuro, quibus ſponſæ defloratio acceſſit, cauſa perpetua eſt; cùm ex ea ortum ſponſæ defloratæ, probrum, & prolis, ſi quæ ſuſcepta eſt, illegitimitas matrimoniô cum ſponſo non ſecutô ſemper duret: matrimoniô autem cum iſto ſecutô tollatur; quod inter eos contrahendum matrimonium retrotrahatur ad tempus, quô inter eos carnalis copula interceſſit & proles eſt concepta, ſublatâque turpitudinis cauſâ præcedentia omnia purget, *c. 1. & c. Tantæ 6.* junctâ Gloſſâ *V. Legitimi, Qui ſil. legit.* Panormit. *in c. Tanta cit. n. 2.* Covarr. *p. 2. de Sponſal. cap. 8. §. 2. n. 7.* & Pirrhing *ad Rubr. Qui ſil. legit. n. 31.* Ergo matrimonium, quod inſuper habitô Eccleſiæ interdictô, ex cauſa ſponſalium ac deflorationis ſponſæ propoſitô, contractum eſt, irritum, nullúmque erit. Cui ſuo diſcurſui robur addunt, occurrendô effugiis & convellendô objectiones, quibus ejus vis declinatur aut enervatur. 12.

Neque enim primò, inquiunt, *c. Tua fraternitas cit.* diſpoſitio ſolùm procedit in interdicto Papæ; quia *c. cit.* Papa ipſe nihil egit, ſuóve nomine & authoritate agendum præcepit; ſed ſolummodo præſcripſit vel declaravit Jus, ab Archiepiſcopo in

po in proposito, & ab aliis Ecclesiarum Prælatis in similibus casibus observandum.

13. Neque secundò; quòd juxta dicta Episcopis aliisque Prælatis Papâ inferioribus non competat potestas introducendi impedimenta dirimentia matrimonium contrahendum; quia, esto hoc nequeant per statutum sive ordinationem legalem ac stabilem, inducere tamen ejusmodi impedimentum possunt per matrimonii inter aliquos ex causa perpetua factam inhibitionem, ut sponsalia per carnalem copulam consummata sunt, *c. Tua Fraternitas cit.* junctâ Glossâ *cit.*

Neque tertiò ex decisione *c. cit.* ad matrimonii contra interdictum contracti nullitatem inducendam necessarium est; ut causa inhibitionis perpetua sit impedimentum dirimens, cùm; quia, si Glossa *Causæ perpetuæ* nomine impedimentum dirimens intellexisset, supervacanea & inutilis esset; quòd, matrimonium contractum contra interdictum propositum ex tali causa perpetua irritum esse, jam aliunde notum sit, & adnotationem Glossæ magistralem non mereatur: tum verò; quia *cit.* Glossa non distinxit inter impedimenta & alias causas inhibitionis: sed, ut causas, ex quibus facta inhibitio nullitatem inducit, omnes complecteretur, inter causas interdicti perpetuas & temporales: &, contra inhibitionem ex causa perpetua factam contracta matrimonia indiscriminatim irrita decerni posse, pronuntiat: quod etiam adnotavit Panormit. *cit. n. 4.* ubi Glossam *cit.* & causam interdicti perpetuam ac temporalem declarans, perpetuam esse ait, *Quando prohibitionis causa non est restricta ad certum tempus, puta, si prohiberetur aliquid propter malum, quod inde sequi potest, vel prohiberetur matrimonium propter consanguinitatem vel aliquid simile; non perpetuam* sive temporalem dicit, *quando est restricta ad certum tempus vg. veneratio diei* feriatæ. Quam distinctionem, ad dignoscendam actûs contra prohibitionem gesti nullitatem, probè notandam, idem interpres ait *in c. Ad Apostolicam cit. n.* 11.

14. Neque quartò *c. Tua cit.* solummodo procedit, quando interdictum munitum est clausula irritante ipsum matrimonium contrahendum; quia apertè adversatur *c. cit.* textus; cùm istô matrimonii quidem contractus expressè prohibitus sit, sed absque ejus contrahendi speciali & expressa, imò etiam absque generali irritatione *contra prohibitionem attentandorum*, non obscurô argumentô, clausulam, sive specialiter ipsum matrimonium sive generaliter *quæcunque contra prohibitionem attentanda* expressè irritantem non exigi, sed sufficere solam prohibitionem matrimonii contrahendi; ut ista clausulam irritantem includere intelligatur.

Demum confirmationis locô addunt; quòd, si matrimonium contra interdictum propositum ex causa litis atque appellationis, super sponsalibus ac defloratione penedentis, contractum Jure subsisteret, sponsa defforata perpetuum præjudicium ac damnum pateretur: sponsus verò super illis in judicio conventus ex matrimonio, in sponsæ præjudicium fraudémque & Ecclesiæ contemptum præsumptuosè contracto, perpetuum commodum reportaret, contra Regulam Juris utriusque *c. Sedes 15. c. Ex tenore 16. de Rescript. c. Ex literis 2. de Dolo, l. Itaque 12. §. 1. ff. de Furtis &c.*

15. At, quantumcunque hæc speciosa sint, meliori tamen ratione alii conjugii, quod insuper habitô Ecclesiæ interdictô, ex litis & appellationis super sponsalibus & defloratione pendentis causa propositô, in-

ſitô, initum eſt, valorem propugnant; quòd ejusmodi matrimonii nullitas neque ex recitato *c. Tua fraternitas cit.* tenore, neque ex Gloſſa *V. Poteris cit.* eruatur.

16. Non ex illius *c.*tenore; quia, licet hoc relatô Alexandri III. reſcriptô agatur de inhibitione matrimonii, propoſita à Prælato Papâ inferiore, ejus tamen deciſio ſolùm procedit in inhibitione matrimonii,lite & appellatione pendente,facta ex cauſa in judicium deducti & nondum probati impedimenti dirimentis: de quo donec cognoſcatur & legitimè conſtet, matrimonium eâ Eccleſiæ inhibitione inſuper habitâ,contractum Eccleſiæ prælatus irritare, hoc eſt, ad excludendum animæ & peccati periculum perſonas eô copulatas à cohabitatione primùm ſeparare, & dein impedimentô legitimè probatô, ipſum latâ divortii ſententiâ irritum nullúmque pronuntiare poteſt, imò debet. Quod ſi impedimentum non fuerit probatum,cohabitationi reſtituti ſimul manere permittendi ſunt. Quem *c. cit.* intellectum apertè approbat Gloſſa *cit.* Imò *c. cit.* diſpoſitio ſpecialiter emanavit ſuper duplici matrimonio, per conſenſum mutuum de præſenti inito ab eodem, quorum poſterius,dum lis & appellatio ſuper priori penderet, contra Prælati Eccleſiaſtici interdictum eſt contractum; hôc enim caſu ex reſcripto Alexandri III. poſterius *tam præſumptuosè contractum irritari*, hoc eſt, eô copulati à cohabitatione ſeparari, poſſunt, imò debent ac ſolent, quousque cognoſcatur de prioris valore & ex hoc orto ligaminis impedimento: *Quô probatô ſeparantur ex toto,latâ divortij ſententiâ inter eos: quô non probatô remanebunt ſimul*, verba ſunt ipſius Gloſſæ *V. Poteris cit.* ut adeò *c. Tua fraternitas cit.* à laudato Papa principaliter non tam interdicti Eccleſiaſtici efficacia, quàm duorum matrimoniorum prioris,etiam litigioſi,ex eóque orti ligaminis impedimenti vis declaretur: quod etiam colligitur partim ex eo;quòd *c. cit.* textus à Gregorio IX. à quo Decretalibus inſertus eſt, ſubjectus non ſit Rubricæ *de Matrimonio contra Eccleſ. interdictum contracto*: ſed Rubricæ *de Sponſa duorum*, quâ eíque ſubjectis textibus principaliter proponitur jus, in deſponſationibus cum duabus de præſenti attentatis obſervandum, & ex prima deſponſatione per verba de præſenti orti ligaminis impedimenti vis declaratur, ut Rubricæ huic ſubjectorum textuum lectio planum reddet: partim verò ex circumſtantiis temporis, quô *c. Tua fraternitas cit.*relatum, & hoc proximè antecedens ejusdem Alexandri, & proximè ſubſequens Innocentii III.reſcripta emanârunt; cùm eô tempore in variis locis invaluiſſet conſuetudo, vi cujus caſu, quô idem duo matrimonia iniiſſet, à DD. ipsísque judicibus Eccleſiaſticis & in Curia quoque Romana aliquando contra prius ratum pronuntiabatur pro poſteriori conſummato,ut refertur in Concilii Lateranenſis III. *Append. p. 6. cap. 8. 17. & 18.* Cui conſuetudini vel potiùs corruptelæ occurrendum,reſcripſerunt imprimis caſu, quô prius ſolummodo ratum, poſterius verò conſummatum fuiſſet, *c. Licet 3. & c. fin. de Sponſa duor.* deinde, quô prius (veriſimilius etiam ratum tantum) erat litigioſum, litísque & appellationis pendentiâ atque Eccleſiæ etiam interdictô inſuper habitis, poſterius contractum eſſet, *c. Tua fraternitas cit.* Unde planum eſt hôc textu principaliter, quæ prioris deſponſationis per mutuum conſenſum de præſenti initæ ſive matrimonii rati ex eóque orti ligaminis impedimenti vis, & quomodo tali caſu procedendum ſit, declarari, & ſtatui; ut imprimis poſteriori

matrimoniô copulati ſeparentur, &, ſi cognitâ causâ de priori legitimè conſtiterit, poſterius nullũ declaretur, eóque conjuncti ſeparentur: ſi autem prius matrimonium probatum fuerit, qui ſeparati erant, cohabitationi reſtituantur, ex mente Gloſſæ *cit.*

17. Neque ex Gloſſa, ab eáque tradita inter cauſam prohibitionis Perpetuam & Temporalẽ diſtinctione, propoſiti conjugii nullitas eruitur; quia antè datam *c. Tua fraternitas cit.* explicationem diſertè approbat verbis paulò antè relatis, ex quibus duo deſumuntur. Primum eſt, matrimonium, contra interdictum Prælati Papâ inferioris contrahendum, irritandi vim totam à Jure Eccleſiaſtico, iſtóque conſtituto impedimento dirimente, non ab ejuſmodi interdicto provenire, cùm; quia, probatô tali Juris impedimentô, illô copulati per ſententiã perpetuò ſeparantur: eô verò non probatô remanent ſimul, ſicut in ſimili caſu Clemens III. fieri præcepit *c. Tenor 10. de Sent. & re jud.* tum verò; quia, ipſa Gloſſa mox ſubjicit, *Interdictum Eccleſiæ non eſt tantæ efficaciæ, ut ſeparetur matrimonium contra illud contractum, niſi ſubſit cauſa perpetua*, hoc eſt impedimentum dirimens; cùm, tali impedimentô probatô, matrimonium diſſolvendum: eô verò non probato ſtabiliendum ſit, ex mente Gloſſæ, Toleti *Summæ Lib. 7. cap. 4. n. 2.* Chartar. *cit. deciſ. 22. n. 12.* & aliorum. Alterum eſt, cauſæ perpetuæ nomine ſolùm impedimentum dirimens venire, partim; quia ipſa Gloſſa *Cauſam perpetuam* & *Impedimentum dirimens* pro eodem ſumit, quódque ante *Cauſam perpetuam*, poſtea *Impedimentum dirimens* vocat: & cauſam temporalem impedimentum impediens dicit, & pro iſtius cauſæ exemplis tempus ſeu diem feriatum & ſponſalia de futuro allegat; partim verò; quia ſuam de cauſæ perpetuæ vi doctrinam declarat firmátque allegatis *can. Vides 10.* junctâ Gloſſâ *V. Diſſolvi diſt. 10. can. Contra dicimus, 33. q. 4. & c. Ad diſſolvendum cit.* quibus locis omnibus agitur de impedimento Conſanguinitatis, matrimonium contrahendum irritante. Neque, ſi Gloſſa Juri conſentanea ſit, cauſæ perpetuæ nomine aliud denotare poteſt; cùm cauſas perpetuas, matrimonium contra Eccleſiæ interdictum contrahendum irritantes, impedimenta dirimentia eſſe, non ſolùm ex *cann. & c. citt.* ſed ex innumeris aliis Juris textibus liqueat: & ultra impedimenta dirimentia, etiam ſponſalia per carnalem copulam conſummata aut aliud quidpiam, etiam accedente Prælati Papâ inferioris interdictô, cauſam perpetuam matrimonium contrahendum irritantem eſſe, ullô juris textu expreſſum non reperiatur.

18. Sicut Gloſſa, ſic cauſæ Perpetuæ nomine nuptiale impedimentum dirimens intelligunt ab adverſa parte allegati Innocentius *in c. Tua cit. V. Irritare* Hoſtienſ. *§. Etſi contra*, Ant. de Butrio *n. 5.* Speculat. *Tit. de Matrim. contr. interd. contr. n. 1.* Florens. *§. Prohibitio cit.* Chartar. *deciſ. 22. cit. n. 10.* & alii, cauſæ perpetuæ exemplum aliud non ſtatuentes, quam impedimentũm dirimens; ut adeo pro controverſi matrimonii nullitate allegari nemo, & ipſe etiam Panormitanus ac Præpoſitus non poſſint. Ille; quòd cùm *n. 4. cit.* cauſam perpetuam in aliis actibus eſſe dixiſſet *Aliquod malum, quod inde ſequi poteſt*, in matrimonii prohibitione eſſe, ait, *Conſanguinitatem vel aliquid ſimile*, ubi Tò *Simile* denotat aliquid ejusdem qualitatis ſcilicet impedimentum dirimens. Iſte verò, ſive Præpoſitus, qui poſt *n. 2. cit.* eum quidem, qui poſt prolem ex ea, quam fide juramento datâ ſibi deſponſârat, ſuſceptam aliam ducit, ad primam

primam redire teneri, aſſerit: ſed hoc ante Concilium Tridentinum, quô tempore Præpoſitus ſcripſit, & ex veterum canonum diſpoſitione deſponſationi de futuro accedens carnale commercium inter ſponſos induxit matrimonium præſumptum, *c. Veniens c. Is qui fidem c. De illis c. Per tuas citt.* & propterea matrimonium cum alia initum irritum fuit propter impedimentum ligaminis cum alia intercedens.

Neque ex hoc *c. Tua cit.* intellectu inutilis & ſupervacanea evadit inhibitio matrimonii ſecundi; quia *in c. cit.* caſu, & quoties ſuper matrimonii valore lis & appellatio pendet, interdictum proponitur ad novi matrimonii contractum & contracti conſummationem impediendam, donec priùs initi nullitas ſit explorata. Ex qua cauſa, ſi ejusmodi interdicto contempto novum matrimonium contrahatur, eô præſumptuosè copulati ſeparantur, donec vel, probatô impedimentô, perpetui divortii feratur ſententia, vel illô non probatô, cohabitatio permittatur, Chartar. *Deciſ. cit. n.* 12.

Atque ex his planè corruunt; quæ allegata ſunt à parte adverſa; cùm pro matrimonii, lite & appellatione ſuper ſponſalibus ac defloratione pendentibus, contra Prælati Papâ inferioris interdictum contracti nullitate non faciat *c. Tua fraternitas cit.* textus & Gloſſa, imò nec DD. pro ea adducti: &, illius nullitatem ex interdicto provenire, non evincatur ex verbis, *Matrimonium tam præſumptuosè contractum poteris irritare*, cùm; quia verbum *Irritare* accipi nequit pro *Irritum facere* ſive *Reſcindere*; quòd matrimonium ſemel validè contractum, præſertim conſummatum, propter ſuam inſolubilitatem irritari ſive reſcindi non poſſit: ſed accipi debet pro *Separare à cohabitatione* vel *Irritum declarare:* tum verò; quia verbum *Poteris* denotat arbitrium non omnino liberum, ſed regulatum à Jure: vi cujus & ipſius Gloſſæ *cit.* ita præſumptuosè copulati ſeparari debent, donec de cauſa cognoſcatur &, vel probatô impedimentô per ſententiam divortii perpetuô ſeparentur, vel eô non probatô, cohabitationē reſtaurare & ſimul manere permittantur.

Neque pro conjugii contra interdictum contracti nullitate facit injuria illata ſponſæ defloratæ, ſuſceptæ prolis damnum vel Eccleſiæ contemptus, partim; quia injuria ſponſæ & prolis damnum idem eſſet, ſi ſponſus matrimonium cum alia iniiſſet ante Eccleſiæ interdictum: idem etiam Eccleſiæ contemptus eſſet, ſi illud initum eſſet contra interdictum propoſitum ex cauſa litis ſuper ſolis ſponſalibus, vel ſuper ſola defloratione pendentis: quibus tamen caſibus, modernô Eccleſiæ Jure ſpectatô, illud irritum non fuiſſe, res explorata & agnita eſt ab ipſa parte adverſa: partim verò; quia injuriam & damnum ſponſæ & proli illatum reſarcire, ſi non ex æquo, ſaltem quâ poteſt ratione ſponſus tenetur & judicis authoritate compellitur. 19.

Eccleſiæ verò contemptus non perpetuâ, ſed temporaneâ duntaxat (donec de cauſa cognoſcatur) matrimonii ſeparatione & pœnitentiæ impoſitione vindicatur, *c.* 1. *c. Ex literis citt.* & Gloſſa *in c. Tua & V. Poteris cit.* quomodo etiam compenſatur commodum, quod referre videtur ex fraude & iniquitate. 20.

Eccleſiæ interdicto aliqui accenſent Interdicti Eccleſiaſtici Cenſuram. Sed immeritò; quantumvis enim tempore & locô interdictô Sacramentorum adminiſtratio & receptio, præterquam in caſibus Jure exceptis, ſit prohibita *c. Si ſententia* 16. *V. Cùm vero, de Sent. excommunicat. in 6.* Jure autem excepta, & 21.

interdicti tempore permissa solummodo sint Sacramenta Baptismi, Confirmationis, Pœnitentiæ & Eucharistiæ per modum Viatici, *c. Non est* 11. *de Sponsal. & Matr. c. Quod in te* 11. *de Pœnit. & Remiss. & c. Alma* 24. *de Sent. excom. in 6.* eô tamen non prohibetur Contractus: cujus rationem primò & per se habet matrimonium.

Neque multum refert, quod hoc etiam sit Sacramentum, cùm; quia ratio Sacramenti, ei adjecta à Christo, accessoria est contractui; ac proinde, speciali prohibitione seclusâ, istius permissionem sequitur, per *Reg. Accessorium 42. in 6.* cùm accessoriè fieri multa permittantur, quæ principaliter prohibentur, *arg. l. 1. ff. de Fundo dotali*: tum verò; quia illâ §. *fin. cit.* prohibitione solùm subtrahuntur Sacramenta purè talia & omnino spiritualia, & quorum dispensatio Ecclesiæ ministris à Christo est commissa: cujusmodi non est Sacramentum matrimonii; cùm ejus ministri sint ipsi contrahentes.

Quare, sicut sponsalia, sic ipsum etiam matrimonium tempore & locô interdictô, non validè duntaxat, *arg. c. Capellanus 4. §. Quia ergo, de Feriis:* sed & licitè contrahi, cum Panormit. *in c. Non est cit. n. 8.* Sylvestro *V. Interdictum 5. n. 9.* Navarro *Manual. cap. 27. n. 179.* Covarruvia *in c. Alma cit. p. & §. 2. n. 7. &c.* contra Suarez *de Censur. disp. 33. s. 1. n. 51.* & Pontium *cit. Lib. 6. cap. 9. n. 4.* satis probabiliter defendunt *cit.* Sanchez *disp. 8. n. 2. & 6.* & Laiman.

22. *Lib. 1. Tract. 5. p. 4. cap. 2. n. 1.* excipientes imprimis specialiter interdictos, suâ in contumacia perseverantiâ ponentes obicem gratiæ recipiendæ per Sacramen-

23. tum. Deinde Benedictiones nuptiales: quæ, etsi matrimonio sint accessoriæ, ex speciali tamen ratione permissæ non sunt; quòd, cùm à Sacerdote & tempore sacrificii Missæ, adhibitis quibusdam orationibus fiant, contineantur sub Officio Divino, in loco & tempore interdicto Clericis non permisso præsentibus laicis: nisi isti habeant privilegium assistendi Divinis, & cum moderatione à Bonifacio VIII. præscripta *c. Alma cit. §. Nec tunc V. Adjicimus:* quâ observatâ etiam nuptias benedici posse, docent *cit.* Sanchez *n. 11.* & Palao *Tract. 29. disp. 5. p. 4. §. 1. n. 27.*

Ad idem interdictum aliqui reducunt Excommunicationem. Imò Martin. de Magistris a Cajetano *2. 2. q. 154. art. 2. dub. 3.* relatus, ab excommunicato, saltem vitando, initum conjugium invalidum asserere non dubitavit; quòd ita censurato, & cum ipso cæteris Fidelibus interdicta sit mutua communicatio; ac proinde ad hanc per contractum matrimonialem se non valeant obligare, 24

Sed immeritò, cùm; quia, etsi absolutè potuerit, nullo tamen Juris textu ab eo contractum matrimonium ab Ecclesia est irritatum: Imò *c. Significâsti b. de Eo, qui duxit, quam poll.* matrimonium initum ab excommunicato dilertè legitimum judicatur: dummodo neuter in defunctæ uxoris mortem sit machinatus, & illâ vivente atque inveniente adulteriô, fidem sibi non dederint de matrimonio contrahendo, & hoc non contraxerint de facto: tum verò; quia eâ censurâ ligati obligationis ad mutuam cohabitationem & actus conjugales non sunt incapaces, *arg. c. cit.* ut *ibi* notant Joan. Andr. Panormit. & Alex. de Nevo omnes *n. 3.* Gaëta *in can. Ad limina 30. q. 1. §. 4. n. 13.* Covarruv. *de Sponsal. p. 2. cap. 6. pr. n. 3.* & ipsemet D. Angelicus *in 4. dist. 39. q. unic. art. 1.* Quod etsi 25
verissimum sit, graviter tamen ita censuratus peccat, si matrimonium ante absolutio-

solutionem contrahere præsumat; cùm ex una, communis TT. sensus sit, graviter peccare eum, qui in excommunicatione majore administrat aut recipit Sacramentum: Matrimonii autem Sacramentum sibi mutuò administrent & recipiant ipsi contrahentes, Navarrus *Manual. cap. 22. n. 81.* Sanchez *Lib. 7. disp.* 26. *9. n. 3.* & Pontius *Lib. 6. cap. 10. n. 2.* idem ferè docentes de ligato excommunicatione minore; quòd Sacramentorum receptio etiam huic sub gravi peccato sit interdicta *c. fin. V. Peccat autem, de Clerico excom. vel depos.*

ARTICULUS II.

De Die, seu Tempore feriato.

SUMMARIUM.

27. *Ratio Nuptiarum prohibitionis certis temporibus:*
28. *Quæ olim satis ampla,*
29. *A Concil. Tridentino restricta sunt,*
30. *Saltem quoad benedictiones & solennitates nuptiarum.*
31. *Imò, spectato Jure antiquò, etiam quoad contractum,*
32. *Permissum modernò,*
33. *Et usu plurium Ecclesiarum:*
34. *Non etiam Germaniæ nostræ.*
35. *Nuptiarum prohibitio ab initio primæ horæ noctis Feria IV. Cinerum:*
36. *Uti & primâ Adventûs Dominicâ inchoatur.*

27. NUptialia fœdera cum solennitate, conviviis, choreis, aliisque lætitiæ, aliquando satis effrenatæ, signis plerarumque Gentium moribus iniri, animadvertens Ecclesia, sacratioribus anni diebus, quibus Fideles Orationibns, Jejuniis, Vigiliis & cæteris Pœnitentiæ operibus liberiùs vacare & intentiores esse, optat, nuptias, quòd à spiritualibus illis exercitiis nimiùm abstraherent, interdixit, Cujusmodi dies & tempora, olim satis 28.
ampla, hodie angustioribus terminis sunt conclusa; olim enim nuptiarum interdictum, quod inter primam Dominicam Adventûs & Epiphaniam, inter Domi- 29.
nicam Septuagesimæ & Octavam Paschæ, & aliquando inter feriam secundam Rogationum & Octavam Pentecostes intercedebat, tempus omne: & præterea duas trésve hedomadas, Nativitatem S. Joannis Baptistæ antecedentes, complectebatur, *can. Non oportet 8. & 10. &c. 33. q. 4. c. Capellanus 4. §. Quia ergo, de Feriis &c.* Hodie verò ab Adventu tantùm usque ad Epiphaniam & à feria quarta Cinerum usque ad Octavam Paschatis inclusivè, ea nuptiarum prohibitio observatur, ex decreto S. Synodi Tridentinæ *Sess. 24. cap. 10. de Ref. Matrim.* Quô, 30.
& antiquô etiam Jure, diebus illis nuptiales benedictiones & cæteras solennitates, ad pompam & lætitiæ contestationem comparatas, prohibitas: & contrà celebrationem sponsalium, eorúmque vi contrahendi matrimonii publicas denuntiationes permissas, nemo facilè in controversiam vocat.

Dubium autem controversúmque 31.
est, an illicitus etiam sit ipse contractus matrimonialis; hunc enim etiam interdictum, cum Joan. Andr. *in c. Capellanus cit. n. 3.* & Hostiens. *in Summa, ad hanc Rubricam num. 3.* aliqui Doctores volunt, præcipuè nixi authoritate D. Thomæ, id non obscurè tradentis *in 4. dist. 32. q. unic. art. 5. quæstiunc. 4.* & satis claro Jure *can. Non oportet* & aliorum

liorum textuum *citt.* uxorem duci & nuptias celebrari generaliter prohibentium: & *c. Capellanus cit.* ubi eæ tempore interdicti suspendi indistinctè dicuntur. Id ipsum suadent ratione; quòd matrimonium celebrari debeat in facie Ecclesiæ: in qua non minùs, quàm cum benedictionibus celebrari eô tempore prohibetur. Sed hæc satis levia sunt; quia matrimonium, quod solô Parochô & testibus præsentibus sine benedictione, & ullâ pompâ, lætitiæque signis initur, in facie Ecclesiæ celebrari Jure censetur. Majorem vim habent *cann. citt.* & ita sine ulla alia solennitate contracti matrimonii, non quidem valori, sed honestati adversantur: idque sacris illis anni temporibus, Jure saltem antiquo, illicitum fuisse, persuaserunt Pontio *Lib. 6. de Matrim. cap. 8. n. 7.* & Palao *Tract. 28. disp. 4. p. 2. §. 1. n. 4.* Sed quidquid sancitum aut receptum fuerit Jure aut moribus antiquis

32. Recentiori Jure *c. Capellanus cit.* & novissimis decretis Concilii Tridentini, antiquas solennium nuptiarum prohibitiones diligenter ab omnibus observari, præcipientis *cap. 10. cit.* & *can. 11. Sess. cit.* temporibus istis solennitates duntaxat, sive nuptialis benedictio cum solenni traductione sponsæ, conviviis, choreis: non ipse matrimonii contractus, aut etiam consummatio est interdicta. Unde modernô Jure præcisè spectatô, quocunque anni tempore matrimonium, præmissis etiam consuetis denuntiationibus, contrahi à fidelibus posse, cum Glossa *in c. cit. V. Quocunque*, Panormit. *ibid. n. 4.* Sylvestro *V. Matrimonium 7. q. 2. d. 2.* Navarro *Manual. cap. 21. n. 71.* & aliis defendit Henriquez *Lib. 11. cap. 16. n. 2.* Sanchez *Lib. 7. disp. 7. n. 12.* & huic aliàs, ubi potuit, contrarius Pontius *cap. cit. n. 8.* eûmque secutus Palao *cit. n. 4.* Quod DD. isti firmant imprimis Cardd. Concilii Interpp. declaratione; deinde usu plurium Ecclesiarum, in quibus matrimoniis, quocunque tempore contrahantur, interesse Parochi permittuntur: & demum ratione; quòd conjugia ita iniri permitti, omnino conveniens fuerit ad evitanda pericula gravium peccatorum. 33

Verùm, quia pericula hæc in regionibus Septentrioni vicinioribus, vel ignorantur, vel non magni æstimantur, in multis Germaniæ nostræ diœcesibus ejusmodi usus non viget. Imò consuetudine ei contraria Parochi matrimoniis, etiam absque ullis lætitiæ signis celebratis, non assistunt extra casum necessitatis, vg. cùm in articulo mortis constitutus ad legitimandas soboles, aut miles statim discessurus ducit concubinam, ut variorum Germaniæ nostræ TT. testimoniis adductis comprobat Gobat *Experient. Tract. 9. n. 71.* Imò istiusmodi etiam casibus Ordinarii consensum, ubi potest, requiri consuevisse, omni exceptione major testis est Laiman. *Lib. 5. Tract. 10. p. 4. cap. 15. n. 1.* 34

In dubium etiam vocari solet, à qua diei hora Adventus & solennium nuptiarum prohibitio incipiat. Feriâ quartâ Cinerum prohibitionem istam à media nocte, sive finita ultima hora tertiæ, & incipiente prima hora quartæ feriæ inchoari, ferè confentiunt DD. & Teutonum, nuptialibus solennitatibus feriâ tertiâ usque ad mediam noctem liberrimè indulgentium, moribus est receptum, teste laudato Gobat *n. 74.* In Adventu autem pridie primæ ejus Dominicæ, sicut Officium, sic etiam solennium nuptiarum prohibitionem, de Jure & secluſa consuetudine *cit.* Sanchez *n. 2.* à primis Vesperis: Pontius autem *cit. cap. 8. n. 5.* post eas &, sicut feriâ quartâ Cinerum, à 35 36

media

media nocte vult inchoari; quòd Tridentini decretum & Jura antiquiora, nuptias ab Adventu prohibentia, interpretationem accipiant à Concilio Ravennatensi XI. celebrato sub Clemente V. prohibitionem illam inchoari asserente ab Adventûs primâ Dominicâ: quam à media nocte inchoari, certum est. Unde Dominicam istam antecedente Sabbathò totô nuptias celebrare fideles, spectatò Jure, possent: & fortassis in Germania quandoque celebrarent, si earum solennitati carniprivium & Sabbathinæ diei veneratio non obstaret.

ARTICULUS III.

De Criminibus Conjugium Impedientibus.

SUMMARIUM.

37. *Varia crimina matrimonio obstant.*
38. *Id impediunt I. Fornicatio cum consanguinea uxoris vel sponsæ,*
39. *II. Raptus alienæ sponsæ,*
40. *Istiúsque in raptum consensus:*
41. *Saltem, si sponsa sit de præsenti.*
42. *III. Cædes propriæ uxoris,*
43. *Facta authoritate propriâ:*
44. *Etiamsi ea in adulterio sit deprehensa.*
45. *Cæde mariti impedimentum induci, quidam negant.*
46. *Meliùs alii affirmant.*
47. *IV. Presbytericidium.*
48. *V. Matrimonium cum Moniali.*
49. *VI. Susceptio prolis suæ ex Baptismo sine necessitate.*
50. *VII. Pœnitentia publica.*
51. *VIII. Prolis suæ interfectio.*
52. *Testimonium Navarri de horum criminum impedimentis,*
53. *Consuetudine sublatis.*

VAria sunt crimina, producentia impedimentum nuptiale: quorum quædam, ut in sui conjugis mortem Machinatio, Adulterium cum contractu vel promissione matrimonii, istius contractus Clandestinus & Raptus, contrahendi matrimonii animô perpetratus, matrimonii valori: alia complura eorum honestati duntaxat obstant. Posteriorum 37.

Primum est Incestus, commissus cum consanguinea suæ uxoris vel cum consanguineo sui mariti *c. 1. & c. Transmisso 4. de Eo, qui cognovit consang.* uti & Fornicatio sponsi de futuro cum sponsæ suæ consanguinea, huic primô gradu conjuncta, hoc est, cum sponsæ matre, filia vel sorore: & sponsæ cum primi gradûs consanguineo, hoc est, cum patre, filio vel fratre sponsi, *c. Veniens 2. eâdem Rubric.* Ex cujusmodi crimine ortum nuptiale impedimentum supra *Tit. 13. à n. 4.* est declaratum. 38.

Secundum, Raptus alienæ sponsæ; istius enim raptori, non cum rapta duntaxat, sed etiam cum alia quacunque matrimonii ineundi jus ademptum est *can. Statutum 27. q. 2.* verbis, *Statutum est à sacro conventu, ut, si quis sponsam alterius rapuerit, sine spe conjugii maneat:* &, qui ex istis interpretationem accipit, *can. Si autem 36. q. 2.* Rationem reddit Sotus *in 4. dist. 27. q. unica, art. 1.* quòd, qui alienum conjugium perturbare ausus est, proprii contrahendi jure meritò privetur; ut in eo, in quo deliquit, puniatur, *c. Cùm olim 33. de Offic. deleg.* 39.

Idem cuicunque alteri viro nubendi impedimentum etiam à sponsa rapta, si raptori consentiat, contrahi, cum Sanchez *Lib. 7. de Matrim. disp. 12. n. 44.* vult Palao *cit. p. & §. 2. n. 9.* & satis clarè à contrario deductô argumentô desumitur 40.

ex *can. Statutum cit.* verbis, *Et si ipsa eidem crimini consentiens non fuerit, licentia nubendi alii non negetur.* Unde etiam ista, matrimonii, quô ligata est, vinculô dissolutô, aliud conjugium inire non potest; quòd tali casu tam matrimonio, quàm viro, cui desponsata est, injuria ab ipsa non minor, quàm à raptore inferatur. Quæ sicut satis certa, ita

41. Incertum controversúmque est, an *can. Statutum cit.* de sponsa de præsenti tantùm, vel etiam de futuro, sit intelligendus. Sunt enim, qui *in can. cit.* cum Glossa *V. Rapuerit*, Archidiacono *in pr.* & Turrecremata *n. ult.* eô proditum nuptiarum impedimentum fœminæ etiam de futuro tantùm desponsatæ raptu contrahi, velint; quòd textus loquatur generaliter & sine ulla inter personas desponsatas distinctione; ideóque locus sit *arg. can. Consuluisti 18. V. Et quod 2. q. 5. & l. De pretio 8. ff. de Public. in rem act.* Ita isti & probabiliter omnino. Alii tamen non minori probabilitate cum Paludano *in 4. dist. 34. q. 1. art. 2. n. 3.* & *cit.* Sanchez *n. 45. can. cit.* verba, *Si quis sponsam alterius rapuerit*, de sponsa de præsenti, sive uxore aliena, accipienda volunt, eâ permoti ratione; quòd in materia pœnali & odiosa sponsæ nomine, non generaliter quæcunque, sed ea duntaxat veniat, quacum sponsalia per verba de præsenti sunt contracta.

42. Tertium est Uxoricidium. Non quidem animô matrimonii cum alia cædis conscia in eámque consentiente ineundi; cùm hac intentione perpetrata conjugis cædes matrimonium omnino dirimat, *c. 1. de Convers. infidel.* ut *Tit. 7. n. 13.* est dictum. Neque etiam, si uxor de crimine convicta & ad mortem condemnata authoritate publicâ interficiatur, *arg. can. Quicunque 33. q. 2.* ibi, *Qui uxorem absque lege & sine probatione interfecerit.* Unde à contrario infertur, secundùm leges & ex publica probatione factâ uxoris interfectione matrimonium non impediri. Sed, si ea ex præcipiti ira, 43
odio, vindicta, privatâ authoritate occidatur; hôc enim casu maritum, uxoris suæ interfectorem, à conjugio cum alia ineundo impediri, patet ex *can. Interfectores 5. can. Quicunque cit. can. Admonere, 33. q. 2.*

An etiam, si occidat eam in adulterio deprehensam, dubium facit; quòd ejus cædem non solùm priscâ à Romulo latâ, teste Plutarcho: sed posterioribus etiam legibus marito permissam, clarè satis innuat *can. Inter hæc 6. q. cit.* ubi Nicolao I. de uxore adultera proposita est quæstio, utrum marito liceat secundùm *Mundanam legem* eam interficere: idémque Longobardorum & aliarum Gentium legibus & moribus receptum fuisse, perhibeat Tholosan. *Syntag. Lib. 36. cap. 6. à n. 21.* & secundùm *l. Gracchus 4. C. ad l. Jul. de Adult.* etiam adulteri in flagitio deprehensi interfector mitiùs puniendus sit, ob justum dolorem, quem difficillimum sit temperare *l. Si adulteriũ 38. §. 8. ff. ad L. Jul. de Adult.*

Nihilominus uxoris, etiam adulteræ, cædem ademptione spei conjugii cum 44
alia quacunque ineundi plecti, Canones Ecclesiastici voluerunt, *can. Interfectores 5. & can. Inter hæc 6. q. cit.* quibus & *can. Si quod verius 9. q. cit.* textibus leges Civiles, si quæ adulteræ uxoris cædem impunitam relinquunt, meritò sunt correctæ; quòd nimiam licentiam præberent, reum non auditum & non examinatâ causâ interficiendi in statu, in quo de salute æterna maximè periclitatur; quô modô perpetratam cædem à morta-li culpa non excusari, cum S. Thoma *in 4. dist. 37. q. 2. art. 1.* Covarruvia *de Sponsal. p. 2. cap. 8. §. 7. n. 15.* & aliis docent

docent Molina *Tract. 3. de I. & I. disp. 7. n. 2. & disp. 99. n. 14.* Sanchez *cit. Lib. 7. disp. 16. n. 2.* & duo Barbosæ Petr. *in l. Si ab hostibus* 10. §. *fin. ff Solut. Matrim. n. 43.* August. *in can. Inter hæc cit. n. 1.*

45. Magis inter DD. controversum dubiúmque est, an nuptiarum spe etiam privetur uxor interficiens maritum. Id enim non obscurè cum S. Thoma *cit. q. 2. art. 2.* Turrecremata *in can. Interfectores cit. art. 2. n. 5.* & cum Sylvestro *V. Matrimonium 7. q. 6. d. 1.* distertè negat *cit.* Sanchez *n. 6.* ex ratione; quòd conjugii jus & spem viricidiô amitti, nullo Jure sit expressum; cùm allegati textus omnes de cæde uxoris loquantur: neque eadem ratio sit cædis mariti, quæ uxoris; cùm enim naturâ sua viri audaces, fœminæ timidæ sint, ideóque minùs facilè & frequenter istæ, quàm illi in conjugis sui mortem machinentur, constitutô in conjugis interfectorem nuptiali impedimentô uxoribus, quàm viris, consulendi major ratio fuit.

46. Sed fundamentum hoc speciosum magis, quàm solidum est; cùm non desiderentur textus Juris, qui conjugii spem adimant uxoribus, insidiantibus vitæ maritorum: eámque adimendi ratio ipsas non minùs afficiat, quàm maritos; quantumvis enim hactenus allegati textus non meminerint fœminarum, idem tamen juris de istis esse, eruitur ex *can. Indignantur 32. q. 6.* & exprimitur *c. 1. de Divortiis*, ubi mulier propter insidias mariti vitæ structas spe conjugii perpetuò privatur: quantumvis machinatio non consecuta sit effectum. Ergò multò magis illius spe excidet, cùm homicidium opere subsequitur: sicut, hôc subsecuto, eâ excidit maritus; cùm in correlativis dispositio de uno alterum comprehendat, quando eadem ratio est utriusque: ratio autem maritum uxoricidam à conjugio omnino removendi, *can. Admonere cit.* reddatur; quia occidisti partem corporis tui legitimô matrimoniô sociatam, filios orphanos fecisti: quæ cùm æquè in fœmina viricida ac uxoricida viro procedat, illi etiam alterius conjugii spem à Jure præcisam, satis probabiliter defendunt Navarrus *Manual. cap. 22. n. 74.* Guttierez *de Matrim. cap. 88. n. 4.* Canisius *in c. 1. cit. n. 2.* Pontius *Lib. 6. de Matrim. cap. 14. n. 2.* Palao *Tract. 28. disp. 4. p. & §. 2. n. 7.* & Gonzalez *in c. 1. cit. n. 3. & 14.*

47. Quartum hujusmodi impedimentum est Presbytericidium, sive interfectio Sacerdotis *c. 2. de Pœnit. & Remiss.* cujus textus est, *Qui Presbyterum occiderit &c. convictu usque ad ultimum vitæ suæ tempus militiæ cingulô careat & absque spe conjugii maneat.* Unde crimen hoc, ut nuptiale impedimentum inducat, in judicio externo legitimè probari oportere, neque ejus aliàs occulti, in interno sive Pœnitentiæ foro confessionem sufficere, cum Panormit. *in c. cit. n. 1.* Ant. de Butrio *ibid. n. 6.* & aliis rectè advertit *cit.* Sanchez *disp. 6. n. 9.* quòd relato textu à conjugio arceatur, qui de ejusmodi cæde est convictus: quod accidit in externo & contentioso, non in interno sive Conscientiæ foro; cùm enim in isto desideretur rei accusator, & testes, aliæque probationes non admittantur: sed crimina judici solius pœnitentis ultronea confessione innotescant, convictus in eo dici nemo potest.

48. Quintum, matrimonium initum cum sanctimoniali, *can. Iis ergo, 27. q. 1.* quantumvis enim id propter solenne votum continentiæ irritum, nullúmque sit, *c. Meminimus 3. Qui Clerici & vovent. & c. Unico, de Voto in 6.* vir tamen, qui sacratam Deo fœminam ad injuriam

Christi sibi copulare præsumpserit, in tantæ temeritatis pœnam matrimonium cum alia inire perpetuò prohibetur, Glossa *in can. cit. V. Nunquam* & Sanchez *l. cit, n.* 11.

49. Sextum est propriæ sobolis ex sacro fonte susceptio, *can. De eo, 30. q.* 1. Non in necessitate; cùm istâ urgente prolem suam baptizans & ex Baptismo levans debiti exigendi jus retineat, *can. Ad limina 7. q. cit.* & alterius conjugii mortua sua uxore ineundi spem non amittat. Sed ex industria, ut habet *can. De eo cit.* hoc est, malitiosè, *arg. c. Si vir 2. V. Ex malitia, de Cognat. Spirit.* & animô insidiandi matrimonio, sive alterum conjugem privandi debito conjugali; ut spe conjugii, cujus impedimentum ponere voluit, perpetuò privetur, *citt.* Sanchez *n. 8.* & Palao §. 2. *n.* 19.

50. Septimum, Pœnitentia solennis seu publica, quamdiu hæc agitur, *can. fin. 33. q.* 2. quòd nuptiæ secum ferant lætitiam, non convenientem illi, qui Pœnitentiæ & luctui est adstrictus. Peractâ autem pœnitentiâ matrimonium permissum est *can. Si qui cum duabus 33. q.* 2. Sanchez *ibid. n.* 10. & Palao §. *cit. n.* 12.

51. Octavum denique est interfectio proprii filii *c.* 1. *de His, qui fil. occid.* ubi mulieri, prolis suæ interfectrici, conjugii ineundi licentia tribuenda asseritur, si repugnante carnis fragilitate, incontinentiæ timor subsit, minimè obscurô argumentô, ejus timore & periculo cessante, conjugium denegandum, ut cum *cit.* Sanchez *n.* 12. notat Barbosa *in c. cit. n.* 6.

Non levis momenti & non infrequentis in praxi usûs dubium est, an relatis criminibus annexa à Jure impedimenta matrimoniis contrahendis hodie quóque obstent. In quo Doctores variè sentiunt ac loquuntur. Imò aliqui, an ea consuetudine, quâ ab aliis sublata asseruntur, tolli possint, ambigere videntur.

52. Mihi tamen plurimorum instar est hac de re testimonium Navarri, viri, à Conscientiæ quæstionum, ad ipsum ex universi Orbis partibus delatarum, resolutionibus celeberrimi: qui cùm seculum vivendo & ferè totum literariis laboribus absumpsisset, & in diversis provinciis, Romæque diu moratus fuisset, tamen *Manual. cap.* 22. *n.* 75. de Incestu & *n.* 85. de aliis hujusmodi ex crimine ortis conjugiorum obstaculis loquens, disertè ait, se, in tanta ætate, in iis dispensationem peti, nec vidisse, nec audivisse. Unde Turrecremata *in can. Nullus 31. q. 1. n. 3.* Gaëtæ *in can. Ad limina cit.* §. *4. n. 408.* Henriquez *Lib. 12. cap.* 2. *n.* 1. *lit. R.* Lessii *Lib. 4. de I. & I. cap. 3. n. 68. cit.* Sanchez *disp. 17. n. 8.* Pontii *Lib. 6. cap. 14. n. 4.* & aliorum VV. communis & RR. DD. satis concors sententia est, ea universali consuetudine esse sublata. Tolli autem potuisse extra controversiam est; cùm omnia Jure positivo Ecclesiastico: imò pleraque non à sumis Pontificibus, sed à Provincialibus Conciliis, legem Ecclesiæ universalem condendi potestatem non habentibus, sint introducta, ut probè advertit Sotus *in 4. dist. 37. q. unic. art.* 2. Juri autem positivo Ecclesiastico derogandi, eóque introducta impedimenta abrogandi vim legitimè præscriptæ consuetudini competere *c. fin. de Consuetud.* sit decisum, & cum Innocentio *in c.* 1. *de Cognat. Spirit. in fine*, Turrecremata *in can. Placuit 13. dist. 32. art.* 2. & aliis tradant Suarez *Lib. 7. de LL. cap.* 19. *n.* 14. & Rochus de Curte *in c. fin. cit. f.* 2. *n. 34. & 35.* juxta dicta *ad Tit.* 1. *n. 187.*

ARTI-

ARTICULUS IV.

De Poteſtate diſpenſandi in Impedimentis Conjugiorum.

SUMMARIUM.

54. *Hanc in impedientibus Papa:*
55. *In quibusdam etiam Epiſcopi concedunt.*
56. *Dirimentia alia ſunt Naturalis aut Divini, alia Humani Juris.*
57. *Iſtô introducta Papa dispenſandô,*
58. *Non etiam Epiſcopi relaxant:*
59. *Niſi muniti ſint privilegiô,*
60. *Vel dispenſationem irritam fuiſſe poſt nuptias appareat.*
61. *Hoc tamen caſu veriùs Epiſcopus non diſpenſat.*
62. *In dubio de impedimento, hoc non ſubeſſe, declarat:*
63. *Non id vera dispenſatione tollit.*
64. *Caſu urgentis extraordinariæ neceſſitatis,*
65. *Poſt matrimonium jam contractum,*
66. *Et aliquando ante illud initum,*
67. *Aliô, qui poſſit, deficiente,*
68. *In impedimento occulto & in foro interno Epiſcopus dispenſare valet;*
69. *Non etiam ad caſus Epiſcopales privilegiatus,*
70. *Aut Vicarius Epiſcopi generalis*
71. *Sine mandato ſpeciali.*
72. *Eadem poteſtas ab Epiſcopo poteſt delegari.*
73. *Juris privilegiô non competit Religioſis.*

54. IN impedimentis, conjugiorum duntaxat honeſtati obſtantibus omnibus, diſpenſandi poteſtatem ſumo Pontifici competere, convenit inter DD. & de Interdicto Die, ſeu Tempore feriato, Crimine, & ex Catechismo orta ſpirituali cognatione indubitatum eſt ex eo; quòd introducta ſint Jure Eccleſiaſtico: eísque derogari valeat, & potiora abrogata ſint per viam conſuetudinis, ſupremæ poteſtati Eccleſiaſticæ non prævalentis: imò Juri Eccleſiaſtico derogandi vim, quam habet, ab iſta obtinentis. De Sponſalibus autem & Voto inde conſtat; quòd Papa ex juſta cauſa, in ipſo matrimonio Rato diſpenſare, ut *Tit. 19. n. 38.* oſtendetur: & votô erga Deum contractum debitum, ipſius nomine, & accepta ab eo poteſtate, remittere valeat, ut cum D. Thoma 2. 2. *q. 88. art.* 10. & Suarez *Lib. 6. de Voto cap. 9. n. 15.* cæterorum TT. & fidelium communis eſt ſenſus & Uſus.

55. In iisdem diſpenſandi poteſtatem Epiſcopis, aliísque Prælatis, jurisdictionem quaſi Epiſcopalem obtinentibus, etſi Jus (excepto, quod ex inceſtu oritur, *c. Veniens 2. de Eo, qui cogn. Conſang.*) nuſpiã indulſiſſe: conceſſiſſe tamen, aut *c. cit.* conceſſam, ad cætera impedimenta ſolùm impedientia (Continentiæ & Religionis votis atque Sponſalibus exceptis) extendiſſe viſa eſt, omnium ferè Eccleſiarum uſu approbata conſuetudo: cujus omni exceptione majores teſtes ſunt, Sylveſter *V. Matrimonium 7. q. 6. d. 2.* Navarrus *Manual. cap. 22. n. 85.* Sanchez *Lib. 7. de Matrim. disp. 17. n. 15.* Pontius *Lib. 8. de Matrim. cap. 13. n. 12.* & Perez *de Matr. disp. 44 ſ. 4. n. 9.*

56. In dirimentibus opus eſt diſtinctione inter ipſa impedimenta & Jura, quibus ea ſunt introducta; cùm eorum quædam Divinô aut Naturali, ut Ligamen, Conſanguinitas in primo gradu lineæ Rectæ, Ætas carens uſu rationis, Impotentia perpetua, Error circa ſubſtantiam ſive individuum perſonæ; alia Eccleſiaſticô Ju-

re sint introducta: ut Ætas, usu quidem rationis prædita, sed in fœmina duodecim, in mare quatuordecim annis minor, Conditio Servilis, Cultûs disparitas, Cognatio Spiritualis, Legalis & Naturalis in quocunque Transversæ & in secundo, atque ulterioribus gradibus lineæ Rectæ, Ordo Sacer, Professio Religiosa, Adulterii & Homicidii Crimina, Vis Metúsve,

57. Raptus & Clandestinitas. In quorum posterioribus: non etiam in prioribus dispensari à Papa posse, satis receptum & ratio de istis est; quòd, cùm ligandi & solvendi potestas conjuncta sit, Matth. *cap. 16. v. 19.* legem eáque introductum quodcunque impedimentum tollere & multò magis dispensandò relaxare, qui tulit, ejúsque in jurisdictione successor, possit, *arg. c. Non debet 8. pr. de Consang. & Affinit & c. Alma 24. pr. de Sent. excom. in 6.* De prioribus autem; quia inferior potestas tollere & relaxare legem superioris, nisi acceptâ ab eo potestate, non potest, *can. Inferior 4. dist. 21. c. Cùm inferior 16. de Majorit. & Clement. Ne Romani 2. de Elect.* in relatis autem Divini & Naturalis Juris impedimentis (exceptô vinculô matrimonii Rati, per ea, quæ *Tit. 19. à n. 38.* tradentur) dispensandi potestatem Papæ concessam, neque ex sanctionibus Canonicis, neque ex traditione vel usu Ecclesiæ constat. Ita *in c. Literas 13. de Restit. spoliat.* Hostiens. *n. 3.* Panormit. *n. 12.* Imola *n. 6.* Navarrus *Manual. cap. 22. n. 84.* Covarruv. *p. 2. de Sponsal. cap. 6. §. 10. n. 10.* & Sanchez *Lib. 8. disp. 6. n. 10.* Hæc satis certa,

58. Dubium autem primò est, an in impedimentis, conjugium Jure solùm Ecclesiastico dirimentibus, dispensare valeant Episcopi: cui ansam præbet praxis, quâ pro dispensatione ad ipsos recurri, & hæc concedi aliquando solet. Eâ tamen non obstante, ipsis aliisque Prælatis Ecclesiasticis, jurisdictionem quasi Episcopalem in certi territorii populum obtinentibus, ac proinde etiam, sede vacante, Capitulo in illis dispensandi potestatem Jure communi non competere, communis certáque sententia DD. & ratio clara est; quia omnia à summis Pontificibus vel Conciliis Generalibus, Romano Pontifici tanquam capiti suo unitis, istiúsque authoritate confirmatis, prodita, aut universali consuetudine Ecclesiæ sunt introducta; & propterea à potestate inferiore nequeunt relaxari, *can. Inferior & c. Cùm inferior citt.* Eadem fere ratio est sedis Apostolicæ etiã à Latere legatorum; cum ad matrimonium dispensandi potestatem in provinciis suis ampliorem Jure communi non habeant, quàm quilibet Episcopus in sua diœcesi, secundùm Glossam in *c. Quia circa 6. V. A Sede, de Consang.* Panormit. *in c. Quod translationem 4. de Offic. Legati n. 9. citt.* Covarr. *cap. 6. §. 10. n. 1.* & Sanchez *disp. 6. n. 15.*

59. Quantumvis autem communi hæc ita sint, speciali tamen Jure in aliquibus ejusmodi impedimentis & certis casibus dispensandi facultatem Legati Apostolici plerique, & aliquando Episcopi habent; sic enim Commissarius Cruciatæ ex delegatione facultatem habet pro Foro Conscientiæ dispensandi in impedimento Affinitatis ortæ ex copula fornicaria, quando ex parte unius, qui cum ea secundùm formam à Tridentino *Sess. 24. cap. 1. de Ref. Matr.* præscriptam, hoc est, coram Parocho & duobus vel tribus testibus præviisque denuntiationibus contraxerunt, adfuit bona fides, teste *cit.* Sanchez *n. 23.* & Pontio *Lib. 8. cap. 13. n. 8.* Sic Legati sedis Apostolicæ in Hispania dispensant in impedimento publicæ Honestatis, testibus Garciâ *p. 11. de Benef. cap. 5. n. 367.* & *cit.* Pontio *n. 10.* in quo & Consanguinitatis, atque Affinitatis in quarto,

quarto, uti etiam in tertio & quarto gradu inæquali, in ſpiritualis cognationis inter levantem & levatum, & Criminis, neutro tamen machinante, commiſſi, impedimentis diſpenſandi facultatem ejusdem ſummæ ſedis Legatis Lucernenſibus concedi conſueviſſe, oſtendit Gobat *Experient. Tract. 9. n. 587.* ſic ex privilegio Apoſtolico Epiſcopus Ratisbonenſis in tertio & quarto gradu Conſanguinitatis cum pauperibus ſolet diſpenſare, teſte eôdem *n. 597.* Sic demum Epiſcopus Leodienſis, ejúsque in ſpiritualibus Vicarius generalis in tertio & quarto gradu Affinitatis diſpenſationem concedunt, quando ob paupertatem Româ nequit obtineri, eámque gravis neceſſitas exigit, teſte Leſſio *in Auctario V. Marrimonium, caſu 9.* apud *cit.* Gobat *n. 596.*

60. Dubium ſecundò eſt, an in impedimento dirimente diſpenſare Epiſcopus valeat, quando, ſuper illo impetratam diſpenſationem Apoſtolicam ob-vel ſubreptitiam fuiſſe, deprehenditur. Cui occaſionem præbuit difficilis textus *c. Quia circa 6. de Conſang. & Affinit.* ubi Innocentius III. Abſoloni Londinenſium Archipræſuli (Gonzalez *in c. Quia circa 6. de Bigamis n. 2.*) de ejusmodi diſpenſationis vigore & putatitiis conjugibus conſulenti ſcribens, *Diſſimulare*, inquit, *poteris, ut remaneant in copula ſic contracta; cùm ex ſeparatione, ſicut aſſeris, grave videas ſcandalum imminere.* Quæ reſcripti Apoſtolici verba Interpp. ac DD. mirè torſerunt, & ad alias aliásque &; quòd ante adinuentis non acquieſcerent, ſemper novas expoſitiones excogitandas invitârunt: ex quibus duæ, una VV. altera RR. frequentiori calculô ſunt receptæ.

61. Illi ſeu veteres præſertim Interpp. *c. cit.* à Papa diſſimulationem ſuggerente tacitè diſpenſatum, volunt in impedimento, quô copulati adhuc laborabant; quantumvis enim Principis, factum non puni. entis, diſſimulatio diſpenſationem non inducat, *c. Cùm jam dudum 18. de Præbend. & dignit.* diſpenſare tamen intelligitur, quando ſuper facto conſultus *Toleram?* aut *Toleretur*, reſpondet: qui *c. cit.* intellectus eſt Gloſſæ *fin. in c. cit.* Hoſtienſ. *V. Diſſimulare*, Joan. Andr. *n. 3.* Panormit. *n. 8.* Alex. de Nevo *n. 12.* aliorúmque Interpp. ac Sylveſtri *V. Lex q. 7. ad finem.* Aliis tamen DD. & meritò diſplicet, partim; quia Papa tanùm ait, conjugum putativorum in matrimonio, bonâ fide inito, perſeverantiam diſſimulari poſſe ſolùm caſu, quô ſine ſcandalo nequeunt ſeparari, ex quo Apoſtolica diſpenſatio perperam infertur; cùm, ſi Papa reſcribendô diſpenſâſſet, diſſimulari id potuiſſet, licet ſeparatio cum ſcandalo conjuncta non foret: partim verò; quia, licet diſſimulatio diſpenſationis habuiſſet vim, matrimonium tamen ante invalidè contractum non convaluiſſet ſine novo conſenſu; quòd conſenſus antè præſtitus fuerit nullus, & ſolâ Papæ diſſimulantis tolerantiâ non convaluerit, neque potuerit matrimonii invalidi uſum cohoneſtare, ut *àn. 173.* dicetur.

Iſti ſeu RR. *c. cit.* diſſimulationem à Papa permiſſam, aiunt; quòd perſonæ, vi Apoſtolicæ diſpenſationis invalidæ copulatæ, bona fide exiſtimârint, ſe legitimè copulatas, & ex veritatis ac nullitatis manifeſtatione grave & publicum ſcandalum ſecuturum veriſimiliter timeretur; ut adeò Papa, conjuges putativos in invincibili ignorantia relinqui conſultius eſſe, duxerit, quàm illorum ſeparatione publico fidelium ſcandalo occaſionem præberi. Atque ita præter Navarrum *in can. Si quis autem 4. diſt. 7. de Pœnit. à n. 67.* Covarruviam *p. 2. de Sponſal. cap. 6. §. 10. n. 15.* & Guttierez *de Matrim. cap. 48. n. 1. c. cit.* relatum Apoſtolicum reſpon.

responsum exaudiunt Adrián. *Quodlib. 5. art. 2. lit. E.* Corduba *Summæ q. 189 p. 4.* Aragon. *2. 2. q. 33. art. 6. concl. 3 citt.* Sanchez *disp. 38. n. 12. ad finem* Perez *f. 7. n. 15.* & alii TT. quorum expositionem aliis præferunt Barbosa *in c. cit. n. 5.* & Gonzalez *n. 2.* cùm; quòd magis congruat literæ, ut advertit Pirrhing *ad Rubr. de Consang. ac Affinit. n. 58.* tum verò; quòd scandali vitandi causâ, quæ aliàs non conceduntur, permitti, *can. 1. dist. 95. & c. Deus 11. de Vita & honest.* & omitti valeant, quæ aliàs fieri, oporteret, *can. 1. dist. 51. & c. Cùm teneamur 6. de Præbend. & dignit.* eáque in re vel maximè multitudinis ratio soleat haberi, *can. Ut constitueretur 25. in fine, dist. 50. c. Sanè . de Temp. Ordinat. & c. Quod dilectio 3. de Consang. & Affinit.*

62. Dubium tertiò est, an Episcopus dispensare valeat in dubio, an opus sit aliqua dispensatione; eô enim casu, matrimonium inituris ulla dispensatione opus non esse, ab Episcopo declarari, vel ad cautelam dispensari posse, Saà *in Summa, V. Dispensatio n. 1.* indiscriminatim ait. Mihi hac in re arridet distinctio, quâ dubitationem hanc resolvunt *citt.* Sanchez *Lib. 8. disp. 6. n. 17.* eúmque secutus *Perez f. 7. n. 2.* vel enim, inquiunt hi DD. res omnino dubia est, an subsit aliquod impedimentum, vel ita dubia non est?

Si prius, ad excludendum omne scandalum declarare Episcopus quidem potest, dispensatione opus non esse, vel etiam dispensare ad cautelam; quia in dubio præsumptio est pro libertate matrimonii contrahendi: donec, eam impedimento intercedente ademptam, certò aut
63. verisimiliter constet. Quæ tamen vera dispensatio non est; ut, si matrimoniô jam initô impedimentum nuptiale dirimens interceſſisse, quomodocunque appareret, pro dispensatione ad sedem Apostolicam recurrendum necessariò esset. Ratio est, quia in ejusmodi dubio impedimentum revera intercedens per viam dispensationis tolli ab Episcopo posse, ullo Jure expressum non reperitur.

Si posterius, & præsumptio pro impedimento urget, vg. si in coitu cum fœmina, an semen emissum aut vase receptum, itáque cum fœminæ sorore contracta sit affinitas, dubium sit, non proficua Episcopalis sed Apostolica dispensatio necessaria est; quòd in dubio prævaleat præsumptio desumpta ex iis, quæ communiter contingunt: in coitu autem cum fœmina semen effundi & vase recipi communiter contingat adeò; ut probatô coitu, semen effusum aut vase receptum neganti in externo foro fides non adhibeatur, teste *cit.* Perez *n. 2 in fine.*

Dubium quartò est, an Episcopus 64
dispensare valeat in casu extraordinario, quô post matrimonium bona fide contractum subesse deprehenditur impedimentum dirimens occultum: & neque conjuges sine scandalo separari, neque Papa ob locorum distantiam vel personarum paupertatem adiri, neque dispensatio propter periculum incontinentiæ differri potest. Ratio dubitandi est; quia Episcopi eísque similes prælati dispensare nequeunt in lege Pontificia vel decreto Concilii generalis, ut dictum *n. 58.* Qua ratione ducti Sotus *Lib. 1. de J. & J. q. 7. art. 3. & in 4. dist. 37. q. unic. art. 2.* Veracrux *p. 3. Speculi, art. 18.* & Medina *1. 2. q. 97. art. 4.* proposito & quocunque necessitatis casu in ullo connubiali Ecclesiastici Juris impedimento dispensandi facultatē Episcopo competere, negant. Ex iis tamen Sotus huic suæ Opinioni non obscurè adversatur *in 4. dist. 41. q. unic. art. 3. in fine* expressis verbis, *Si contra Justitiam publicæ Honestatis aliqui contrahant & expeditissimus non sit ad Papam accessus,*

acceſſus, nullum eſſet periculum, quamvis Epiſcopus diſpenſaret.

65. Quare meliùs cum Sylveſtro *V. Diſpenſatio, q. 9. n. 15.* Navarro *Manual. cap. 22. n. 85.* & Garcia *p. 11. de Benef. cap. 5. n. 343.* publicâ matrimonii notitiâ & ignorantiâ impedimenti cum publici ſcandali periculo & ad ſedem Apoſtolicam recurrendi maxima difficultate concurrentibus, diſpenſandi facultatem Epiſcopis, eíſque ſimilibus Prælatis adſtruunt Henriquez *Lib. 12. cap. 3. n. 2.* Guttierez *de Matrim. cap. 49. à n. 7. citt.* Sanchez *Lib. 2. diſp. 40. n. 3.* Pontius *cap. 13. n. 2.* & Perez *ſ. 6. n. 3.* & RR. alii, quibus hanc ſententiam gemina ratio perſuaſit. Una eſt; quòd, licet Epiſcopus eſque ſimiles Prælati in lege Pontificia & Conciliari decreto vel canone diſpenſare generaliter nequeant, id tamen valeant caſu urgentis magnæ neceſſitatis, quando ad ſedem Apoſtolicam non eſt recurſus, ex mente Panormit. *in c. At ſi clerici 4. §. De adulteriis n. 9.* Felini *in c. 1. de Conſtitut. fall. 7.* Baldi *in l. Omnes 9. ff. de J. & J. n. 8.* Lambertini *Lib. 2. de Jure Patr. p. 1. q. 7. art. 9. n. 2.* Cucchi *Lib. 2. Inſtit. major. tit. 6. n. 334.* Guttierez *Lib. 1. Q. Q. Canon. cap. 23. n. 8.* neceſſitas autem, ſi quæ eſſe poteſt, in propoſito caſu utique maximè urgens ſit, imprimis propter periculum ſcandali, ſecuturi ex conjugum ſeparatione, & hanc ſecuturam famæ jacturam: deinde propter periculum peccandi, ſi non ſeparentur: & demum propter difficultatem manifeſtandi impedimentum, ſi iſtius alter tantùm conſcius eſt, & incommoda ex ejus manifeſtatione timenda. Altera eſt; quòd, diſpenſandi facultatem hujusmodi caſibus Epiſcopis competere, animarum bono maximè expediat & fere neceſſarium ſit ad evitanda gravia peccata; proindéque veriſimile non ſit, eam à Papa denegari. Confirmatur; quia canonum legúmque optima interpres eſt Conſuetudo, *c. Cùm dilectus 8. de Conſuetud.* quæ hanc poteſtatem Epiſcopis tribuit; cum eâ Epiſcopi ſoleant uti, híſque à DD. paſſim tribuatur, Papâ ſciente & non contradicente vel improbante.

66. Dubium quintò eſt, an hujusmodi neceſſitatis urgentis caſu in impedimento occulto Epiſcopus diſpenſare etiam valeat ante matrimonium contractum; quòd Salas *Diſp. 20. de LL. ſ. 3.* & Hurtadus *Diſp. 26. de Matrim. n. 7.* affirmant cum *citt.* Sanchez *n. 7.* & Pontio *n. 6.* quorum iſte hujusmodi caſum eſſe, ait, ſi quis morti proximus ad legitimandas proles cum earum matre contrahere vellet, & id propter intercedens impedimentum dirimens occultum ſine diſpenſatione non poſſet: ille vero eum caſum ſtatuit, quô, ante contractum nuptialem & omnibus ad hunc paratis, ſponſorum alter in confeſſione Sacramentali detegit occultum & ex crimine proveniens impedimentum dirimens, cujus detectio notabilem infamiam afferret; & neque à nuptiis abſtineri, neque eæ, donec diſpenſatio obtineatur Româ, differri poſſunt ſine veriſimili ſuſpicione occulti criminis detecti in confeſſione. Tali autem vel ſimili aliquô caſu urgente, in impedimento diſpenſandi facultatem Epiſcopo competere, cum *citt.* DD. Perez *cit. ſ. 6. n. 11.* utrâque ratione antè allatâ probat, & confirmat paritate voti continentiæ ſimplicis, conjugium impedientis: quod, licet Apoſtolicæ diſpenſationi reſervatum ſit, *Extravag. Etſi Dominici 5. inter com. de Pœnit. & remiſſ.* neceſſitatis tamen urgentis & ex magno incontinentiæ periculo & Papam adeundi difficultate provenientis caſu per viam diſpenſationis relaxari ab Epiſcopo poſſe, Angelus *V. Matrimonium 3. imped. 5. n. 3.* Sylveſter *cit. n. 15.* Navarrus *Manual. cap. 12. n. 74.*

12. *n. 76.* Palatios *in 4. diſt. 38. disp. 3.* Henriquez *Lib. 6. cap. 14. n. 7.* & alii docent apud *cit.* Sanchez *n. 7.* Ergo urgentiſſimæ neceſſitatis caſu diſpenſare Epiſcopus etiam poterit in aliis impedimentis; cùm iſta ſedi Apoſtolicæ reſervata non magis ſint, quàm votum illud.

Quantumvis autem hujusmodi maximæ neceſſitatis caſu urgente diſpenſandi facultatem *citt.* Sanchez *n. 6.* Pontius *cap. 13. n. 3.* Perez *n. 5.* & alii eò etiam caſu adſtruant, quò duo impedimenta occulta concurrunt, eam tamen meritò negant

67. Primò iis caſibus, quibus diſpenſationis indigi facilè recurrere poſſunt ad ſedis Apoſtolicæ legatum, aut etiam ad alium, in ſimilib⁹ caſibus diſpenſandi præditum poteſtate; quòd talibus caſibus neceſſitas Epiſcopi diſpenſationem non expoſcat, iſtiúsque reſpectu illa ceſſet, Navarrus *cit. n. 85.* Cucchus *tit. cit. n. 310.* Vega *Lib. 6. Summæ, caſu 143. in fine,* & *cit.* Sanchez *n. 8.*

68. Secundò, eam poteſtatem, Epiſcopo ſolùm competere, aiunt, in impedimentis occultis, hoc eſt, talibus, quæ publicè nota non ſunt, neque periculum eſt ea in foro externo detegenda; quòd orta ſint ex crimine clam & in occulto commiſſo. Ratio eſt; quia, ſi impedimentum occultum non ſit, conjugum ſeparatio aut nuptiarum, donec diſpenſatio Apoſtolica impetretur, dilatio ullum ſcandalum non affert, *citt.* Henriquez *Lib. 12. cap. 3. n. 1. & 2.* Sanchez *n. 11.* & Perez *n. 6.*

Tertiò, in iisdem caſibus etiam occultis diſpenſandi poteſtatem Epiſcopo ſtabilitam ſolùm ſpectare, volunt, forum conſcientiæ internum eò ferè modò, quò in irregularitatibus & ſuſpenſionibus, ex delicto occulto & ad forum contentioſum non deducto ortis, diſpenſandi facultas ei competit ex decreto S. Synodi Trident. *Seſſ. 24. cap. 6. de Reformat. citt.* Henriquez *n. 3.* & Sanchez *n. 10.*

Quartò monent, in prædictis caſi- 69.
bus etiam pro foro interno diſpenſandi facultatem non competere habenti privilegium diſpenſandi in caſibus Epiſcopalibus etiam matrimonialibus; quia caſus, in quibus Epiſcopus præcisè ratione urgentis neceſſitatis diſpenſat, non ſunt propriè Epiſcopales, ſed Apoſtolici, & Epiſcopo præcisè ex quadam Juris interpretatione & caſualiter permiſſi cenſentur, Henriquez *Lib. 6. cap. 14. n. 7. lit. P.* & *cit.* Sanchez *n. 9.* Unde

Dubium ſextum oritur, an ejusmo- 70.
di urgentis neceſſitatis caſu in impedimentis occultis diſpenſare queat Vicarius Epiſcopi generalis. Ratio dubitandi eſt; quòd ex mandato ſeu commiſſione generali illi competat pertractatio cauſarum matrimonialium, per tradita *Lib. 1. tit. 28. n. 45.*

Verùm hoc de iſtiusmodi cauſarum 71.
judiciali pertractatione accipiendum eſt, juxta dicta *Tit. cit. n. 36.* ut adeò, eò nihil obſtante, Vicario generali in extraordinariis illis caſibus diſpenſandi poteſtatem ſine ſpeciali mandato meritò negent Gloſſa *in can. Quæ de causa 9. V. Quidquid 2. q. 5.* Felinus *in §. De adulteriis cit. n. 21.* Cucchus *Lib. 2. Inſtit. major. tit. 8. n. 111.* Guttierez *Lib. 1. Q. Q. Canon. cap. 19. n. 15.* & Sbrozzius *Lib. 1. de Vicar. Epiſc. q. 35. n. 3.* quibuscum ſentiunt *citt.* Henriquez *cap. 3. n. 2.* Sanchez *n. 12.* & Perez *ſ. 7. n. 2.* ducti paritate cum diſpenſatione in irregularitatibus & ſuſpenſionibus occultis, ſine ſpeciali mandato Vicario non competente, ex decreto Synodali *cap. 6. cit.* ibi, *Per ſeipſos aut Vicarium ad id ſpecialiter deputandum.* Rationem reddunt; quòd diſpenſatio æquiparetur in integrum reſtitutioni, non compre-

comprehenſæ commiſſione generali, ſed ſpeciale Epiſcopi mandatum expoſcenti, *l. Illud 25. §. 1. ff. de Minoribus*, vel generale, quô committantur omnes in foro Conſcientiæ diſpenſandi cauſæ, Epiſcopo quomodocunque competentes: cujusmodi mandatô in quarundam provinciarum amplioribus diœceſibus Vicarii generales inſtrui ſolent, & ipſa quoque in integrum reſtitutio poteſt committi, ut cum Panormit. *in c. Coram 8. de In integr. reſtit. n. 5.* Roland. à Valle *Vol. 2. conſil. 26. totô* & Covarruvia *Lib. 1. var. cap. 6. n. 2. & 3.* obſervat Bruneman. *in l. Illud cit. n. 2.*

72. Dubium ſeptimò eſt, an in prædictis caſibus occultis diſpenſandi poteſtas ab Epiſcopo valeat delegari; id enim cum Felino *in c. Quod ſedem 10. de Offic. Ordin. num. 2.* & Baldo *in l. Si cum inter 2. C. Quando provoc. non eſt neceſſ. n. 6.* multi negant apud Gratianum *Regul. 443. n. 13.* propter textus *c. fin. de Offic. deleg.* & Concilii Trident. *cap. 6. cit.* quorum locorum prioris §. *fin. Nulli, cui commiſſum fuerit excommunicare vel abſolvere aliquos, diſpenſare cum irregularibus, liceat hac aliis demandare:* poſterioris Synodali decretô Epiſcopis in caſibus occultis facultas conceditur diſpenſandi *per ſeipſos aut Vicarium ad id ſpecialiter deputandum*, non obſcurô argumentô, illam facultatem ſoli Vicario, non etiam aliis poſſe delegari; quòd ad diſpenſandum in caſibus occultis à S. Synodo induſtria perſonæ ipſius Epiſcopi vel ejus Vicarii electa videatur.

Veriùs tamen, eam diſpenſandi poteſtatem delegandô aliis quoque committi poſſe, cum Gloſſa *in c. fin. de Offic. Ordin. V. Caſibus*, Joan. Andr. *ibid. n. 3.* Baldo *n. unico* & Panormit. *n. 3.* ſuſtinent Sylveſter *V. Delegatus, q. 8. d. 1.* Navarrus *Manual. cap. 27. n. 45.* Covarruvias *Lib. 3. var. cap. 20. n. 6. & n. 10. pr. citt.* Henriquez *cap. 3. n. 2.* & Sanchez *n. 14.* eâ permoti ratione; quòd jurisdictio, Principis conceſſione non tam perſonæ quàm dignitati & officio perpetuò competens, ordinariæ inſtar valeat delegari; cùm hôc ipsô; quòd non ſolùm præſentibus & cognitis, ſed futuris quoque & incognitis Prælatis concedatur, ad ejus exercitium ſpecialiter electa non cenſeatur induſtria perſonæ.

Neque ita firmatæ delegandi facultati adverſatur contra eam allegati *c. fin. cit.* textus; quia ejus §. *fin.* diſpoſitio procedit, quando perſonæ nudum miniſterium committitur; id enim apertè innuunt ſubjecta verba; *Quia non ſibi jurisdictio, ſed certum miniſterium committitur:* non etiam, quando jurisdictio, annexa dignitati & officio, cum iſto ad ſucceſſores perpetuò tranſitura conceditur, Gloſſa *fin. in c. fin. cit. de Offic. Ordin.* Sylveſter *V. Abſolutio 4. q. 2. n. 6.* Navarrus *Conſil. 15. de Sent. excom. in fine.*

Magis primô intuitu urgent: Reſolutionem tamen etiam non convellunt relata decreti Synodalis verba; quia ea ita exaudienda ſunt; ut in caſibus occultis diſpenſandi poteſtatem Vicario non vi comiſſionis ipſi⁹ Vicariatûs, ſed vi mandati ſpecialis tantùm competere, intelligatur; atque idcirco Epiſcopus eiusmodi diſpenſationum cauſas neque Vicario inſtar aliarum cauſarum, ſpeciale mandatum expoſcentium, omnes ſimul, neque earum cauſas particulares aliis commitere prohibeatur, ut præter *citt.* Sanchez *n. 17.* & Perez *n. 3. in fine* plures alii DD. obſervant apud Barboſam *in cap. 6. cit. n. 45.*

Dubium octavò eſt, an eôdem urgentis graviſſimæ neceſſitatis caſu in impedimento occulto diſpenſare valeant Religioſi Mendicantes. Ratio dubitandi eſt; quòd *Poſſint dicti* Mendicantium 73.

Confessarii, *si sint viri docti & juxta formam Tridentini approbati ex commissione Provincialis dispensare in foro Conscientiæ ad petendum debitum cum his, qui consanguineam sui conjugis post matrimonium carnaliter cognoverint.* Quod privilegium concessum aliis Religiosis, quibuscum Societas JESU in privilegiis communicat, refertur Compend. Privileg. Societ. *V. Dispensatio §. 7.* ubi in fine additur, *facultatem hanc* à P. N. Generali *concedi Provincialibus & alijs Confessarijs, quibus ipsi per se vel per alios eam commiserint.* Unde visum nonnemini est, argui posse ad dispensationem in ipso matrimonio, contracto cum occulto impedimento affinitatis, ex copula fornicaria cum consanguinea ante matrimonium habita ortæ. Sed, ut cum Rodericio *Tom. 3. Regular. q. 2. art. 2. citt.* Henriquez *cap. & n. 3.* Pontius *n.* 11. & Perez *n. 13.* advertunt, malè & sine sufficiente fundamento; cùm privilegia non admittant interpretationem latam, & argumento à concesso minore ad majus locus non sit, *arg. Reg. Quæ à Jure 28. in 6.* Glossa *in c. Cùm dilectus 8. V. Juri, de Consuetud.* Sylvester *V. Privilegium q. 3.* & Suarez *Lib. 8. de LL. cap. 27. n. 5.* Quare, cùm super occulto impedimento dispensationem urgens necessitas exposcit, & adiri nequit Papa, ejúsque legatus aliúsve dispensandi potestate præditus in provincia non est, dispensationis indigos ad Episcopum remittendos, aut dispensandi facultatem ab ipso petendam, salubriter monet Pontius *cit. cap. 13. n. 11. in fine.*

ARTICULUS V.

De Dispensationis Matrimonialis Causis.

SUMMARIUM.

74. *Dispensationis honestas,*
75. *Imò & valor justam causam exigit,*
76. *Saltem, si fiat à Prælato Papâ inferiore.*
77. *Tales sunt I. Regia vel Principalis dignitas impetrantis.*
78. *II. Nobilis familiæ insplendore conservatio.*
79. *III. Excellentia meritorum in Ecclesiam.*
80. *IV. Pacis procuratio & remotio scandalorum.*
81. *V. Magnæ litis compositio.*
82. *VI. Loci angustia.*
83. *VII. Incompetentia dotis,*
84. *Ad æquale matrimonium obtinendum sufficientis.*
85. *VIII. Proles ex conjugio, bonâ fide inito, susceptæ.*
86. *IX. Conservatio famæ mulieris corruptæ.*
87. *X. Maxima difficultas Voti adimplendi.*
88. *XI. Defectus maturæ deliberationis in ejus emissione.*
89. *XII. Certæ & rationabiles causæ generatim allegatæ.*
90. *Facilius cum Magnatibus quàm cum alijs dispensatur.*
91. *Majus impedimentum majorem exigit causam,*
92. *Quæ vera esse debet,*
93. *Non quidem Supplicationis Romam destinatæ.*
94. *Sed concessionis gratiæ,*
95. *Et executionis literarum tempore.*
96. *Non etiam tempore ipsius usus dispensationis.*
97. *Ex causa justa, solùm existimata, facta dispensatio:*
98. *Non etiam cum impedimenti ignorantia initum conjugium subsistit.*

Ad hanc.

74 AD honeſtatem diſpenſationis in matrimoniorum impedimentis juſtam aliquam & rationabilem cauſam exigi, nemo eſt, qui inficias eat.

An etiam ad valorem, dubitandi ratio eſt; quòd, nullâ juſtâ causâ exigente aut ſuadente, facta legis relaxatio ad deſtructionem, non ad ædificationem tendere, & diſſipatio potiùs, quàm di-
75. ſpenſatio eſſe videatur. Quod licet ita ſe habeat, non tamen idcirco indiſcriminatim omnis diſpenſatio, quæ juſtâ causâ deſtituitur, etiam nulla eſt.

Quænam autem talis, aut valida ſit, planum reddet ſatis concordibus DD. ſuffragiis approbata diſtinctio inter perſonas potiſſimùm diſpenſantes; vel enim diſpenſatio ab eo, cujus Conſtitutione vel authoritate impedimentum, ſicut primò eſt introductum, ſic & ſolvi tolliſque poteſt, vel ab aliquo inferiore conceditur? ſi priùs, eam Jure ſubſiſtere: ſi poſterius, valore deſtitui *citr.* Covarruviæ *p. 2. de Sponſal. cap. 6. §. 7. n. 11. & §. 9. n. 8.* Sanchez *Lib. 8. de Matrim. diſp. 17. n. 4. & 24.* Pontii *Lib. 8. de Matrim. cap. 14. n. 7. & 8.* & aliorum ab his relatorum communis ſententia, ratióque de priori aperta eſt; quòd, cùm ab ejùs voluntate impedimenti obligatio & vis tota pendeat, ſanctionem, quâ impedimentum conſtitutum eſt, reſpectu certarum perſonarum relaxare: imò omni-
76 no revocare valeat. De poſteriori verò vg. de Epiſcopo aut alio ſimili Prælato; quòd in ſanctione ſive Jure Eccleſiaſtico, quò impedimentum conſtitutum eſt, diſpenſare nequeat, niſi ex conceſſione ſuperioris, cujus authoritate eſt conſtitutum, *arg. can. Inferior 4. diſt. 21. & c. Cùm inferior 16. de Majorit. & Obed.* à Papa autem ipſi non niſi rationabiliter, ac proinde juſtâ cauſa exigente aut ſuadente, diſpenſandi facultatem conceſſam, præſumi poſſit. Unde ab illo ſine ulla, etiam bonâ fide exiſtimata, ejuſmodi cauſa facta diſpenſatio propter defectum poteſtatis non ſubſiſtit.

Juſtas in Nuptiarum impedimentis diſpenſandi cauſas Navarrus *Manual. cap. 22. n. 87.* & Sanchez *Lib. 8. de Matrim. diſp. 19. n. 8.* ad ternarium reducunt. Alii plures, & non eôdem omnes numerô, ſtatuunt. Corradus ſex ſupra viginti, in Curiis Apoſtolicis obſervatas, recenſet *Prax. diſpenſ. Apoſt. Lib. 7. cap. 2. & 3.* quas dodecade comprehendere juvabit. 77.

Prima eſt prærogativa dignitatis Regiæ vel Principalis, cujus intuitu in Conſanguinitatis & Affinitatis, ex legitimo conjugio ortæ, ſecundo gradu & aliæ rarioris exempli diſpenſationes concedi ſolent, approbante non obſcurè S. Synodo Tridentina *Seſſ. 24. cap. 2. in fine, de Ref. Matrim.* Ratio eſt; quòd inita inter ejusmodi perſonas conjugia Regnorum ac Principatuum felicitatem, pacis & tranquillitatis publicæ conſervationem ſpectent, *cit.* Sanchez *n. 5.* & Gobat *Experient. tract. 9. n. 604.*

Secunda, conſervatio ſplendoris ac 78.
dignitatis familiæ illuſtris, aut nobilitate præcellentis, opúmque in eadem cognatione: cujus intuitu in gradibus etiam propinquioribus petitæ diſpenſationes aliquando conceduntur, cùm; quòd illuſtres & nobiles valde anxii ac ſolliciti ſint, ne ipſorum bona extra familiam alienentur, juxta illud, *Hæreditas noſtra verſa eſt ad alienos, domus noſtra ad extraneos,* Jeremiæ *cap. 5. v. 2. l. Pater 38. §. 7. ff. de Legat. 3.* Tiraquell. *de Nobilit. cap. 37. n. 23.* tum verò; quòd ejusmodi ſplendoris & opum in iis conſervatio ad bonum publicum pertineat, *l. 1. §. 13. V. Publicè ff. de Inſpic. ventre.*

Tertia, excellentia meritorum in 79.

Ecclesiam, laborum in bellò contra infideles, hæreticos, aliósque Reipublicæ hostes exantlatorum, *can. Tali* 17. ibi, *Nisi quem evidens meritorum prærogativa commendet*, 1. *q.* 7. quia rationi & æquitati valde conveniens est; ut Ecclesia benignam ac liberalem se exhibeat erga eos, qui de ipsa bene meriti sunt aut mereri possunt, *cit.* Sanchez *n.* 32. Perez *de Matrim. disp.* 45. *s.* 5. *n.* 11. & Corradus *cit. cap.* 2. *n.* 109. Neque propriorum duntaxat meritorum ipsius Oratoris, sed paternorum quoque & conjunctorum intuitu: imò etiam ad extraneorum, de Ecclesia meritorum, preces pro Oratore interponentium, instantiam dispensationes aliquando concedi consueverunt.

80. Quarta, si conjugiò inter personas Jure impeditas initò pax & concordia stabiliri, sopiri odia, discordiæ extingui, removeri periculum animæ, scandala evitari, gravia damna & mala, quæ aliàs timenda forent, excludi valeant, *citt.* Sanchez *n.* 8. Perez *n.* 6. & Corrad. *à n.* 62. Ratio est; quia hæc publicè interfunt; ut propterea eorum intuitu, sicut à communis Juris Regulis receditur in aliis, *c. Cùm ex injuncto* 2. *de Novi oper. nunt.* sic in conjugiorum obstaculis humanò Jure proditis dispensationis gratia meritò concedatur.

81. Quinta, si eôdem super bonorum successione, super dotalibus aliisque magni momenti rebus aut juribus motâ litem componendâ tollendámque; aut quam Oratorum alter habet & ob inopiam vel rerum imperitiam prosequi non potest, alterius expensas subministrantis vel prosecutionem in se suscipientis auxiliò ad optatum exitum perducendam speretur, Sanchez, Perez *l. citt.* & Corradus *à n.* 52. ubi ex hac causa in gradibus remotioribus dispensationes concedi, ait. Ratio est partim; quòd, cùm lites occasio odiorum, & discordiarum fomenta sint, & sopiri & expediri publicè intersit, *c. Finem* 5. *de Dolo & l Quidam* 12. *in fine, ff. de Reb. credit.* partim verò; quòd ad pietatem pertineat pro rerum suarum jactura certantibus & auxiliò destitutis omnibus modis subvenire.

82. Sexta, si ob loci aut etiam locorum angustiam vel cognationem fœminæ in loco valde propagatam non facilè reperiatur matrimonium æquale, nisi hoc cum persona sanguine vel affinitate conjuncta vel aliter impedita contrahatur; & propterea fœmina manere innupta, vel ipsa aut etiam vir cum persona, nobilitate vel opibus inferiore, vel Religione, morum honestate, ætate dispari, aut genio non conveniente inire conjugium, vel in alium locum se transferre, aut extraneam ducere cogatur, *citt.* Sanchez *n.* 12. Perez *n.* 7. & Corrad. *à n.* 6. Ratio est partim; quòd durum fœminæ sit, propriæ originis locum deserere & transigere vitam, patris matrísque & consanguineorum consortiò solatióque destitutam: partim verò; quòd communi & privato ipsorum conjugum bono valde expediat, personas ad unum alterúmve conjugium non coarctari & matrimonia iniri inter pares: & inter valde dispares inita multis incommodis sint subjecta, Tiraquell. *l. Connub.* 5. *à n.* 1.

83. Septima, si fœmina ob defectum dotis competentis sponsum, aut vir ob tenuitatem patrimonii sponsam extraneam statûs sui conditioni convenientem habere nequeat: possit autem ex propinquis aut aliter impeditis, *citt.* Sanchez *n.* 16. Perez *n.* 8. Palao *Tract.* 28. *disp.* 4. *p. ult.* §. *& n.* 2. & Corradus *n.* 13. ubi notat, hanc ab aliquibus cum Paupertatis causa, sed perperam confundi; quòd ob istam: non autem ob incompetentiam dotis Oratores expensarum in dispensatione re-

tione requisitarum vel earum partis solutione liberentur. Ratio autem dispensationis ex hac causa in gradu saltem remotiori & aliis impedimentis facilioribus concedi solitæ est; quòd ad bonum publicum conferat; ut ob defectum dotis fœminæ innuptæ remanere non cogantur cum continentiæ, vel cum infausti matrimonii periculo inæquali nubere.

84. Quantumvis autem ad dispensationem sufficiens causa sit Primò, si fœminæ competens dos deficiat de præsenti, licet hujus cum tempore acquirendæ spes sit ex successione alicujus consanguinei intestati aut etiam testati, aut legato ab eo relinquendo, si hæc ejus spes consanguinei liberâ dispositione destitui possit, aut succedendi jus, quod habet, revocabile sit, Navarrus *Consil. 19. de Rescript. in fine, citt.* Sanchez *n. 24.* Secundò, si legitima filiæ à parentibus Jure debita ad competentem dotem constituendam non sufficiat, aut illam ad competentem dotem augendò filiæ plus quàm cæterorum liberorum præsertim masculorum singulis relinqui deberet, DD. *citt.* Tertiò, si bona patrimonii jam acquisiti, aut ad cujus acquisitionem jus habet, implicata litibus, & periculum sit, ne causâ cadat, nisi viro quartò gradu conjuncto aut aliter impedito nubat, *cit.* Sanchez *n. 20.* Quartò, si parentum facultates ita tenues essent, ut dotem filiæ competentem assignandò se bonis, ad congruam sustentationem necessariis, deberent spoliare, *citt.* Sanchez *n. 24.* & Pontius *Lib. 8. de Matrim. cap. 21. n. 23.*

Sufficiens tamen dispensandi causa desideratur Imprimis, si sponsa quidem inops, sed ejus parentes essent opulenti; quòd hi filiam dotare teneantur, *l. fin. V. Neque enim, C. de Dot. promiss.* cùm dos succedat locò legitimæ, *l. Unic. §. 11. C. de Rei Uxor. act.* & alimentorum, Baldus Novell. *de Dote, p. 6. privileg. 16.* Deinde, si fœmina dotem ad sibi æquali nubendum sufficientem, & insufficientem habeat respectu consanguinei præstantioris, ipsam ducere volentis, *citt.* Sanchez *n. 17.* Pontius *n. 23.* Demum, si, quæ dispensationis impetratæ tempore dote carebat, antequam illa per Ordinarium expediretur, instituta hæres, aut magnæ quantitatis legatum ei fuit relictum; cùm enim tali casu causa cessârit, dispensatio corruet, *arg. c. Cùm cessante 60. de Appellat.* Nisi institutio vel legatum post matrimonium jam initum innotuisset, *citt.* Sanchez *n. 27.* & Pontius *cap. 20. n. 2.*

85. Octava dispensationis causa est, si ex matrimonio cum consanguineo, affine, aut aliunde impedito publicè bonáque fide inito suscepta sit proles: imò etiam, si ex tali conjugio proles suscepta non sit, *citt.* Sanchez *n. 33.* & Perez *n. 12.* talibus enim gradu non valde propinquò conjunctis dispensatio haud ægre concedi solet favore prolis; quòd, licet ea sit legitima, *c. Cùm inter 2. & c. Ex tenore 14. Qui filii legit.* conservatio tamen conjugii inter parentes valde conferat ad ejus bonam educationem: &, licet proles suscepta non sit, ita copulatorum separatio sine gravibus incommodis & scandalo rarò fiat, *c. Quia circa 6. in fine, de Consang. & affinit.* Secus esset, si matrimonium ab utroque malâ fide vel denuntiationibus sine justa causa omissis initum, & proles jam suscepta esset; quòd neque incestus parentum, neque incestuosa etiam multiplex proles gratiam Apostolicam mereatur; cùm istius multiplicitas exaggeret crimen parentum, *c. Cùm haberet 5. de Eo, qui cognovit* & istorum conjugio non legitimentur, *c. Tanta 6. Qui fil. legit. & ibi* DD.

86. Nona, si ita consuli valeat famæ mulieris,

lieris, quæ, non quidem matrimonii ineundi aut super hoc dispensationis facilius impetrandæ spe, sed ex fragilitate, & vesanæ libidinis vehementiâ impellente, jam imprægnata vel corrupta est: vel etiamsi corrupta non sit, singularis tamen adeóque familiaris inter eam & virum conversatio intercessit, ut sponsalium vel commercii carnalis inter eos intercedentis publica, licet falsa, suspicio sit orta, eámque ob causam fœmina statui suo conveniens conjugium cum alio non consequatur; hanc enim etiam causam, ut Oratricis honori & animæ consulatur, à Papa hodie admitti, Curiæ praxis docet, testibus *citt.* Gobat *n. 606.* & Corrado *cap. 3. àn.* 1.

87. Decima & in Continentiæ ac Religionis votis ad conjugium ineundum dispensandi justa, & notoriâ Curiæ Apostolicæ praxi approbata causa est vehementia passionum, & ex nimia carnis fragilitate proveniens maxima difficultas voti adimplendi, & probabile periculum frequentium transgressionum, *c. Veniens 6. Qui Cleric. & vóvent.* quô locô Alexander III. ex hac causa in voto Continentiæ cum muliere dispensavit, Ratio est; quòd æquum omnino sit, ut votô erga Deum contracta obligatio, quando ea voventi justò difficilior & animæ periculosa apparet, Dei humanas infirmitates miserantis nomine remittatur, aut in aliud pium & voventis viribus magis accommodatum opus commutetur. Ita cum Panormit. *in c. cit. n. 9.* Alex. de Nevo *ibid. n. 9.* Sylvester *V. Votum 2. q. 14.* Navarrus *Manual. cap. 12. n. 78. citt.* Sanchez *disp. 20. n. 18.* & Palao *§. 2. n. 3.*

88. Undecima, & in iisdem dispensandi justa causa est, quòd votum leviter &, ut pueris solet, sine matura deliberatione editum, vi metúve etiam levi extortum, vovens ad id emittendum dolô inductus sit: ut de voto leviter emisso ex *c. Venientis 2. de Voto* verbis, *Ipsum à voto, quod facilitate petiùs, quàm ex arbitrio discretionis processit, absolvimus*; de extorto metu dolóve obtento inde constat; quòd ita gesta exceptionis ope vel imploratô judicis officiô rescindantur & editi voti remissio cedat ad honorem Dei, obligationem, cui aliena iniquitas causam dedit, facilè remittentis, *citt* Sanchez *n. 15.* & Palao *Tract. 15. disp. 2. p. & n. 9.* metum mortis, ex naufragio, infirmitate, aliáve simili causa impendentis, causam hujusmodi dispensationis justam esse, negantes: nisi ejusmodi mali apprehensio maturam deliberationem & prudens consilium excluisset, *arg. c. Venientia cit.*

89. Duodecima est; si Oratores nobilis aut aliàs valde honestæ familiæ sint, dispensari cum iis in gradibus saltem remotioribus non rarò solet *Ex certis rationabilibus causis*, nullâ in specie expressâ. Quò modô concessæ, licet de stylo Curiæ dispensationes *Sine causa* vocentur, revera tamen semper Papam justa aliqua causa movet ad earum concessionem. Unde sic ideo solùm vocantur, quòd certa causa non exprimatur ac propaletur: neque etiam inquirenda sit ab executore, sed sufficiat, verificari alia narrata, vg. an, ut literis exprimitur, quòd de nobili vel honesta familia sint Oratores, *citt.* Sanchez *n. 35.* & Corradus *cap. 2. àn. 111.*

90. Circa enumeratas & similes causas alias, quæ pro impetranda in nuptialibus impedimentis dispensatione allegari & admitti solent, probè notanda sunt tria.

Primum & *n. 77.* ex Tridentino insinuatum est, ex iis dispensationes faciliùs Principibus ac Magnatibus, quàm aliis concedi: idque citra vitium acceptionis

ptionis perſonarum; quòd eorum conjugiis firmetur pax & tranquillitas publica ſtabiliatur: &; quòd ſalus publica ab iis magis pendeat: & Eccleſiæ expediat, eos habere faventes, *citt.* Sanchez *n. 5.* Perez *n. 4.* & Palao §. *2. n. 1.*

91. Alterum, quô majus eſt conjugii impedimentum, eò majorem & urgentiorem diſpenſationis cauſam deſiderari, ut in eo diſpenſetur; ſic enim major, ut in conſanguinitate quàm in affinitate: ut in utriusque propinquo quàm remoto gradu: majórque & urgentior cauſa exigitur; ut in matrimonii rati quàm ſponſalium, in voti ſolennis quàm ſimplicis vinculis; ut in ſpiritualis cognationis, quàm legalis, in criminis, neutro machinante, quàm utriusque vel alterius in necem conjugis machinatione interveniente commiſſi, impedimentis diſpenſetur. Ratio perſpicua eſt; quia quò fortius ac ſtrictiùs vinculum eſt, eò magis urget lex ſeu Canon ipsáque ratio prohibitionis, *citt.* Sanchez *n. 7.* & Palao *n. 1.*

92. Poſtremum, recenſitas cauſas in impetrationis literis allegatas veras eſſe & coram executore verificari oportere adeò; ut, ſi falſæ ſint, diſpenſatio obreptitia ipsóque jure invalida ſit; quia ſunt cauſæ finales, hoc eſt, tales, quæ Papam principaliter movent ad diſpenſationem concedendam; ut, ſi non ſubſiſtant, iſtius gratia corruat propter defectum conſensûs in concedente; cùm in literis Apoſtolicis, licet non exprimatur, ſemper ſubintelligatur clauſula, *Si ita eſt, Si preces veritate nitantur, c. Ex parte 3. & c. Olim 25. de Reſcript.* ut *ad hanc Rubric. à n. 35.* eſt explicatum. Si in literis allegatæ ſint duæ cauſæ vel plures, multùm intereſt, an non niſi ſimul, vel earum ſingulæ ſeorſim ſumptæ ſufficientes ſint ad gratiam impetrandam; cùm, ſi non niſi ſimul ſumptæ hanc vim habeant, omnes eſſe veras neceſſe ſit, ut diſpenſatio obreptionis vitiô non laboret: contrà, ſi earum una duntaxat vera ſit, gratia ſubſiſtet, quando allegatarum ſingulæ ſeorſim ſumptæ eâ vi pollent; ut ut ad *cit. Rubricam* dictum *à n. 84.*

Dubium nunc & ſicut frequentis in praxi usûs ſic difficilis reſolutionis quæſtio eſt de tempore, quô diſpenſationis cauſam eſſe veram, eſt neceſſe; quadruplex enim tempus eſt. Primum, quô Oratores ſupplicationis literas mittunt Romam. Alterum, quô diſpenſationis literæ Romæ expediuntur. Tertium, quô iſtas ſibi exhibitas Ordinarius vel Confeſſarius exequitur & cum Oratoribus actu diſpenſat. Poſtremum, quô iſti diſpenſationis gratiâ ſibi factâ, conjugium ineundô, utuntur.

Primô ſive miſſionis tempore, ſi cauſa non ſubſiſtat, diſpenſationem obreptionis vitiô laborare & eſſe irritam, ſuadet ratio; quia ſi eô tempore non ſubſiſtat, Oratores dolosè mentiuntur: dolosè autem mentientibus gratia Apoſtolica non ſuffragatur, *c. Super literis 20. de Reſcriptis*, quô relatus Innocentius III. eos, qui falſitatem per malitiam exprimunt, *In ſuæ perverſitatis pœnam nullum ex literis* Apoſtolicis *commodum conſequi*, declarat. Sed ratio hæc intentũ non perſuadet; quia, ſicut clauſulas, *Si ita eſt, Si preces veritate nitantur*, ſic & *c. cit.* textum ad Apoſtolicæ conceſſionis tempus referendum, patet ex *cc.* mox allegandis, & DD. fere omnium ſententia eſt, Sanchez *diſp. 30. n. 2.* & Perez *ſ. 6. n. 2.* 93.

Secundô itaque, ſive literarum in Curia Apoſtolica expeditarum, tempore cauſam diſpenſationis veram eſſe, neceſſarium adeò eſt; ut, quamvis ea antè & poſtea exiſtat, gratia non ſubſiſtat, ut planè liquet ex *c. Quia circa cit. & c. Si eo* 94.

tempore 9. de Rescript. in 6. quorum textuum priori ex causa habitæ prolis concessa dispensatio irrita habetur ex ratione; quòd illa, *Ante dispensationem obtentam, viam fuerit universæ carnis ingressa:* posteriori, à Papa provisus de beneficio curato hoc consequi nequit, *Si tempore datæ* sive expeditionis literarum Apostolicarum ob defectum legitimæ ætatis *Non sit idoneus*: quamvis idoneus sit tempore collationis sive executionis literarum. Ratio est; quia dispensationis gratia fit cum expressa vel subintellecta clausula, *Si preces veritate nitantur.* Cùm ergo istius clausulæ sensus sit, si preces mihi propositæ veræ sint, pro dispensatione impetranda allegatam causam veram esse, necesse est tempore concessionis & expeditarum in Curia literarum. Ita cum Panormit. & Alex. de Nevo *in c. Quia circa cit. n. 8.* Guttierez *Q. Q. Canon. Lib. 2. cap. 15. n. 131. citt.* Sanchez *n. 4.* & Perez *n. 3.* Quare hi DD. Ordinarios & Confessarios salubriter monent, ut diligenter examinent, an dispensationis petitæ causæ veræ fuerint tempore datæ seu commissionis Apostolicæ; ne ob causæ, dispensationis commissæ tempore non subsistentis, defectum dispensatio obreptitia ejusque vigore contractum matrimonium irritum sit.

Sed, licet hæc explorata omnino videantur, si dispensationis literæ, ut *cc. citt.* & stylo veteri fiebat, contineant gratiam jam factam, casu tamen, quo, ut moderno stylo solet, illæ gratiam faciendam sive dispensandi mandatum duntaxat continent, Corradus *Lib. 7. cap. 6. n. 24.* sufficere existimat, si pro dispensatione impetranda allegatæ causæ veræ sint tempore actualis dispensationis, de qua mox.

Tertiò enim sive ipsius executionis
95. ab Ordinario vel Confessario faciendæ tempore causam esse veram, ac proinde ejus veritatem perseverare vel saltem existere oportere, docent Suarez *Lib. 6. de LL. cap. 20. n. 13. citt.* Sanchez *n. 8.* Pontius *cap. 20. n. 3.* & Perez *n. 4.* Ratio est; quia Confessario & Ordinario non datur facultas injustam, sed justam tantùm dispensationem concedendi: dispensatio autem, causâ finali totâ cessante, esset injusta; cùm destitueretur legitimâ causâ, hôc ipsô; quòd ista jam cessârit.

Postremò etiam sive usûs vg. ipsius contractûs nuptialis tempore causam ve- 94
rificari, ad valorem dispensationis exigunt *citt.* Sanchez *n. 14.* & Coninck *disp. 33. n. 94.* eandem reddentes rationem, & confirmantes exemplô dispensationis, ad comestionem carnium in Quadragesima impetratæ, allegatâ speciali infirmitate; quâ cessante dispensationis usus & esus carnium cessat; quòd, si dispensatio ad valetudinis planè recuperatæ tempus porrigeretur, injusta fuisset. At meliùs, causâ postremò hoc primùm tempore cessante, dispensationis gratiam in impedimento factam perseverare, *arg. Regulæ Decet. 16. in 6.* cum Sylvestro *V. Dispensatio q. 11.* defendunt *citt.* Guttierez *cap. 15. à n. 30.* Suarez *cap. 20. n. 15.* Pontius *n. 4.* Perez *n. 6.* & Gobat *Tract. 9. n. 677.* Ratio est; quia gratia dispensationis consummatur ipsâ relaxatione legis, sive impedimenti per legem introducti ablatione: quâ semel rite factâ sublatum impedimentum non redit; cùm, si preces veritate niti constet, in eo ad matrimonii validè contrahendi effectum dispensatio simpliciter & absolutè concedi jubeatur, & concedatur à literarum Apostolicarum executore.

Neque paritas est cum dispensatione ad esum carnium; quia, sicut obligatio à carnibus abstinendi, sic in ea ex causa præsentis infirmitatis indulta dispensatio

ſpenſatio ſucceſſiva & virtute multiplex eſt pro numero dierum Quadrageſimæ: quorum ſingulis cùm virtualiter ſingulæ diſpenſationes reſpondeant, ſingulæ exigunt juſtam cauſam; ut, causâ reſpectu poſteriorum cum tempore ceſſante, reſpectu earum diſpenſatio ceſſet. Secus eſt in diſpenſatione ſuper impedimento; quia hæc unica individuáque eſt, & ad unum atque indiviſibilem effectum tota ſimul conceditur; atque idcirco, ejus causâ conceſſionis tempore exiſtente, tota conſummatur & effectum proximum ſive ablationem impedimenti conſequitur.

97. Dubium ſecundò eſt, an valida ſit diſpenſatio facta ex cauſa, quam ab Oratore fideliter expoſitam diſpenſans juſtam ac ſufficientem eſſe, bonâ fide & rationabiliter exiſtimavit: licet revera ſufficiens non eſſet. Illam certè, ex eáque ſecutum matrimonium valore deſtitui, cum Pontio *Lib.* 8. *de Matrim. cap.* 14. *n.* 8. vult Palao *Tract.* 3. *diſp.* 6. *p.* 8. §. 2. *n.* 5: cùm; quòd aliàs validum eſſet matrimonium ſine diſpenſatione initum à ſponſis, iſtâ ſibi opus non eſſe bona fide exiſtimantibus: tum verò; quòd allegantes ſuperiorem ſine Legitima cauſa diſpenſâſſe in Curia Apoſtolica audiantur, licet ille cauſam ex qua diſpenſavit, legitimam fuiſſe, bonâ fide exiſtimârit.

Sed à generali doctrina de diſpenſatione in lege, tradita *Lib.* 1. *tit.* 2. *n.* 170. non recedendum & benignior ſententia præferenda eſt cum Azor *p.* 1. *Inſtit. Lib.* 7. *cap.* 29. *q.* 6. Sanchez *cit. diſp.* 17. *n.* 8. Joan. Sancio Select. *diſp.* 54. *n.* 39. & Perez *diſp.* 45. *ſ.* 1. *n.* 3. talem diſpenſationem pro valida habentibus, eáque perſuaſis ratione; quòd veriſimile non ſit, aliam ſummi Pontificis mentem eſſe circa leges ſuas & Dei circa ſuas, in quibus diſpenſandi facultatem inferioribus permiſerunt; cùm diſpenſationem ab his factam ex cauſa, quam legitimam eſſe prudenter exiſtimârunt, ſubſiſtere Eccleſiæ recta gubernatio expoſcat; ut fidelium obvietur ſcrupulis eorúmque conſcientiæ tranquillentur: atque ab Eccleſiarum Prælatis bona fide ac prudenter geſta firmitatis robore non deſtituantur, faciléque infringantur.

Hinc tamen legitimè non infertur 98.
valor matrimonii, bonâ fide initi ab ignorantibus impedimentum; quia, privatis ignorantibus bonam fidem ad illius valorem non proficere, ſatis liquet ex eo; quòd ab ipſis impetrata ſuper impedimento diſpenſatio invalida ſit, quando ab ipſis per meram ſimplicitatem & ignorantiam; ac proinde bonâ fide falſitas expreſſa aut ſuppreſſa eſt veritas, quam ſi revera ſubſit, exprimi Jus vel Curiæ ſtylus requirit, per textum *c. Quia circa 6. de Conſang. & Affinit. & arg. c. Super literis* 20. *de Reſcriptis*, atque *ad hanc Rubr.* tradita *à n.* 79. Ratio eſt; quia privatorum bonâ fide geſtos hujusmodi actus valere, Eccleſiæ iſtiúsque fidelium recta gubernatio non expoſcit; quòd eorum nullitas obnoxia non ſit incommodis, quæ ſecum trahit nullitas eorum, quæ ab Eccleſiarum Prælatis bona fide & debita circumſpectione geruntur.

Neque in contrarium urget praxis Curiæ, cùm; quia à ſuperiore ſine legitima cauſa diſpenſatum exponentes in Curia ideo audiuntur; quod dubium ſit, an is prævia cauſæ cognitione & circumſpectione debita proceſſerit diſpenſando: tum verò; quia in hac peti & impetrari ſæpè ſolent diſpenſationes non ob præciſam earum neceſſitatem, ſed ex ſuperabundantia ad majorem ſecuritatem hominum ſcrupuloſorum plenéque tranquillandas eorum conſcientias, ut rectè obſervat *cit.* Perez *n.* 4. *in fine.*

ARTICULUS VI.

De exprimendis in Literis Impetrationis Dispensationis Matrimonialis.

SUMMARIUM.

99. *Subreptitiam facit dispensationem reticentia veritatis exprimendæ.*
100. *Super quibusdam impedimentis nunquam,*
101. *Aut rarissimè dispensatur.*
102. *In supplicatione super aliis exprimendus est I. Gradus remotior,*
103. *Et ex propinquis primus consanguinitatis & Affinitatis,*
104. *II. In publica Honestate gradus non semper est exprimendus.*
105. *III. In Affinitate exponenda qualitas copulæ, ex qua est orta.*
106. *IV. In cognatione Spirituali, an Paternitas vel Compaternitas sit.*
107. *V. Multiplicitas impedimentorum, si plura ejusdem,*
108. *VI. Vel diversæ rationis matrimonio obstent.*
109. *Non tamen semper, si cum Affinitate publica honestas concurrat.*
110. *Plura impedimenta exprimenda sunt iisdem literis.*
111. *VII. Matrimonii, scienter vel ignoranter iniți, contractus.*
112. *VIII. Et copula intercedens inter Oratores:*
113. *Si ea admissa fuit ad faciliùs impetrandam dispensationem.*
114. *IX. Dispensatio super impedimento jam semel obtenta:*
115. *Si eâ tertio magis præjudicetur,*
116. *Vel aliàs magnitudo gratiæ non intelligatur.*
117. *Extra quos casus ejus expressio necessaria non est.*
118. *X. Negatio dispensationis antè petitæ:*
119. *Cujus expressio veriùs necessaria non est.*

99. Sicut Dispensationē, tanquam obreptitiam, vitiat causæ in supplicatione expressæ falsitas, sic eam subreptitiam & invalidam reddit suppressio sive reticentia alicujus eorum, quæ si subsint, exprimi de Jure vel Consuetudine sive approbatô & notoriô Curiæ Romanæ stylô ita debent; ut, gratiam literis Apostolicis factam, aut earum vigore faciendam valere, Papa nolit, nisi ea Orator exponat, per tradita *Lib. 1. tit. 3. à n. 41.* Quare operæ pretium erit, si ex iis, quæ ab Oratoribus pro ejusmodi dispensationis gratia supplicantibus in literis impetrationis de Jure vel Consuetudine seu stylo illo exprimenda sunt, magis notabilia scitúque in praxi necessaria attingantur. Qua in re

100. Præmittendum certúmque est Impримis super impedimentis, quæ personas ad matrimonium inhabiles Naturali aut Divino jure reddunt: ut Ætas carens usu rationis, Impotentia, Consanguinitas in primo gradu lineæ rectæ & Ligamen, sive matrimonii consummati vinculum sunt, dispensationi locum non esse, juxta dicta *Lib. 1. tit. 2. n. 154.*

Deinde, super Erroris, Conditionis servilis & Vis seu Metûs impedimentis dispensatione non esse opus; quòd error circa personam vel conditionem ejus detectô, víque seu metu cessante, contrahentium personæ, licet à conjugio in Ecclesiæ facie contracto sine Ecclesiæ judicio nequeant recedere, id tamen invalidè initum, mutuum consensum per verba de præsenti renovandô, ratificare & revalidare

revalidare valeant, ut infra *à n. 170.* latè declarabitur.

Simili modò diſpenſatione opus non eſt in impedimento Raptûs; cùm raptor, ſi fœminam, quam invitam abduxit, in loco tuto & extra ſuam poteſtatem conſtituerit, ſponte conſentientem ducere non prohibeatur à Tridentino *Seſſ. 24. cap. 5. de Ref. Matrim.* ut adeò diſpenſatio eò ſolùm caſu locum haberet, quò fœmina, mutatâ voluntate in matrimonium conſentiens, in loco tuto & extra raptoris poteſtatem conſtitui propter obſtacula extrinſeca non poſſet. Eòdem modò ſine diſpenſatione tolli poteſt Clandeſtinitas, & matrimonium celebrari coram proprio parocho & duobus vel tribus teſtibus; ut dispenſatione opus eò ſolùm caſu ſit, quò horum aut illius præſentia haberi non poſſet.

101. Demum in Voti ſolennis, tam ſacri Ordinis ſusceptione, quàm Religionis à ſede Apoſtolica approbatæ profeſſione editi, vinculo & disparitate Cultûs, in Conſanguinatione naturali lineæ rectæ & gradu, primò remotiore, quæ inter avum & neptem, proavum & proneptem &c. intercedit, in ejusdem cognationis lineæ transverſæ gradu primò, quo frater & ſoror, & in Affinitatis ex copula conjugali ortæ primo gradu tam lineæ rectæ, qua ſocer & nurus, ſocrus & gener, vitricus & privigna, privignus & noverca, quàm transverſæ, quâ fratri fratris defuncti uxor, ſorori defunctæ ſororis maritus conjuncti ſunt, etſi juris ſolùm Eccleſiaſtici impedimenta ſint, & in vinculo matrimonii Rati dispenſationes concedi, vel non conſuetum, vel rariſſimi & omnino extraordinarii exempli in Eccleſia eſt; ut, quæ in impetrationis literis, præter juſtam eámque graviſſimam causam &, ſi quæ matrimonio contrahendo obſtarent, alia impedimenta nuptialia, uti & matrimonium de facto contractum aut iſtius obtinendæ intuitu intercedens carnale commercium, exprimenda ſint, hôc locô perſequi non ſit neceſſe.

Super aliis nuptiarum impedimentis ſi diſpenſatio petatur; ne ſubreptitia ejus gratia ſit, in Supplicatione exprimendus eſt

Primò conſanguinitatis & affinitatis 102.
gradus, quò Oratores ſunt conjuncti: &, ſi inæquali gradu conjuncti ſint, gradus remotior, ut conſtet de impedimento; cùm, ſi vg. conſanguineorum alter à communi ſtipite quintò gradu diſtaret, ulla diſpenſatione opus non foret poſt Concilium Lateranenſe *c. Non debet 8. de Conſang. & Affinit.* Propinquior autem gra- 103.
dus exprimendus neceſſariò tantùm eſt, quando eſt primus conſanguinitatis vel affinitatis, vg. ſi Titii nepos, pronepos, abnepos pro matrimonio cum ipſius filia ineundo peteret diſpenſationem. Ratio eſt; quòd propter ſingularem indecentiam cum perſonis ita conjunctis, ſi non exprimat, diſpenſare ſua Sanctitas nunquam intendat, ſecundùm, *Conſtitutionem* Pii V. quæ incipit *Sanctiſſimus, editam 26. Auguſti 1566.* quæ, cùm de ſola conſanguinitate & affinitate loquatur, ejus diſpoſitio porrigenda non eſt ad alia impedimenta, *arg. l. Commodiſſimè 10. ff. de Lib. & poſth.* Corradus *Prax. Dispenſ. Apoſtol. Lib. 8. cap. 7. n. 24. §. Sanè.*

Neque cùm Oratorum alter tertiò, alter ſecundò conſanguinitatis vel affinitatis gradu à communi ſtipite remotus eſt, ſecundum etiam gradum exprimendum, rectè deſumitur ex Literis ab Urbano VIII. in forma Brevis relatis à Barboſa *Votor. Deciſ. Lib. 2. Voto 3.* quibus ſummus hic Pontifex pro invalido & inceſtuoſo habet conjugium, à Nobiliſſimis ſponſis Antonio & Franciſca initum vigore literarum Apoſtolicarum, quibus

tertii duntaxat, non etiam secundi gradûs, quô alter à communi stipite distabat, mentio facta erat; quia hoc Papa non asseruit ipse, sed Officiali Toletano visum refert: &, si id ipse asseruisset, hoc ejus rescriptum tribunalium praxi receptum non est, postquam *Constitutio* Pauli IV. talia matrimonia pro irritis habentis, à Pio V. *Constitut cit.* fuit abrogata, ut advertit Gobat *Experient. tract. 9. n. 621.* & Perez *disp. 46. de Matrim. s. 5. n. 7.*

104 Secundò, sicut in consanguinitate & affinitate, sic etiam in impedimento publicæ honestatis gradum in Supplicatione exprimendum, communis est doctrina: quæ tamen distinctionem hodie exposcit inter publicam honestatem, ex sponsalibus de futuro, & de præsenti sive ex matrimonio rato ortam; cùm enim ex illis ortum nuptiale obstaculum ex decreto Tridentini *Sess. 24. cap. 3. de Ref. matrim.* ultra gradum primum non porrigatur, ejus gradum exprimi non est necesse: licet istius expressio necessaria sit, quando illa orta est ex matrimonio rato. Quantumvis etiam istius matrimonii mentio necessariò facienda non sit, quando ea secundi aut remotioris est gradûs, ipsum tamen matrimonium exprimendum est, quando pro dispensatione in primo ejus gradu supplicatur. Ratio prioris est; quòd, cùm hodie ex solo matrimonio rato ortum publicæ honestatis impedimentum in secundo & remotioribus gradibus matrimonium dirimat, expressô tali gradu super impedimento, ex matrimonio orto, dispensationem peti, satis intelligatur. Posterioris autem; quòd expressô gradu primô super publica honestate, ex matrimonio rato potiùs quàm ex sponsalibus de futuro orta, dispensationem peti, satis non exprimatur: impedimentum autem ex matrimonio ortum ex primi necessarium sit; quia ex isto ortum impedimentum gravius & urgentius est; cùm utique multò indecentius sit matrimonium initum cum sorore, filia, matre sponsæ de præsenti, quàm de futuro, Sanchez *Lib. 8. de Matrim. disp. 24. n. 16.* Pontius *Lib. 8. de Matrim. cap. 17. n. 29.* & Perez *cit. s. 5. n. 15.*

105 Tertiò, in supplicatione pro dispensatione super affinitate in primo vel secundo gradu exprimendum est, an ea proveniat ex copula carnali licita vel illicita; quia ex licita sive conjugali copula orta includit publicam honestatem, ex sponsalibus præcedentibus ortam: non etiam orta ex illicita; & propterea illius vinculum fortius est vinculô affinitatis ex illicita copula provenientis. *In primo*, inquam, *& secundo*; quia, si dispensatio super affinitate in tertio aut quarto gradu petatur, eam ex licita copula ortam exprimere, non est necesse; cùm ex illicita ortæ affinitatis impedimentum nuptiale ultra secundum gradum non extendatur, ex decreto Trident. *cit. Sess. 24. cap. 4. de Ref. Matrim. citt.* Sanchez *n. 19.* & Pontius *n. 30.*

106 Quartò, si super impedimento cognationis spiritualis dispensatio petatur, exprimendum imprimis est, an ea Paternitas vel Compaternitas sit; quòd propter reverentiam, quam patri vel matri spirituali hujusmodi filius & filia debent, ad conjugium ineundum multò facilius dispensetur cum eo, cujus quis prolem suscepit ex Baptismo vel tenuit in Confirmatione, quàm cum eo, quem tenuit aut suscepit. Imò, ad matrimonium cum filio aut filia spirituali ineundum dispensationem aliquando concessam, à se auditum lectúmve, disertè neget *cit.* Sanchez *n. 15.* & unicum matrimonium, quod Apostolicæ dispensationis vigore pater spiritualis cum hujusmodi filia contraxisse perhibetur à Pontio *n. 28.* infaustum exitum ha-

tum habuisse, ipse fateatur. Deinde secundùm aliquos exprimendum est, an cognatio orta sit ex Baptismo vel Confirmatione; quòd naturalem cognationem magis imitetur spiritualis ex illius, quàm istius Sacramento orta; atque idcirco Supplicationes, hujus cognationis originem non exprimentes, in Curia Apostolica non admitti, asserat Corradus *Lib. & cap. 8. n. 15.* qui tamen, numeri prolium ex sacro fonte susceptarum expressionem minimè necessariam, ait *n. 16.*

107. Quintò, quando Oratores ex duplici titulo conjuncti sunt, sive duplici ejusdem rationis impedimento laborant; quòd vg. Titius & Caja non ex uno tantùm, sed ex duobus stipitibus communibus descendant, & ratione patris matrísque in æquali vel inæquali gradu consanguinei sint, si idem Titius duas consanguineas Cajæ, quàm ducere vult, carnaliter cognovit: si Titius proles Cajæ, quam ducere vult, & hæc vicissim illius proles ex Baptismo suscepit vel tenuit in Confirmatione: si matrimonium ratum vel sponsalia contraxit cum duabus consanguineis ejus, quam ducere vult &c. utrumque titulum vg. utramque consanguinitatem vel affinitatem &c. exprimendam, verisimiliùs censent *citt.* Sanchez *n. 5.* Pontius *n. 25.* & Perez *s. 5. n. 4.* Ratio est; quia duplex conjunctio, cùm fortior & intensior simplici sit, minùs facilè quàm simplex relaxatur. Unde etiam, si Orator cum duabus ejusdem viri uxoribus interveniente adulterio matrimonium de facto contraxit, vel de contrahendo fidem eis dedit, vel si in necem duorum ejusdem uxoris maritorum eâ consentiente & matrimonii cum illa ineundi intentione machinatus est, ejusdem criminis iterationem exprimendam, docet Vincent. de Justis *Lib. 1. cap. 4. n. 189.*

108. Sextò, multò magis, si Oratorum conjugio plura diversæ rationis impedimenta obstent; quòd vg. consanguinei & affines vel cognati spirituales, vel in alterius mortem machinati, vel continentiæ votô alter vel uterque obstricti sint, omnia impedimenta erunt exprimenda. Ratio est; quòd, cùm matrimonio contrahendo omnia obstent, omnia egeant dispensatione: ista autem strictæ interpretationis sit, & de stylo Curiæ ab uno ad alterum non porrigatur.

Excipit hôc locô Gobat *cit. Tract. 9.* 109. *n. 618.* affinitatem concurrentem cum publica honestate, & hujus expressionem in impetrationis literis non necessariam, ait. At hæc ejus exceptio nequaquam perpetua, sed vera tantùm est, quando affinitas orta est ex copula licita seu conjugali, vg. si Titius matrimonium inire velit cum Caja, consanguinea Berthæ uxoris suæ carnaliter cognitæ; cùm enim eô ipsô, quod Bertha fuerit Titii uxor, ejus etiam fuerit sponsa, expressâ affinitate, proveniente ex copula licita, eam præcedentis publicæ honestatis impedimentum exponetur & intelligetur. Non etiam, quando affinitas orta est ex copula illicita, vg. si Titius matrimonium inire velit cum Caja consanguinea Berthæ, cum qua prius est fornicatus; cùm enim fornicariam copulam sponsalia sæpe non præcedant, expressâ affinitate in genere, vel ortâ ex copula fornicaria, publicè honestatis impedimentum non exprimitur aut intelligitur, *citt.* Sanchez *n. 36.* Pontius *n. 30.* & Perez *n. 14.*

Dubium controversúmque est, an 110. omnia impedimenta matrimonio obstantia eâdem supplicatione sint exponenda; hoc enim minimè necessarium, sed sufficere, si super singulis dispensatio petatur literis diversis, cum Navarro *Consil. 1. & 4. de Consang. utrobique n. 2.* existimat Henriquez *Lib. 12. cap. 3. n. 8.* cùm; quòd

unum

unum sine altero, sicut esse, sic etiam tolli queat: sicut criminum homicidii ac furti unum sine altero, sicut committi, sic & remitti potest: tum verò; quòd, plurium dispensationem iisdem literis petendam, nec expressum Jure, nec stylô Curiæ sit receptum.

Sed meliori ratione omnia impedimenta iisdem literis exponenda, cum Panormit. *in c. Non debet cit. n.* 12. Alex. de Nevo *ibid. n.* 11. docent Sylvester *V. Matrimonium 8. q. 14. d.* 12. Covarruvias *p. 2. de Sponsal. cap. 6. §. 4. in fine citt.* Sanchez *disp. 23. n. 2.* & Pontius *cap. 17. n. 32.* quòd, ut dispensatio subreptitia non sit, impedimentum exponi necesse sit secundùm totam gravitatem, quæ concessionem intrinsecè reddit difficiliorem: impedimenta autem plura conjuncta, eô ipsô; quòd fortiùs ligent, dispensationis concessionem difficiliorem reddant, quàm exposita seorsim; cùm impedimentorum pluralitas sæpe causa sit, cur dispensatio negetur.

Quare speciosum magis quàm firmum est oppositæ Opinionis fundamentum prius; quia, licet tolli unum valeat sine altero, id tamen ordinariè non fit à Papa, dispensare non intendente, nisi impedimentum cum tota gravitate expositum sit. Minùs solidum imò vanum est posterius: quòd stylus Curiæ utriusque expressionem duobus tantùm casibus non exposcat, scilicet quando impedimentorum alterum sine dispensatione tolli aliâ viâ potest, sicut cum consanguinitate vg. concurrentia impedimenta voti editi ab impubere & sponsalium cum alio initorum tolli possunt parentis vel tutoris irritatione vel prioris sponsi remissione: &, quando impedimentorum alterum occultum ejúsque generis est; ut ejus manifestatio afferat notam infamiæ & reatum pœnæ, ut vg. manifestatio copulæ incestuosæ cum consanguinea vel machinationis in necem conjugis consanguineæ, quam quis ducere vult; quòd jure optimo præsumatur, Papam non velle, ut cum infamiæ & punitionis periculo occultum crimen sibi exponatur. Etsi verò tali casu, suppressô hujusmodi impedimentô occultô, in Supplicatione alterum tantùm impedimentum exponere sufficiat, alterum tamen, super quô impetrata est dispensatio, & hanc etiam, Pœnitentiario exponendam, monent DD. *citt.*

Septimò, ex decreto S. Synodi Trid. III. *Sess. 24. cap. 5. de Ref. Matrim.* in Supplicatione pro dispensatione super consanguinitatis, affinitatis, alióve simili, imò quovis alio impedimento dirimente facienda mentio est matrimonii, cum eo scienter (ab utroque, non ab altero tantùm) contracti, aut etiam ignoranter, sed denuntiationibus sine justa causa omissis: &, si matrimonium ita initum consummârint, istius etiam mentio est facienda. Ratio est; quòd S. Synodus tales dispensationis consequendæ spe carere voluerit: non quidem simpliciter & dispensandi potestatem Papæ restringendô; quia Papæ manûs ligare non potuit, *arg. c. Innotuit 20. de Elect.* neque etiam voluit, ut ipsamet S. Synodus declarat *Sess. 25. cap. 21. de Ref.* Sed eum instruendô & hortandô; ut hujusmodi dispensationes rarò, & non nisi ex justissima causa concedat, *citt.* Perez *s. 7. n. 7.* & Corradus *cap. 3. n. 6.*

Octavò, exprimenda in supplicatione est copula, inter Oratores consanguineos aut aliter impeditos habita. Qua in re tamen DD. in utrámque partem euntium Opiniones contrariæ à *cit.* Gobat *n. 626.* in concordiam reducuntur auxiliô distinctionis; vel enim copula habita fuit eâ intentione, ut facilius impetraretur dispensatio, vel sine tali intentione

tione ex infirmitate & veſana libidine impellente?

113. Si prius, ne gratia ſubreptionis vitiô laboret, ejus mentionem faciendam, cenſet cum Navarro *Manual. cap. 22. n. 86. verſu 5.* Guttierez *Lib. 1. Q. Q. Canon. cap. 15. n. 20.* & *cit.* Sanchez *diſp. 25. n. 38.* id deſumentibus ex notorio & approbato ſtylo Curiæ Apoſtolicæ, hujusmodi diſpenſationum reſcriptis inſerentis clauſulam, *Dummodo copula habita non ſit ſpe diſpenſationis faciliùs obtinendæ.*

Si poſterius, & copula publica non ſit, eam non neceſſariò exprimendam; ac proinde ejus reticentiâ diſpenſationem non vitiari, veriſimiliùs ait cum *cit.* Navarro *V. cit.* Henriquez *Lib. 8. cap. 17. §. 6. n. 32.* Pontio *cap. 17. cit. n. 32.* & Hurtado *de Matr. n. 23. diſp. 26.* Ratio eſt; quòd ex una, copula carnalis, ſi exprimatur, Papam moveat ad diſpenſationis gratiam faciliùs concedendam, ut omnes agnoſcunt: ex altera verò parte, reticentia veritatis, quæ ſi exprimeretur, Papam moveret ad gratiam faciliùs concedendam, reſcriptum non vitiet, per ea, quæ *in c. Super literis 20. de Reſcript.* cum Gloſſa *V. Literas* notant Felinus *n. 8.* Decius *n. 9.* & Beroius *n. 75.* quod aliis DD. relatis Pontius *n. 33.* adeò verum exiſtimat; ut, etiamſi diſpenſatio pro externo foro obtenta ſit cum clauſula, *Dumodo copula habita non ſit*, illa adhuc valeat, licet copula reipſa intervenerit & coram Ordinario ſuper ea interrogante reticeatur: dummodo copula non ſit publicè nota, & in externo foro nequeat probari.

114. Nonò, in ſupplicatione pro diſpenſatione ſecunda, primæ ſuper eodem impedimento obtentæ, mentionem exprimendam: ſecus diſpenſationem ex ſubreptione invalidam fore, communis aſſertio eſt, fundata in deciſionib⁹ *c. Veniens 19. de Præſcript. & c. fin. de Filijs presbyt. in 6.* quarum priori privilegium ſubreptitium habetur ob reticentiam privilegii ſuper eôdem articulô, ſed minùs amplè, conceſſi: poſteriori ob idem vitium irrita habetur illegitimo indulta diſpenſatio ſuper obtentione & retentione beneficii ſecundi; quòd in ea mentio facta non ſit diſpenſationis ſuper primo. Sed deciſiones iſtæ ultrà, quàm par eſt, porrigendæ non ſunt; cùm

Certùm ſit, priùs impetratæ mentionem in ſupplicatione ad ſecundæ valorem neceſſariam non eſſe, quando ſecunda diſpenſatio cadit ſupra materiam diverſam, aut ad diverſum finem tendit, vg. ſi poſt impetratam diſpenſationem in lege jejunii ſupplicetur pro diſpenſatione in voto continentiæ ad matrimonium ineundum, *citt.* Sanchez *diſp. 22. n. 5.* & Suarez *cap. 23. n. 2.* Ratio eſt; quòd, prioris mentionem neceſſariam eſſe, neque ex Jure neque ex praxi conſtet.

Quando utriusque diſpenſationis materia eſt eadem, & ad eundem finem utraque tendit, ut poſterioris impetratio ſubreptitia non ſit, prioris diſpenſationis mentio in Supplicatione pro poſteriori duobus caſibus facienda eſt.

Unus eſt, quando diſpenſatio vel 115.
previlegium tendit in præjudicium tertii, & huic per poſteriorem ampliorem magis præjudicatur, quàm per priorem: ſicut accidit *c. Veniens cit.* ex cujus deciſione privilegiô exemptus à ſolutione decimarum vg. ex frumento, ſi nullâ iſtius mentione factâ impetret privilegium eximens à decimarum ſolutione ex vino &c. eidem facienda, poſterius hoc privilegium ſubreptitium & irritum eſt. Simili modô, quòd Eccleſiarum & beneficiorum pluralitas cedat in præjudicium Eccleſiæ, cui plures miniſtros ſibi ſervientes habere expedit, *can. Sanctorum 2. diſt. 70. c. Quoniam 3. de Cleric. non reſid. c. Quia*

in tantùm 5. Extravag. Execrabilis Joan. XXII. de Præbend. &c. in secundi beneficii impetratione mentio facienda est primi, ut provisio subreptitia non sit, *c. Cùm adeò 17. de Rescript. c. Si motu 23. de Præbend. in 6.* Pontius *cit. cap. 17. n. 6.* Palao *Tract. 3. disp. 6. p. 16. §. 6 n. 4.* & Perez *s. 6 n. 3.*

116. Alter, cùm prioris dispensationis nullâ mentione factâ Papa impedimentum, quod dispensandò aufert, totum vel quantitatem aut qualitatem gratiæ, quam facit, sufficienter non cognoscit, sicut iterum accidit *c. fin. cit.* ubi dispensatio ad secundum beneficium propter reticentiam defectûs natalium, super quo dispensatio obtenta jam fuit ad obtinendum beneficium primum, pro subreptitia habetur; quòd defectu illò non expositò Papa plenè informatus non fuerit de impedimento; cùm defectus ille per dispensationem primam plenè sublatus non fuerit. Unde prius obtentæ dispensationis expressio non tam ratione sui, quàm ratione defectûs natalium necessaria fuit: &, si defectus iste sine mentione dispensationis primæ in Supplicatione pro secunda expositus fuisset, dispensatio subreptitia non fuisset, ut *c. cit.* cum Dominico *n. 7.* & Franco *n. 2.* intelligunt Covarruvias *p. 2. cit. cap. 6 §. 8. n. 5.* Suarez *cap. 23. n. 7.* & Pontius *n. 7.* & hunc intellectum desumunt ex ratione reddita *c. cit.* Quòd *non sit verisimile sedem Apostolicam cum illo prædictum patiente defectum voluisse, si hoc fuisset expressum, eidem in pluralitate hujusmodi dispensare.* Simili modò, si post primam dispensationem super beneficii fructibus sine residentia percipiendis ad quinquennium, istò elapsò, pro alio quinquennio dispensatio petatur, ut ista subreptionis vitiò non laboret, priùs obtentæ mentio est facienda, DD. *citt.* quòd, primâ dispensatione ad quinquennium non expositâ, non cognoscatur quantitas gratiæ dispensationis, fortassis non concedendæ, si prima expositа fuisset. Eôdem modò in Supplicatione pro dispensatione super impedimento criminis adulterii cum machinatione in necem conjugis, ut valeat, exprimenda est dispensatio super eodem crimine semel jam obtenta; cùm enim super eo iterata dispensatio difficillimè concedatur, primâ non expressâ Papa non satìs informatur de gravitate impedimenti & quantitate gratiæ, quàm facit, *arg. l. Nemo 3. C. de Episc. audient. citt.* Pontius *n. 7. & 8.* Pontius *n. 5.* & Perez *n. 4.*

117. Præter duos hos casus prioris dispensationis reticentia posteriorem, super eodem articulo impetratam, ex subreptionis vitio invalidam non reddit ex mente DD. antè *citt.* secundùm quos, ad matrimonium ineundum super voti, consanguinitatis aut alio impedimento dirimente impetrata dispensatio secunda valida est: licet prioris, super eodem impedimento ab eodem impetratæ, ulla mentio non fiat. Neque refert; quòd priori Orator non fuerit usus, aut ea fuerit invalida; quia *Non præstat impedimentum, quod de jure non sortitur effectum*, Regula est *52. in 6.*

118. Decimò, si dispensationis antè negatæ petitio iteretur, in secunda petitione ejus ante postulatæ ac negatæ mentionem faciendam: &, si omittatur, dispensationē subreptitiam fore, asserit Menoch. *de Arbitr. casu 203.* eâ ductus ratione; quòd secunda admissa ex errore, & iterum neganda fuisset, si prior repulsa expositа fuisset. Sed hæc iterandæ negationis præsumptio levis est; quòd, si petitionem iterandò plures & efficaciores rationes seu causæ allegentur, iis superior ad gratiæ antè denegatæ concessionem valeat moveri.

Quare

119. Quare, antè negatæ reticentiâ diſpenſationem coram eodem alióve ſuperiore iteratam vitiari, meritò negant *citt.* Sanchez *disp. 22. n. 14.* Suarez *cap. 22. à n. 1.* & Pontius *n. 3.* quòd negationis exprimendæ neceſſitas neque Jure vel conſuetudine ſeu ſtylo Curiæ, neque ratione evincatur: etiamſi petitio iteretur coram denegantis inferiore, jurisdictionem ordinariam habente; cùm iſtius facultas ſuperioris denegatione nec tollatur nec reſtringatur.

ARTICULUS VII.

De Supplicatione pro Diſpenſatione Matrimoniali.

SUMMARIUM.

120. *Diſpenſationes ſuper impedimentis publicis à Dataria,*
121. *Super occultis à ſacra Pœnitentiaria expediuntur.*
122. *Quatuor exprimenda in Supplicatione.*
123. *Super publicis & pro foro externo petuntur ab ipſo Papa.*
124. *Forma Supplicationis, ei ſuper conſanguinitatis,*
125. *Et ſuper Publica honeſtatis impedimentis oblatæ.*
126. *Super occultis & pro foro interno petuntur à Majori Pœnitentiario.*
127. *Forma ſupplicationis, ei ſuper voti continentiæ,*
128. *Et ex copula illicita ortæ affinitatis impedimentis oblatæ.*
129. *Eademque breviùs concepta.*
130. *Inſcriptio & terminatio Supplicationis.*

120. Diſpenſationes, ſive Mandata Apoſtolica diſpenſandi ſuper impedimentis conjugiorum, duplicis generis ſunt; quædam enim à Dataria ſeu Cancellaria Apoſtolica pro foro externo ſuper publicis: aliæ à ſacra Pœnitentiaria Romana pro foro Conſcientiæ interno expediuntur ſuper occultis quibuscunque Juris Eccleſiaſtici impedimentis, exceptâ ſolâ Conſanguinitate: ſuper qua, ſi occulta ſit, diſpenſationes à ſacra Pœnitentiaria non niſi in gradibus ſecundò remotioribus, & ad remanendum in matrimonio jam contracto, non etiam ad contrahendum conceduntur, Filliucius *Tract. 10. cap. 10. n. 51.* & Vincent. de Juſtis *Prax. dispenſ. matr. Lib. 1. cap. 8. n. 30.* Quando autem impedimentum ad effectum diſpenſationis à S. Pœnitentiaria impetrandæ occultum ſit, patebit ex tradendis *Lib. 5. tit. 12. à n. 168.*

121.

122. In Supplicatione pro impetranda diſpenſatione exprimenda ſunt quatuor, ſcilicet Primò nomina Oratorum (niſi diſpenſatio petatur à S. Pœnitentiaria) pro ea ſupplicantium cum expreſſione diœceſis, ex qua orti ſunt vel oriundi: præter quæ etiam qualitatem nobilitatis & loci particularis, puta civitatem vel oppidum, non quidem ordinariè, ſed iis tantùm caſibus exprimi neceſſe eſt, quibus Oratores, nobilitate ſanguinis vel loci anguſtia allegata, Papam movere intendunt ad diſpenſationis gratiam concedendam. Secundò deſiderium ineundi matrimonium cum una vel pluribus cauſis ad matrimonium contrahendum, vel in jam contracto remanendum, impellentibus. Tertiò impedimentum nuptiale cum qualitatibus ſuis, vg. conſanguinitatem vel affinitatem, cujus tertiò vel quartò æquali vel inæquali gradu Oratores ſunt conjuncti. Quartò petitio ſive ſupplicatio

ad suam Sanctitatem vel majorem ejus Pœnitentiarium directa, quatenus cum Oratoribus; ut, impedimento non obstante, matrimonium juxta formam Concilii Tridentini contrahere, vel in eo, quod de facto contractum est, permanere liberè ac licitè valeant, authoritate Apostolica dispensare dignetur.

123. Quando pro dispensatione super impedimento nuptiali Dataria sive Cancellaria Apostolica aditur, Supplicatio pro illa impetranda non dirigitur ad Cardinalem Datarium, sed ad ipsum Papam, qui gratiam Apostolicam Datarii ministeriô concedit, ut Rotæ decisione allegata observat Corradus *Prax. Dispens. Apost. Lib. 2. cap. 1. n. 32.* Pro praxi subjicio duo exempla seu formas supplicationum.

Exemplum Supplicationis pro dispensatione super impedimento Consanguinitatis, allegatâ Dotis incompetentiâ.

Beatissime Pater.

124. *Exponitur humiliter Sanctitati vestræ pro parte devotorum ipsius Oratorum Adriani N. laici & Theresiæ N. diœcesis Frisingensis*, vel, si Oratores diœcesium diversarum sint, *Adriani N. laici Frisingensis & Theresiæ N. Passauiensis diœcesis; quòd, cùm dicta Oratrix dotem habeat minùs competentem juxta statûs sui conditionem, cum qua virum sibi non consanguineum vel affinem paris conditionis, cui nubere possit, invenire nequeat, dictus Orator ipsam cum dicta minùs competente dote uxorem ducere intendit. Sed, quia tertiô & quartô à communi stipite provenientibus consanguinitatis gradibus conjuncti sunt, desiderium suum hac in parte adimplere non possunt absque sedis Apostolicæ dispensatione. Supplicant igitur humiliter Sanctitati vestræ Oratores præfati, quatenus cum ipsis, quòd impedimentô quarti consanguinitatis gradûs hujusmodi non obstante matrimonium inter se publicè, servatâ formâ Concilij Tridentini, contrahere, illúdque in facie Ecclesiæ solennizare & in eo postmodum remanere liberè ac licitè valeant, dispensare: distantiam verò prædicti gradus eù non obstare, declarare, prolem suscipiendam exinde legitimam nuntiandô dignetur de gratia speciali. Non obstantibus præmissis & Constitutionibus atque Ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscunque cum clausulis opportunis.*

Exemplum Supplicationis pro dispensatione super impedimento publicæ honestatis Justitiæ, extinctionis inimicitiarum & compositionis pacis causâ allegatâ.

Beatissime Pater,

125. *Exponitur humiliter Sanctitati vestræ pro parte devotorum ipsius Oratorum Ottonis N. laici & Euphemiæ N. diœcesis Augustanæ, quòd cùm inter dictorum Oratorum parentes & consanguineos vel affines graves inimicitiæ ortæ jam sint & de præsenti vigeant, aliunde tamen quàm ex causa matrimonij, inter eos contrahendi, provenientes, & ante istius tractatum exortæ: spèsque certa sit; quòd si Oratores sibi invicem matrimonialiter copularentur, inimicitiæ hujusmodi omnino componerentur, pro illis componendis & bonâ pacis cupiunt Oratores prædicti invicem matrimonialiter copulari. Sed quia aliàs dictus Orator sponsalia per verba de futuro cum Oratricis sorore ad præsens defuncta contraxit, quæ quidem Oratricis soror ab eodem Oratore intacta & in nullo attentata ab humanis decessit, desiderium suum hac in parte adimplere non possunt absque sedis Apostolicæ dispensatione. Supplicant igitur humiliter Sanctitati vestræ Oratores præfati, quatenus cum ipsis, quòd hujus-*

hujusmodi primi gradûs publicæ honeſtatis Juſtitiæ impedimentô non obſtante matrimonium inter ſe publicè, ſervatâ formâ Concilij Tridentini, contrahere, illúdque in facie Eccleſiæ ſolennizare &c. ut in forma præcedenti.

126. Quando autem pro diſpenſatione ſuper impedimento occulto & pro foro Conſcientiæ interno ad S. Pœnitentiariam recurritur, Supplicationis literæ ad majorem Pœnitentiarium, qui S. R. E. Cardinalis eſt, diriguntur & nomine ac prænomine Oratoris pro illa ſupplicantis tacitô, vel per literas NN. aut nomen fictitium, vg. Caſimirus N. laicus diœceſis Ratisbonenſis, denotatô, fere ſequenti formâ concipiuntur.

Exemplum Supplicationis pro diſpenſatione in voto Caſtitatis, infirmitate carnis allegatâ.

Eminentiſſime & Reverendiſſime Domine.

127. *Exponitur humiliter Eminentiæ veſtræ pro parte devoti Oratoris Caſimiri N. laici diœceſis Ratisbonenſis, quòd ipse aliàs ſimpliciter vovit, ſe caſtitatem perpetuò ſervaturum. Cùm autem infirmitatibus oppreſſus carnis ſtimulis ita agitetur, ut, ſe continenter vivere poſſe, diffidat, pro ſuæ Conſcientiæ tranquillitate cupit per ſedem Apoſtolicam votum prædictum ad effectum contrahendi matrimonium commutari. Quare Eminentiæ veſtræ humiliter ſupplicat, quatenus prædictum votum ad hoc, ut matrimonium publicè juxta formam Concilij Tridentini contrahere & debitum conjugale exigere ac reddere licitè poſſit, in alia Pœnitentiæ ac pietatis opera diſpenſandô commutare Authoritate Apoſtolica dignetur.*

Exemplum Supplicationis pro diſpenſatione ad remanendum in matrimonio, cum impedimento Affinitatis ex copula illicita provenientis contractô, allegatâ causâ ſcandalorum.

Eminentiſſime & Reverendiſſime Domine.

Exponitur humiliter Eminentiæ veſtræ pro parte devoti ipſius Oratoris Emeramus N. laici diœceſis Bambergenſis, quòd ipse aliàs matrimonium per Verba de præſenti publicè in facie Eccleſiæ contraxit & ſucceſſivè conſummavit cum muliere, cujus matrem antea carnaliter cognovit. Cùm autem dictus Orator ob Affinitatis impedimentum ex prædictis proveniens, quod occultum eſt, in eo matrimonio remanere non poſſit abſque ſedis Apoſtolicæ diſpenſatione: &, ſi divortium inter eos fieret, gravia exinde ſcandala veriſimiliter exorirentur, cupit à præmiſſis, de quibus plurimùm dolet, abſolvi & ſecum ſuper Affinitatis prædicto impedimento ad remanendum in matrimonio illo diſpenſari. Quare Eminentiæ veſtræ humiliter ſupplicat, ut ſuper his de opportuno remedio Authoritate Apoſtolica miſericorditer providere dignetur. 128.

Breviores formas Supplicationum pro diſpenſatione ſuper iisdem impedimentis exhibet Ardeckin *Theolog. Tripartita Tom. 2. p. 2. tract. 4. §. 5.* 129.

Eminentiſſime & Reverendiſſime Domine.

Caſimirus N. laicus diœceſis Friſingenſis emiſit votum ſimplex Caſtitatis perpetuæ: ſed, cùm adſit vel *futurum eſſe prævideat periculum incontinentiæ, niſi nubat, ſupplicat ſibi votum commutari ad effectum contrahendi matrimonium.*

Eminentiſſime & Reverendiſſime Domine.

Emeramus N. laicus diœceſis Bambergenſis contraxit matrimonium cum muliere,

liere, cujus matrem antea carnaliter cognovit conscius (vel *nescius*) *impedimenti, quod occultum est. Quare, cùm absque scandalo separari non possint, humillimè supplicant pro remedio.*

130. Inscribuntur Supplicationis literæ à foris, *Eminentissimo & Reverendissimo Domino Domino S. R. E. Cardinali Majori Pœnitentiario. Roma.* & terminantur fere in hunc modum. *Dignetur Eminentia vestra rescribere N. N.* proprium nomen & cognomen exprimendô, Civitatis N. vel Oppidi N. Quod si in tali Oppido Confessarius Magister in Theologia vel Decretorum Doctor graduatus non sit, vel difficile Oratori sit ei conscientiam suam aperire, aut hæc aperta jam sit alteri Confessario non graduato, hoc ipsum in literis erit significandum.

ARTICULUS VIII.

De Forma & Clausulis Dispensationis Matrimonialis pro foro Externo.

SUMMARIUM.

131. *Dispensationes Matrimoniales à Papa committuntur.*
132. *Forma literarum Apostolica commissionis.*
133. *Earum clausula I. est*, Dilecto Vicario generali &c.
134. Diœcesis Oratorum *vel* ipsius Oratricis.
135. *Vicario commissam exequi nequit Episcopus, & vicissim.*
136. *II.* Quòd cum Oratrix propter loci angustiam &c.
137. *III.* A quibusvis Excommunicationis &c. sententiis ad effectum præsentium absolventes.
138. *IV.* Si preces veritate nitantur,
139. *Exigens cognitionem super illarum veritate, non tamen necessariò judicialem.*
140. *V.* Discretioni tuæ, super qua specialem fiduciam habemus, mandamus.
141. *VI.* Super quo conscientiam tuam oneramus.
142. *VII.* Dummodo mulier propter hoc rapta non fuerit.
143. *VIII.* Constitutionibus &c. Apostolicis non obstantibus.
144. *Quâ etiam gradibus, in Concilio generali prohibitis, derogatur.*
145. *IX.* Ut matrimonium contrahere valeant, dispenses.
146. *X.* Servatâ formâ Concilii Tridentini.
147. *XI.* Prolem suscipiendam exinde legitimam nuntiandô.
148. *XII.* Ex certis rationabilibus causis.
149. *XIII.* Quod ipsi honesti, Nobiles &c. sint.
150. *XIV.* Dummodo ipsi pauperes & miserabiles existant &c.
151. *Paupertatis fides facienda est attestatione.*

131. Dispensationes, quæ super conjugiorum impedimentis à Sede Apostolica impetrantur, ferè delegari seu committi solent cum mandato; ut, *Si preces veritate nitantur*, delegatus sive dispensationis Executor cum Oratoribus super proposito impedimento, ad effectum contrahendi matrimonium, dispenset. Delegatus autem sive Executor, ut munus sibi commissum debitô modô impleat, præ oculis habere tenorem literarum Apostolicarum, atque intelligere & diligenter observare debet clausulas illis insertas: quarum

quarum propoſita declaratio, ut dilucidior & utilior ſit, ſubiicio exemplum commiſſæ diſpenſationis ſuper impedimento Conſanguinitatis pro foro Externo, à Dataria ſeu Cancellaria Apoſtolica expeditæ, ac relatæ à Corrado *Prax. Diſpenſ. Apoſtol. Lib. 7. cap. 4. n. 8.*

Clemens Epiſcopus Servus Servorum Dei.

132. *Dilecto filio Vicario Venerabilis fratris noſtri Archiepiſcopi Neapolitani in ſpiritualibus generali ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Oblata nobis nuper pro parte dilecti filii Stephani N. laici & dilectæ in Chriſto filiæ Catharinæ N. mulieris Neapolitanæ diœceſis ex loco de Reſina ortorum petitionis ſeries continebat. Quòd cùm dicta Catharina in dicto loco propter illius anguſtiam virum ſibi non conſanguineum vel affinem paris conditionis, cui nubere poſſit, invenire nequeat, cupiunt Stephanus & Catharina præfati invicem matrimonialiter copulari. Sed quia tertiò & quartò à communi ſtipite provenientibus gradibus invicem ſunt conjuncti, deſiderium eorum hac in parte adimplere non poſſunt, absque Sedis Apoſtolicæ diſpenſatione. Quare iidem Stephanus & Catharina aſſerentes, ſe ex dicto loco ortos exiſtere, nobis humiliter ſupplicari fecerunt, quatenus eis in præmiſſis de opportunæ diſpenſationis gratia providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur eosdem Stephanum & Catharinam & eorum quemlibet à quibuvis excommunicationis, ſuſpenſionis & interdicti aliisque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris & pœnis, à jure vel ab homine quavis occaſione vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodati exiſtunt, ad effectum duntaxat præſentium conſequendum harum ſeriè abſolventes & abſolutos fore cenſentes, ac certam de præmiſſis notitiam non habentes, hujusmodi ſupplicationibus inclinati, Diſcretioni tuæ, de qua in his ſpecialem in Domino fiduciam obtinemus, per Apoſtolicas ſcripta mandamus, quatenus depoſitâ per te omni ſpe cujuscunque muneris aut præmii etiam ſponte oblati, à quo te omnino abſtinere debere monemus, te de præmiſſis diligenter informes: &, ſi per informationem eandem, preces veritate niti repereris, ſuper quo conſcientiam tuam oneramus: tunc cum eisdem Stephano & Catharina (dummodo illa propter hoc rapta non fuerit) quòd impedimentò quarti conſanguinitatis gradûs hujusmodi, ac Conſtitutionibus & Ordinationibus Apoſtolicis cæteriſque contrariis nequaquam obſtantibus, matrimonium inter ſe publicè, ſervatâ formâ Concilii Tridentini contrahere, illúdque in facie Eccleſiæ ſolennizare, & in eo poſtmodum remanere liberè & licitè valeant, authoritate noſtra diſpenſes. Diſtantiam verò tertii gradûs præfati eis non obſtare declares, prolem ſuſcipiendam exinde legitimam nuntiandò. Volumus autem, quod ſi ſpretâ monitione noſtra hujusmodi aliquid muneris aut præmii occaſione dictæ diſpenſationis exigere aut oblatum recipere temerè præſumpſeris, excommunicationis latæ ſententiæ pœnam incurras. Dat. Romæ.*

Harum itaque literarum Apoſtolicarum Clauſula prima eſt, *Dilecto filio Vicario Venerabilis fratris noſtri Archiepiſcopi Neapolitani in ſpiritualibus generali* vel Officiali Epiſcopi diœceſis Oratorum pro diſpenſatione ſupplicantium: vel, ſi ii diœceſium diverſarum ſint, & aliud non petatur, Officiali diœceſis ipſius Oratricis. 133.

Unde tali caſu in literis impetrationis ſeu Supplicatione Papæ oblatâ utriusque Oratoris vel ſaltem Oratricis diœceſin exprimi, neceſſe eſt; ne 134.

est ; ne facilè contra mentem Papæ & Curiæ stylum Oratoris Ordinario commissio fiat, ut notat *cit.* Corradus *Lib. 8. cap. 5. n. 26.* *Archi-* aut *Episcopi*, inquam, secundùm decretum Concilii Tridentini *Sess. 22. cap. 5. de Reformat.* nullius momenti esse volentis dispensationes, nisi committantur impetrantis Ordinario sive Episcopo &, qui istius jurisdictionem in eodem tribunali exercet, ejus Vicario generali. Non etiam Vicario Capituli ; quia iste, licet jurisdictionis Episcopalis & Ordinariæ sede vacante penes capitulum residentis exercitium habeat, non tamen Episcopi Vicarius est, ut, Curiæ stylo & S. Congregationis declarat. allegatis, docent Garcias *p. 6. de Benefic. cap. 2. n. 40.* & Corradus *cit. Lib. 7. cap. 4. n. 11.* ubi, Episopali sede vacante, uti & quando Oratores nullius diœcesis sunt, dispensationum literas Ordinario viciniori ejúsve Officiali seu Vicario generali committi consueviſle, ostendunt Franc. Leo *Thes. Fori Eccl. p. 1. cap. 10. n. 8.* & Garc. *à n. 44.* Corrad. *à n. 14.*

135. Dubium hoc loco est, an si dispensationis literarum executio commissa sit Vicario, eam Episcopus, & vicissim huic commissam executionem suscipere Vicarius possit. Ratio dubitandi obvia est ; quòd unum idemque tribunal eademque jurisdictio sit utriusque, *c. Non putamus 2. de Consuetud. & c. Romana 3 de Appellat. utrobique in 6.* etiam quoad causas matrimoniales, ut *arg. c. fin. de Cognat. spirit. & c. 1. de Frigid. & malef.* dictum *Lib. 1. tit. 28. n. 45.* Sed, hoc de Ordinaria duntaxat, non etiam de delegata jurisdictione accipiendum, ex ibidem *n. 32.* dictis liquet. Quare propositæ dubitationis resolutio quoad utramque partem negativa est ; ut neque Episcopo factam commissionem, ipsum dispensationis actum exercendô, exequi Vicarius, neque factam huic expedire Episcopus valeat : sed executio Vicario, dignitatis sive Officii nomine expressô, commissa, eô officiô cedente aut vitâ functo, transeat ad successorem, Panormit. *in c. fin. §. Caterum, de Offic. deleg. n. 7. ubi* Felinus *n. 8.* & Imola *n. 36.* vel si personæ nomine expresso facta sit, eô ab officio amotô, cedente aut decedente expiret, per tradita *Lib. 1. tit. 29. n. 80.* & ante obitum cessionem vel amotionem subdelegando in alium nequeat transferri ; cùm personæ commissa mera executio sicut à Sede Apostolica commissa dispensatio censetur, nequeat subdelegari, §. *Caterum cit.* quòd in ejus delegatione fere personæ industria eligatur, Panormit. *in §. ult. n. 2. & in §. Sin autem c. cit. n. 6.* & Pirrhing *ad Rubr. de Offic. deleg. n. 12.*

Secunda clausula est, *Quòd, cùm* 136
Oratrix in dicto loco propter illius angustiam virum sibi non consanguineum vel affinem &c. pari conditioni, cui nubere possit, invenire nequeat : quâ exprimitur causa dispensationis scilicet angustia loci inter alias declarata *n. 82.*

Tertia est, *Nos igitur eosdem à quibuvis excommunicationis, suspensionis &* 137
interdicti aliisque sententiis &c. ad effectum præsentium duntaxat absolventes &c. quæ absolutio ad reincidentiam dicitur : propriè tamen talis non est ; cùm ad cautelam factâ hujusmodi absolutione non ipsa censura, si quâ Oratores irretiti sunt, etiam ad tempus duntaxat tollatur, sed solummodo ejus effectus aliquis impediatur, Palao *Tract. 29. disp. 1. p. 11. §. 2. n. 12.* Alia vis & ratio est absolutionis, quæ literis Apostolicis inseri & executoribus committi solet ac debet, quando Oratores secum dispensari petunt super impedimentis primi aut secundi gra-

cindi gradûs affinitatis vel conſanguinitatis cum copula ſubſecuta, propter excommunicationem aliásque pœnas, in hujusmodi inceſtuoſos conſtitutas *Conſtitut.* Gregorii XIV. quæ incipit *Sicut antiquus, editâ Calend. Mart. 1590.* cùm ab excommunicatione ita contracta ad inceſtuoſorum petitionem abſolutio executoribus ſimpliciter committatur, Corradus *Lib. 8. cap. 2. n. 15. & 16.*

138. Quarta, *Te de præmiſſis diligenter informes,* &, *Si preces veritate niti repereris*, exigens cognitionem & informationem & ſuper cauſa finali: quæ informatio ſeu cognitio, ſeclusâ veritatis precum notorietate, adeò neceſſaria eſt; ut quantumvis preces reipſa veræ ſint, ſine ipſa tamen diſpensatio non valeat, Gonzalez *in Reg. 8. Cancell. gloſſ. 19. à n. 292.* Cuttierez *Lib. 2. QQ. Canon. cap. 15. n. 112.* & Sanchez *Lib. 8. de Matrim. diſp. 35. n. 15.* Ratio eſt; quia clauſula iſta inducit formam & rationem habet conditionis; ut ſcilicet ſuper impedimento diſpenſetur, *Si preces veritate niti, ſive cauſam allegatam verè ſubeſſe, executor cognoverit*: ut adeò conditione iſtâ non impletâ, ſed adhuc pendente, nondum competat jus diſpensandi. Secus eſſet, ſi diſpensatio commiſſa eſſet cum clauſula, *Si ita eſt, Si preces veritate nitantur;* quòd hôc caſu exprimatur clauſula, quæ communi Jure ineſt, & expreſſa non reddit commiſſionem conditionatam, ſicut eam reddit clauſula, *Si preces veritate niti repereris;* quòd iſta importet cognitionem de veritate, quæ ipſo jure non ineſt: &, quando cum cognitione procedi debet, rem ita, ut aſſeritur, ſe habere, non ſufficiat, *arg. l. Eum, qui duobus 51. §. 1. ff. de Adquir. hared.* Baldus *in l. Neque natales 10. C. de Probat. n. 5.* & Oldradus *Conſil. 41. n. 1.*

139. Non deſunt DD. qui ad diſpensationis valorem exigant cognitionem Judicialem: idque deſumant ex decretis Reformatoriis S. Synodi Trident. *Seſs. 14. cap. 7.* poſtulantis, *Ut committantur diſpenſationes loci Ordinario, qui non niſi causâ cognitâ & probatis precibus, nec aliter diſpenſare poſſit:* & generaliter diſpensationes in ſacris canonibus ſine cauſæ cognitione factas pro ſubreptitiis haberi volentis, *Seſs. 25. cap. 18.* Verùm, quia eadem S. Synodus denuntiationum remiſſionem, quæ ſacrorum Canonum relaxatio & diſpensatio quædam eſt, Ordinariorum *Prudentiæ ac judicio* ſive conſcientiæ dictamini relinquit *Seſs. 24. cap. 1. de Ref. Matrim.* & cognitionem ac probationes cauſæ judiciales formámque & figuram judicii in diſpensationum executione adhibendam, ullo Jure expreſſum non eſt, cognitionem extrajudicialem ſufficere, ex communi DD. ſenſu defendunt *cit.* Sanchez *n. 15.* & Perez *diſp. 48. ſ. 4. n. 2.* Ratio eſt; quia cognitio cauſæ diſpensationis committitur conſcientiæ Ordinarii, & adhibenda eſt ad ejus conſcientiam informandam, ut liquet ex verbis, *Super quo conſcientiam tuam oneramus:* quoties autem aliquid conſcientiæ & arbitrio relinquitur, judicialis cognitio neceſſaria non eſt, Gloſſa *in c. Statutum 11. §. Aſſeſſorem V. Relinquatur* & *ibi* Francus *n. 6. de Reſcriptis in 6.*

Quare, licet ſuper precum ſeu cauſæ allegatæ veritate teſtes aliæque probationes recipiendæ ſint, id tamen extra locum judicii ſine Notario & teſtium juramento aliſque judiciarii Ordinis ſolennitatibus fieri poteſt: dummodo preces ſive cauſam eſſe veram, certior fiat executor adeò; ut, ſi precum veritas notoria & executori undecunque certò cognita ſit, teſtes aliásque probationes recipi,

non sit necesse ex mente DD. *citt.*

140. Quinta, *Discretioni tuæ, de qua in his specialem fiduciam obtinebimus, &c. mandamus:* quæ clausula non solùm subdelegationem excludit, sed delegatum quoque excitat ad executionis negotium magna circumspectione fidéque pertractandum; ne, dispensatione, precibus non verificatis & negotii circumstantiis non ponderatis, factâ, animabus sit periculosum & infelix matrimonium contrahatur, Corradus *cit. Lib. 7. cap. 6. à n. 1.*

141. Sexta, *Super quo conscientiam tuam oneramus*: vi cujus clausulæ delegatus sibi commissam dispensationis executionem subdelegandô in alterum transferre nullatenùs potest; quòd electa censeatur fides & industria personæ, Menochius *de Arbitr. Lib. 1. q. 68. n. 2.* & Corradus *cit. Lib. 7. cap. 6. n. 41.* Quantumvis autem ipsum dispensandi actum, tanquam nudum ministerium, exequi delegatus teneatur per seipsum, informationem tamen de precum veritate sive testium & probationum aliarum receptionem tanquam actum jurisdictionalem alteri committere non prohibetur, §. *Cæterùm cit.* Sanchez *disp. 27. n. 34.*

Verùm, etsi hæc doctrina non displiceat, inhibitionem tamen subdelegationis ipsius actûs dispensationis ex hac clausula perperam desumi existimo; quòd eâ monitio potiùs & executoris officii declaratio quàm industriæ personæ electio denotetur, ut cum Panormit. *in c. Cùm in veteri 52. de Elect. n. 4.* Felino *in §. Si autem c. fin. cit. n. 2.* Navarro *Consil. 6. de Officio deleg.* Ugolino *de Offic. Episc. cap. 4. §. 7. n. 2.* & aliis rectè observat Garcias *cit. cap. 2. n. 100.* Quare verisimiliùs inhibita est §. *Cæterùm cit.* inhibente subdelegationem dispensationis cum irregularibus; quâ cùm non minùs gravis sit dispensatio super impedimento matrimoniali, per subdelegationem ista quoque à delegato executore in alterum non poterit transferri; quòd §. *cit.* dispositio porrigatur ad casus expressis similes, saltem eos, qui subjectâ ratione afficiuntur, ut *arg. l. Cùm pater 77. §. 20. ff. de Legat. 2. in c. fin. cit.* notant Panormit. *n. 2.* Felin. *n. 8.* Laiman. *n. 5.* & Pirrhing *ad Rubr. de Offic. deleg. n. 12.* dispensationis autem matrimonialis actus nudum ministerium &, propter periculum ex ea minus providè facta malè copulatorum animabus imminens, gravis & personæ industriam exposcens causa non minùs sit, quàm dispensatio super irregularitate; atque idcirco committi soleat cum clausula, *Discretioni tuæ, de qua in his specialem fiduciam obtinebimus &c. mandamus*, de personæ in certa dignitate constitutæ fide speciali confidentiam denotante, ut cum Crescentio *in Rubric. cit. decis. 1. n. 1.* observat Corradus *cap. cit. n. 3.*

142. Septima, *Dummodo propter hoc rapta non fuerit*: cui clausulæ modernis dispensationibus contra veterum morem inserta verba *Propter hoc* denotant raptum ad effectum matrimonium contrahendi; quòd solius libidinis explendæ causâ attentatus fœminæ raptus nuptiale impedimentum non inducat, per tradenda *Lib. 5. tit. 17. n. 12.* Quodsi delegatus repererit, Oratricem matrimonii contrahendi causâ ab Oratore raptam, dispensationis literæ mandari nequeunt executioni: sed Papæ offerendæ erunt novæ preces tali raptu expressô: cujusmodi literarum formam, ad easque rescripti Apostolici tenorem cum insertarum eis clausularum declaratione dabit Corradus *cit. cap. 6. n. 65.*

143. Octava, *Constitutionibus & Ordinationibus Apostolicis cæterisque neguaquam ob-*

quam obſtantibus : quâ clauſulâ diſpenſatio quidem ſuper conſanguinitatis vel affinitatis gradu alióve impedimento expreſſo confirmatur : non tamen inducitur diſpenſatio ſuper ullo gradu alióve impedimento non expreſſo, Felinus *in c. Nonnulli 28. de Reſcript. n.* 21.

144. Neque hanc clauſulam ad valorem diſpenſationis in gradibus, *c. Non debet 8 de Conſang. & Affinit.* prohibitis, inſufficientem inde infertur ; quòd *c. cit.* in Decretales relatum ſit ex Concilio generali Lateranenſi : Generalis autem Concilii Conſtitutioni reſcripti Apoſtolici clauſulâ generali, & ſine expreſſa Concilii mentione non derogetur, *c. Ex parte 3. de Capellis Monach.* Non, inquam, hoc legitimè infertur ; quia clauſulæ illius derogationem, licet, ut verba ſonant, generica ſit, ſuper gradu tamen conſanguinitatis & affinitatis indultæ diſpenſationi appoſita, ſpecificæ & expreſſæ vim obtinet ; quòd ei appoſita clauſula Conſtitutionum derogatoria in ſolo Conciliaris Conſtitutionis *c. cit.* caſu poſſit verificari, *citt.* Sanchez *diſp. 35. n.* 17. & Perez *diſp. 48. ſ. 2. n.* 14. Hâc tamen iſtorum DD. reſponſione expeditior eſt *cit.* Corradi *cap. 7. n. 3.* Conſtitutionem *c. Non debet cit.* Apoſtolicam Innocentii III. non generalis Concilii eſſe, aſſerentis ; quòd ejus *Summario* non præponantur verba *ex Concilio generali*, ſed *Idem in Concilio generali*, cui Innocentius Papa interfuit : poſterioribus autem hujusmodi verbis non Conciliaris, ſed Apoſtolica Conſtitutio denotetur : licet in Concilio & hoc approbante edatur, ut notat Archidiac. *in c. 1. de Conſtit. in 6.* Panormit. *in c. 1. de Pactis n. 1. not. 3.* & Baldus *in l. Humanum 8. C. de LL.* Mihi non incongruè dici poſſe videtur ; quòd à laudatis Papa & Concilio Lateranenſi ſola prohibitionis ad quartum gradum reſtrictio, & huic derogantis Conſuetudinis reprobatio, non ipſa graduum prohibitio originem ducat ; cùm iſta priſcis Canonibus Eccleſiaſticis, eam uſque ad ſeptimum gradum porrigentibus, fuerit introducta vel in Eccleſia recepta, *can. 1. c. Nullum 7. can. Progeniem 16. &c. 35. q. 3. &c.*

Nona, *Ut matrimonium publicè contrahere valeant, diſpenſes :* quâ clauſulâ indicatur, literis Apoſtolicis non gratiam factam ſeu diſpenſationem conſummatam, ſed faciendam duntaxat ſive diſpensandi mandatum contineri ; ut ante delegati actualem diſpenſationem contractum inter Oratores matrimonium irritum ſit, Navarrus *Conſil. 7. de Conſang. in fine* Covarruvias *p. 2. de Sponſal. cap. 6. §. 9. n.* 22. & *cit.* Sanchez *n. 18.* 145.

Decima, *Servatâ formâ Concilii Tridentini*, hoc eſt ; ut matrimonium ab Oratoribus contrahatur coram proprio parocho & duobus vel tribus teſtibus præſentibus, in quo à S. Synodo illa introducta forma ſubſtantialis conſiſtit : &, quæ ad formam accidentalem ab eadem *Seſs. 24. cap. 1. de Reformat. Matrim.* præſcriptam pertinent, præviis denuntiationibus contrahatur. Unde, ſicut teſtium & parochi præſentiam, ſic & hujusmodi denuntiationes remitti ab Epiſcopo non poſſe, exiſtimat Zerola *Prax. Epiſcop. p. 1. V. Matrimonium ;* quòd his quoque remiſſis matrimonium non contrahatur, *Servatâ formâ Concilii Tridentini.* Sed meliùs negant *cit.* Sanchez *n. 19.* & Barboſa *de Offic. Epiſc. alleg. 42. n.* 14. quòd, an denuntiationes remittendæ ſint, Concilium illud relinquat prudentiæ & judicio Ordinariorũ ; átque idcirco, his illas ex juſta cauſa remittentibus, non recedatur à præſcripto ſeu forma Concilii, ſtatuentis ; ut denuntiationes præ- 146.

nes præmittantur, nisi Ordinarius dispenset. Quin matrimonium, denuntiationibus non remissis, & sine justâ causa omissis, coram parocho tamen & testibus contractum validum fore, cum *cit.* Sanchez *n.* 19. rectè docent Perez *cit. s.* 2. *n.* 12. & Corradus *cap.* 7. *n.* 19. quòd, cùm formam Tridentini servandâ, ipso Jure insit, licet non exprimatur, & non aliô modô, quam ineat, literis Apostolicis exprimatur, sicut non expressa, sic & expressa inducat formam solùm accidentalem, cujus non remissæ sine justa causa facta omissio culpam quidem, non etiam matrimonii nullitatem inducit; cùm, quæ Jure insunt, non aliô, quàm insunt, modô expressa neque novam formam inducant neque actum efficiant conditionalem, *arg. l. Cùm quid 3. ff. Si certum petat. & l. Conditiones 99. ff. de Condit. & demonstr.* sed solùm admonitio quædam sint, ut observetur forma Juris communis, Glossa *in Clement.* 1. *de Offic. deleg. V. Repererit. ubi* Imola *n.* 20. *& in c. fin. de Præsumpt.* Panormit. *n.* 10. Felinus *n.* 29. Navarrus *Manual. cap.* 27. *n.* 37. & Covarruvias *in c. Alma p* 1. §. 9. *n.* 8.

147. Undecima, *Prolem suscipiendam exinde legitimam nuntiandô*: quæ clausula licet non adderetur, proles tamè, tanquam suscepta ex matrimonio verè justo, legitima foret; cùm prævia dispensatione super impedimento initum matrimonium in utroque foro esse legitimum, res sit omnino explorata. Si proles suscepta fuisset ante impetratam super impedimento dispensationem, huic insertæ prædictæ clausulæ vi quoad sola spiritualia legitima foret. Si suscepta fuisset ex matrimonio, ante obtentam dispensationem invalidè inito, multùm interest, an matrimonium mala fide aut denuntiationibus sine remissione aliâve justa causa omissis, vel contrahentium utriusque aut alterius saltem fide bona fuerit contractum; posteriori enim hôc casu prolem, dispensatione etiam seclusâ, legitimam esse, liquet ex decisionibus *c. Cùm inter 2. & c. Ex tenore 14. Qui fil. legit.* Priori verò casu ea, ex natalibus suis spuria, propositæ clausulæ dispensationi insertæ vi legitima foret quoad sola spiritualia; nisi Papa in matrimonii nulliter contracti radice, vel cum subditis jurisdictioni ipsius temporali subjectis dispensaret, *cit.* Sanchez *n.* 23. & Filliucius *p.* 2. *Tract. & cap.* 10. *n.* 363. §. *Octava*, ut ad sequentem Rubricam pleniùs tradetur.

Præter relatas aliæ clausulæ aliis dispensationum matrimonialium literis Apostolicis inseruntur, ex quibus notatu digniores, & hôc locô prætermittendæ non sunt.

Duodecima, *Ex certis rationabilibus causis eorum animum moventibus*: cujus clausulæ literis Apostolicis insertæ discussione executori supersedendum, jam monui *n.* 89. non obstante clausula *Te diligenter informes*; quia ista ad impedimentum, super quo dispensatio est impetrata, & ad reliqua in ejusmodi literis specificè narrata referenda est, *cit.* Sanchez *disp.* 35. *n.* 24. & Corradus *Lib.* 7. *cap.* 2. *n.* 114. 148.

Decima tertia, *Quod ipsi honesti, nobiles, sive ex nobili genere procreati, principales loci vel de populi principalioribus sint*: cujusmodi qualitas si non simpliciter mere narrativè & in principio: sed in corpore Supplicationis & ad hanc redditi rescripti Apostolici, tanquam motivum seu causa ad dispensationem concedendam movens, specificè vel genericè allegata sit, exprimitur per verba, *Ut asserunt, Ut asseritis, vel Asserentes se nobiles &c.* & coram executore probanda est, *arg. l. Omnes 2. C. de His, qui ven. stat. cit.* Sanchez

Sanchez *disp.* 35. *n.* 25. & Corradus *cap.* 2. *n.* 118. Dicitur autem honeſtus, qui honeſtè ac decenter vivit, cujúsque familia nullâ turpitudinis notâ ſeu vitiô laborat, Iſidorus *Lib.* 2. *Etymolog.* Nobilis ſimpliciter, qui vivit nobiliter ſive abſtinet ab his, quæ populares ſolent: & exercet ea, quæ pertinent ad nobilitatem. De nobili genere procreatus, cujus majores aut ſaltem parentes nobiles fuerunt. Principalis loci, qui in iſto vel populo authoritate, potentiâ, opibus excellit, *citt.* Sanchez *disp.* 19. *n.* 6. & Corradus *à n.* 18. *cit.*

150. Decimaquarta, *Dummodo ipſi pauperes & miſerabiles exiſtant, & ex ſuis labore & induſtria tantùm vivant:* cujus clauſulæ & diſpenſationis *In forma pauperum* impetratæ, ultra nuptialis impedimenti remotionem, quam *in forma Ordinaria* conceſſa diſpenſatio cauſat, ſpecialis effectus eſt liberatio à ſolutione compoſitionis, ſive certæ quantitatis pecuniæ, in quibusdam impedimentis exhibendæ Officialibus Curiæ Romanæ.

151. Pauperes autem & miſerabiles quinam verè ſint, licet prudenti arbitriô æſtimandum ſit, ab aliquibus tamen dicuntur, qui in bonis 50. aureos non habent, juxta *l. Nonnulli* 10. *ff. de Accuſat.* Tuſchus *Practic. V. Pauper, concluſ.* 160. & Vincent. de Juſtis *Lib.* 1. *cap.* 7. *n.* 71. Ad effectum diſpenſationis *In forma pauperum* impetrandæ tales ſunt & habentur, qui ultra ſuſtentationem ſtatui ſuo convenientem non habent, ex quo compoſitionem ſive Curiæ Romanæ Officialium jura ſolvant. Ab aliis verò ad hunc effectum pauperes cenſentur fœmina, quæ dotem tantam non habet, quanta ad nubendum viro æqualis conditionis extra propriam cognationem vel affinitatem exigi ſolet: vir autem, cujus patrimonii ſubſtantia tanta non eſt; ut æqualis conditionis uxorem, inter quam & ipſum nuptiale impedimentum non intercedat, facilè non reperiat, ut ad mentem Riccii *Prax. aurea Tom.* 1. *deciſ.* 228. *n.* 8. tradunt Hurtadus *de Matrim. disp.* 16. *diff.* 3. *n.* 11. & Gobat *Experient. Tract.* 9. *à n.* 656. *ad n.* 658. *finem* notans, in diœceſi Conſtantienſi ex antiqua conſuetudine ad diſpenſationis in forma pauperum & gratis impetrandæ effectum pauperes haberi omnes, qui agricultură, opificiô vel arte, etiam liberali, ut pictorum & pharmacopolarum etiam eſt, ſe & familiam alunt: ut propterea miſerabiles ſive commiſeratione & pecuniariæ compoſitionis remiſſione digni videantur. Quæ paupertatis & miſerabilitatis declaratio proximè accedit ad propoſitæ clauſulæ tenorem; in ea enim verbis, *Dummodo ipſi pauperes & miſerabiles exiſtant*, in vim explicationis ſubjiciuntur, *Et* vel *Ut ex labore & induſtria ſua tantùm vivant*: &, labore atque induſtria ſecluſis non habeant, unde commodè ſuſtententur. Addit Gobat *661.* pro Heluetiis etiam Nobilibus & Senatoria dignitate claris diſpenſationes matrimoniales in forma pauperum & gratis concedi ex ſpeciali Curiæ Apoſtolicæ favore conſueviſſe.

Ne autem paupertatis falsô prætextu Curiæ Officiales ſportulis ſuis facilè defraudentur, Oratores pro diſpenſatione ſuper impedimento nuptiali in forma pauperum impetranda ſupplicantes ſe pauperes ac miſerabiles eſſe, ut ex labore & induſtria ſua tantùm vivant, proprii parochi atteſtatione & duorum vel trium teſtium fide dignorum coram Epiſcopi Officiale ſeu Vicario generali legitimè examinatorum depoſitionibus ad urbem transmiſſis fidem Curiæ Apoſtolicæ faciendam, ſecundùm *Inſtructionem* ab eadem *Anno* 1658. *& poſtea* 167[illegible]. *die* 6. Octob.

6. Octob. transmissam & formam relatam à Corrado *cit. cap. 5. n. 18.*

ARTICULUS IX.

De Forma & Clausulis Dispensationis Matrimonialis pro foro Interno.

SUMMARIUM.

152. *Hujus literæ expediuntur nomine Majoris Pœnitentiarij.*
153. *Earum forma.*
154. *Et clausula I. continens personæ delegatæ qualitates.*
155. *II.* Nobis oblata petitio continebat.
156. *III.* Committimus, quatenus si ita est.
157. *IV.* Auditâ priùs Sacramentali Confessione.
158. *V.* Sublatâ occasione amplius peccandi &c.
159. *VI.* A quibuslibet censuris, quas propter præmissa incurrit, absolvas.
160. *VII.* Injunctâ pro tam gravi excessu pœnitentiâ salutari.
161. *VIII.* Et aliis, quæ de jure injungenda fuerint.
162. *IX.* Aliúdque Canonicum non obstet.
163. *X.* Muliere de nullitate prioris consensûs certiorata.
164. *XI.* Ut matrimonium secretè contrahere valeant.
165. *XII.* Prolem susceptam & suscipiendam legitimam decernendô,
166. In foro Conscientiæ tantùm.
167. *XIII.* Præsentibus laceratis vel laniatis.
168. *XIV.* Gratis ubique.

151. Dispensationes, quæ super impedimentis conjugiorum occultis pro foro Conscientiæ interno à S. Pœnitentiaria impetrantur, non, ut quæ à Dataria seu Cancellaria Apostolica obtinentur, ipsius Summi Pontificis, sed majoris ejus Pœnitentiarii, qui S. R. E. Cardinalis est, nomine expediuntur, & hodie non iisdem, quibus olim, clausulis committi solent, ut ex recentioribus, quas exempli & declarationis gratiâ subjicio, literis cum antiquarum, quas Sanchez *Lib. 8. de Matrim. disp. 34. n. 1.* refert, tenore collatis patet, & ostendit Gobat *Quinarij Tractatu 5. à n. 142.* Recentiores ergo ac modernæ sacræ Pœnitentiariæ literæ, Supplicationi, *supra n. 128.* propositæ respondentes, ita habent.

152. *Leander miseratione divina Tituli S. Mariæ Angelorum S. R. E. Cardinalis, Discreto viro Confessori, Magistro in Theologia vel Decretorum Doctori ex approbatis ab Ordinario per latorem præsentium ad infra scripta specialiter eligendo, salutem in Domino. Ex parte viri latoris præsentium Nobis oblata petitio continebat, quòd ipse aliàs matrimonium publicè in facie Ecclesiæ contraxit & successivè consummavit cum muliere, cujus matrem antea carnaliter cognoverat. Cùm autem, sicut eadem petitio subjungebat, dictus lator ob impedimentum ex præmissis proveniens, quod occultum est, in dicto matrimonio remanere nequeat absque sedis Apostolicæ dispensatione, ad evitanda scandala, quæ si divortium fieret inter se & dictam mulierem exorirentur, ac pro suæ Conscientiæ quiete cupit à præmissis, de quibus plurimùm dolet, absolvi secumque de-*

que deſuper diſpenſari. Quare ſupplicavit humiliter, ut ſibi ſuper his de opportuno remedio provideri dignaremur. Nos igitur, qui Pœnitentiariæ Domini P.P. curam gerimus, hujusmodi ſupplicationibus inclinati Authoritate Apoſtolica ſpecialiter Nobis conceſſa diſcretioni tuæ committimus, quatenus, ſi eſt ita, dictum latorem auditâ priùs ejus Sacramentali Confeſſione, ac ſublatâ occaſione amplius peccandi cum dicta mulieris matre, à quibusvis ſententiis, cenſuris & pœnis Eccleſiaſticis, quas propter præmiſſa quomodolibet incurrit, inceſtu & exceſſibus hujusmodi abſolvas hâc vice in forma Eccleſiæ conſueta, injunctâ ei pro tam enormi libidinis exceſſu gravi pœnitentiâ ſalutari & confeſſione Sacramentali ſemel quolibet menſe per tempus arbitrio tuo ſtatuendum & aliis injunctis, quæ de Jure fuerint injungenda, Demum dummodo impedimentum præfatum occultum ſit, & ſeparatio inter latorem & dictam mulierem fieri non poſſit absque ſcandalo & ex cohabitatione de incontinentia probabiliter timendum ſit, aliúdque canonicum non obſtet, cum eodem latore, ut, dicta muliere de nullitate prioris conſensûs certiorata, ſed ita cautè, ut latoris delictum nusquam detegatur, matrimonium cum eadem muliere & uterque inter ſe de novo, ſecretè ad evitanda ſcandala, præmiſſis non obſtantibus, contrahere, & in eo poſtmodum remanere licitè valeat miſericorditer diſpenſes. Prolem ſuſceptam, ſi qua ſit, & ſuſcipiendam exinde legitimam decernendo in foro conſcientiæ & in ipso actu Sacramentalis confeſſionis tantùm, & non aliter nec ullô aliô modô; Ita quòd hujusmodi abſolutio & diſpenſatio in foro judiciario nullatenus ſuffragetur, nullis ſuper his teſtibus adhibitis ſeu literis datis ſeu proceſſibus confectis, ſed præſentibus lacratis, quas ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ lacerare tenearis ita, ut nullum illarum exemplar extet, neque eas latori reſtituas. Quod ſi reſtitueris nihil eis præſentes literæ ſuffragentur. Datum Romæ.

Harum itaque ſacræ Pœnitentiariæ literarum diſpenſationis ſuper impedimento affinitatis, ex copula fornicaria provenientis, commiſſionem continentium

Clauſula prima, *Diſcreto viro &c.* continet qualitates perſonæ delegatæ ſive illarum executoris: qui eſſe debet Magiſter in Theologia vel Decretorum ſive Juris Canonici Doctor, juxta dicta *Lib. 1. tit. 3. à n. 159.* Secundò, pro excipiendis pœnitentium confeſſionibus ab Ordinario diœceſano approbatus, & Tertiò ab Oratore ſive eo, qui literas diſpenſationis impetrat, ad earum executionem ſive diſpenſationis actum ſpecialiter electus. Qui ſi literas exequi ex quacunque cauſa renuat, vel ob nimium in literarum interpretatione rigorem diſpliceat, eô relictô alium pro executione adiri ab Oratore poſſe, cum *cit.* Sanchez *diſp. 27. n. 40.* hac in re notabile diſcrimen inter utriusque fori executores ſtatuente, docent Diana *p. 8. tract. 3. reſol. 104.* & Perez *diſp. 48. de Matrim. ſ. 5. n. 7.* quod in Confeſſoris electione variatio Oratori in diſpenſationis literis non prohibeatur, & pœnitenti in aliis confeſſionibus permittatur. 154.

Quantumvis autem Privilegiô Apoſtolicô, quô Societatem JESU munitam *cit. tit. 3. n. 159.* dictum eſt, & ſpeciali commiſſione ſecluſis, dictarum qualitatum aliquâ carentis executio ex eáque ſecutæ nuptiæ ipsô jure invalidæ ſint: & propterea, cùm vg. gradu Doctoreo inſignis commodè haberi nequit, vel Orator erga perſonam eô carentem ex ſpeciali ratione magis afficitur, ut tali commiſſio fiat, in Supplicatione ad ſacram Pœnitentiariam

tiariam, directa peti, necesse sit, executionis tamen & hanc secutarum nuptiarum valori non officit personæ prædictis qualitatibus præditæ ruditas: dummodo literarum tenorem in executione observet, Perez *s. cit. n. 6.*

155. Secundâ clausulâ, *Nobis oblata petitio continebat &c.* continentur causæ dispensationis, scilicet impedimentum affinitatis ex copula fornicaria provenientis, quæ an contracta, & copula, sicut ad contrahendam affinitatem requiritur, perfecta præcesserit, explorare executor debet; quòd, si talis non præcesserit, impedimentum eâ non sit inductum, neque opus ulla dispensatione, *cit.* Gobat *n. 168.*

156. Tertia, *Discretioni tuæ committimus, quatenus si ita est*, hoc est, si matrimonium in facie Ecclesiæ contractum, si impedimentum ut præfertur occultum, si scandalum ex separatione secuturum timeatur, Oratore super iis examinato, executor repererit, *citt.* Sanchez *disp. 34. n. 20.* & Gobat *n. 168.*

157. Quarta, *Auditâ priùs ejus Sacramentali confessione*; licet enim ista olim ad dispensationis valorem necessaria non fuerit, ex mente *citt.* Sanchez *n. 29.* Perez *s. 5. n. 13.* & Gobat *n. 176.* relatarum tamen aliarúmque literarum modernarum vigore eam prætermitti non posse, si non liqueret ex proposita clausula, indubitatum esset ex Verbis, *Prolem legitimam decernendô in foro conscientiæ & in ipso actu Sacramentalis confessionis tantùm, & non aliter nec ullô aliô modô.*

158. Quinta, *Sublatâ occasione amplius peccandi cum dictæ mulieris matre*: qualis occasio censeretur habitatio in iisdem ædibus cum viro: non quidem, si mater putativô matrimoniô inter virum & ipsius filiam constante à carnali cum illo commercio omníque alia turpitudine abstinuisset: sed, si cum illo filiæ jám copulato turpes actus exercere non destitisset; hôc enim casu ante factam matris separationem, itáque sublatam peccandi occasionem, ad matrimonium cum filia contrahendum, vel quod ante contractũ fuit, ratificandum, dispensationem executori non permissam, imò invalidam fore, censet *cit.* Gobat *n. 190.* quod occasionem peccandi moralem & proximam, ut tali casu cohabitatio est, non deserens, sicut ad Sacramentalem absolutionem ritè suscipiendam indispositus, sic indignus sit, quocum ad contrahendum vel ratificandum matrimonium dispensetur.

Sexta, *A quibusvis sententijs, censuris ac pœnis Ecclesiasticis, quas propter præmissa*, incestum vel incestuosas nuptias, *quomodolibet sive à jure sive ab homine latas incurrit, absolvas hâc vice*, id est, eâ vice ac tempore, quô super impedimento cum eo dispensabis, *in forma Ecclesiæ consueta*, eâ scilicet, quâ Ecclesia in absolutione sive à censuris sive à peccatis uti consuevit, Bonacina *disp. 1. de LL. q. & p. 2. n. 19.* & *cit.* Gobat *n. 207.* 159

Septima, *Injunctâ pro tam enormi libidinis excessu gravi pœnitentiâ salutari*, confessione scilicet Sacramentali menstrua, orationibus, eleemosynis, jejuniis aliísque corporis afflictationibus & spiritualibus operibus: non quidem, si excessum illum per confessionem jam expiârit, sed, si eum confessus & Sacramentaliter absolutus non fuit, *cit.* Gobat. *n. 208.* qui tamen & rectè, hôc etiam casu pœnitentiam minui posse, censet, si excessus ille semel duntaxat aut rarò commissus, eúmve pœnitens cum magna contritione confessus, aut gravis pœnitentiæ operibus peragendis suâ sponte deditus esset, aut Jubilæi vel plenariarum Indulgentiarum aliarum tempus illius mitigationem suaderent; quòd ex quacunque hu-

que hujusmodi cauſa pœnitentiam minuere Eccleſia ipſa ſolita ſit.

161. Octava, *Et alijs injunctis, quæ de jure fuerint injungenda:* quâ clauſulâ denotantur ea, quæ præter ſalutarem pœnitentiam ab Oratore præſtanda & aliô titulô debita ſunt: ut reſtitutio bonorum injuſtè detentorum, ſatisfactio pro injuria, honoris aut famæ læſione illata &c. quorum tamen injunctio, licet ab executore nequaquam prætermittenda ſit, omiſſa tamen non inducit nullitatem diſpenſationis; quòd ſit res ab iſta & impedimento nuptiali omnino diverſa & independens, *cit.* Gobat *n.* 228.

162. Nona, *Aliúdve Canonicum non obſtet;* quia diſpenſatio reſpondet precibus, & illud ſolummodo impedimentum, ſuper quo petita eſt, tollit, *arg. c. Inter dilectos 6. §. Caterùm, de Fide Inſtrum.* ac proinde, impetrata ſuper affinitate, cognationis naturalis vel ſpiritualis, criminis, voti impedimenta non afficit, & horum aliquô ligato ad matrimonium contrahendum non proficit: niſi ſuper tali etiam impedimento petita ſit & impetrata, *cit.* Gobat *n.* 238.

163. Decima, *Dicta muliere de nullitate prioris conſenſûs certiorata, ſed ita cautè, ut latoris delictum nusquam detegatur:* de cujus certiorationis neceſſitate modóque *à n.* 180. pleniùs agetur.

164. Undecima, *Ut matrimonium cum dicta muliere ſecretè,* hoc eſt, ſine parocho & teſtibus contrahere valeat. Qua de re actum eſt *Tit. 3. à n.* 33.

165. Duodecima, *Prolem ſuſceptam, ſi qua ſit, & ſuſcipiendam exinde legitimam decernendô in foro Conſcientiæ tantùm:* cujus clauſulæ vis varia eſt pro caſuum varietate. Et primò quidem, ſi ex matrimonio putativo, prævijs denuntiationibus in Eccleſiæ facie contracto, ſive ante ſive poſt diſpenſationem ſuper impedimento, à viro vg. obtentâ, ſuſceptæ prolis mater impedimentum ignoravit, bonam matris fidem proli quoad natalium juſtitiam in utroque foro ſuffragari, liquet ex *c. Cùm inter 2. & c. Ex tenore 14. Qui fil. legitimi* & *ad hanc Rubricam* tradendis Secundò, ſi proles ex matrimonio, invalidè & contrahentium utriusque impedimenti notitiam habentis mala fide inito, ſuſcepta ſit, vi propoſitæ clauſulæ diſpenſationi inſertæ proles quoad ſola ſpiritualia & in ſolo conſcientiæ foro legitima evadit; quòd, cùm à S. Pœnitentiaria pro foro interno ſuper occultis 166. impedimentis conceſſæ diſpenſationes non ſint in matrimonii nulliter contracti radice, ut *cit.* Sanchez *diſp. 7. n. 23.* oſtendit, ſola ſpiritualia afficiant, & afficere extra temporale territorium Papæ poſſint, per tradenda *ad Rubr.* ſequentem. Tertiò, ſi proles ante hujusmodi parentum matrimonium ſuſcepta ſit, vi diſpenſationis ſuper impedimento cum prædicta clauſula conceſſæ & ſecuto matrimonio, quoad ſola ſpiritualia & in ſolo Conſcientiæ foro legitima erit; quòd, cùm tali caſu nullum matrimonium præceſſerit, diſpenſatio nec ſit nec eſſe valeat in radice: &, ut dictum, Papa extra territorium ſuum temporale quoad ſola ſpiritualia valeat legitimare. *Matrimoniô,* inquam, *ſecutô;* cùm enim tali caſu proles legitimetur in favorem matrimonii, & acceſſoriè ad hoc ſecuturum, ab iſto pendet; ut, nuptiis ex quacunque cauſa non ſecutis, antè ſuſceptæ prolis legitimatio impediatur, *cit.* Sanchez *n.* 15. & Perez *Diſp. 48. de Matrim. ſ. 6. n.* 11. Quartò, ſi proles ſuſcepta aut ſaltem nata ſit poſt matrimonium, diſpenſationis vigore jam contractum, quoad ſpiritualia ſimul & temporalia & in foro tantùm conſcientiæ legitima erit: etiamſi legitimationis prolis ſuſcipiendæ mentio facta non ſit in

literis dispensationis. Ratio perspicua est; quòd ex matrimonio in eo foro verè legitimo sit procreata, *citt.* Sanchez *disp. 34. n. 47.* & Perez *s. 6. n. 10.*

Quare si impedimentum, super quo dispensatio à sacra Pœnitentiaria commissa, & à commissario expedita est, occultum esse desineret, & quomodocunque publicum evaderet, ad evitandum scandalum, si quod ex conjugio, ejusmodi dispensationis vigore contracto, oriretur, conjugium declarari nullum, & qui eô copulati & in foro Conscientiæ veri conjuges sunt, à cohabitatione separari authoritate ordinariâ possent ac deberent: donec dispensatione à Dataria impetratâ legitimi conjuges evadant in foro externo. Ratio est; quòd in externo sive judiciario foro à S. Pœnitentiaria antè impetrata dispensatio contrahentibus eorúmque prolibus nullatenus suffragetur, ut cum Navarro *Consil. 2 de Judiciis* observat laudatus Sanchez *Lib. 3. disp. 15. n. 15. & 17.*

167. Decima tertia, *Sed præsentibus* dispensationis literis *laceratis* vel *laniatis*; neque enim solùm ulli testes non adhibendi, factæq; dispensationis non danda attestatio, & non restituendæ Oratori literæ: sed hæ lacerandæ, comburendæ, scindendæ vel remotione sigilli, liturâ, cancellatione alióve quovis modô corrumpendæ sunt; ut ulli usui præsertim in foro externo esse non possint. Quodsi literas Oratori restitueret, huic in foro externo nihil prodesset: &, si executor eas dictô modô non laniatas vel corruptas, sed integras adservaret, graviter peccaret & latæ sententiæ incurreret excommunicationem, *citt.* Sanchez *disp. 34. n. 40.* & Gobat *n. 275.* postquam *n. 267.* cum Filliucio *Tract. 10. p. 2. cap. 10. n. 357.* adnotâsset, literas illas ita laniatas ad usum aliquem materialem penes se retinere executorem non prohiberi.

Decima quarta, *Gratis ubique*; vi 168.
cujus literarum tergo appositæ clausulæ sacræ Pœnitentiariæ Officiales & delegati sive illarum executores quidquam in laboris compensationem & signum etiam gratitudinis exigere & sponte oblatum admittere prohibentur, *citt.* Sanchez *n. 64.* & Gobat *n. 280.*

ARTICULUS X.

De Matrimonii invalidè contracti Ratificatione.

SUMMARIUM.

169. *Causa Nullitatis matrimonij:*
170. *Quod ratificandum est consensu novo,*
171. *Eóque non merè interno:*
172. *Sed externo,*
173. *Saltem unius, si nullitatis causa ejus impedimentum:*
174. *Imò utriusque conjugis existimati,*
175. *Sententia DD. tali casu non exigentium nullitatis scientiam:*
176. *Et hanc requirentium,*
177. *Séque fundantium in praxi Ecclesiæ,*
178. *Et ratione.*
179. *Conjugium non ratificatur solo usu.*
180. *Nullitatis causæ notitia necessaria non est.*
181. *Matrimonium fictum &c. unius consensu ratificari, quidam volunt:*
182. *Et moventur ratione,*
183. *Paritate cum professione Religiosa,*
184. *Et decisionibus Juris.*
185. *Utriusque consensum & nullitatis scientiam exigunt alij,*

186. *Sua-*

186. *Suadéntque Clementis VIII. Reſponſò,*
187. *Ratione ſatis efficaci,*
188. *Et congrua explicatione Jurium, in contrarium allegatorum.*
189. *Autoris de matrimonij ratificatione ſenſus,*
190. *Et de oppoſita ſententia judicium.*
191. *Praxis.*
192. *Et ſalubre conſilium P. Gobat.*

169. MAtrimonium invalidum nullúmque eſſe poteſt, vel; quòd perſonæ propter intercedens inter ipſas impedimentum dirimens, ad id contrahendum fuerint inhabiles: vel propter defectum conſenſûs, in utroque vel altero tantùm; quòd ejus in matrimonium conſenſus ſimulatus fictúsque, vel præſtitus errore circa ſubſtantiam ſive individuum perſonæ, aut ejus conditionem: vel demum vi metúve injuſto, & ad conjugium extorquendum aut etiam alio fine incuſſo, fuerit extortus.

170. Ex utravis harum cauſarûm matrimonij nullitas proveniat, ad ejus ratificationem revalidationémque contrahentium ſaltem unius, ejus ſcilicet, qui impedimenti præexiſtentis & per diſpenſationem jam ſublati notitiam habet: vel, cujus prior conſenſus legitimus non fuit, novo conſenſu opus eſſe, hodie facilè conſentiunt plerique alicujus nominis Doctores.

171. An autem ſufficiat hujusmodi conſenſus novus merè internus, dubitandi ratio eſt; quòd ad matrimonii ſubſtantiam is ſolus pertinere videatur, ex reſcripto Innocentii III. *c. Tua 25. de Sponſal. & Matr.* ubi ſummus hic Pontifex diſertè, *Matrimonium*, inquit, *in veritate contrahitur per legitimum viri & mulieris conſenſum: ſed neceſſaria ſunt (quantum ad Eccleſiam) verba, conſenſum exprimentia de præſenti.* Cui deciſioni vel maximè locus eſt in matrimonio nullo ſolummodo propter defectum veri conſenſûs; cùm enim iſtius nullitas, non ex verborum aliorúmve ſignorum externorum, ſed ex interni duntaxat conſenſûs defectu oriatur, iſtô absque ullo ſigno externo in animo renovatô, non deſiderari videtur aliquid ad matrimonium conſtituendum requiſitum.

Sed hoc levius eſt, quàm ut externi 172.
conſenſûs, ſicut ad matrimonialis contractûs, ſic etiam ad ejus invalidè celebrati revalidationis ſubſtantiam pertinere, dubium reddere queat, cùm; quia *c. cit.* ſolummodo deciditur, certa & formalia verba neceſſaria eſſe ad matrimonii initi faciliorem probationem: & non, ſicut ad cæterorum Sacramentorum, ſic etiam ad matrimonii ſubſtantiam pertinere; cùm conſenſus quibuscunque verbis: imò non verbis tantùm formalibus, ſed & virtualibus per ſcripturam, nutus aliáque ſigna aut facta externa exprimi ſufficienter poſſit: imò ita neceſſariò exprimi debeat à mutis, *c. cit. V. Nam & muti*: tum verò; quia poſtea ſecutus conſenſus internus non manifeſtatur per verba aliáve ſigna externa, priùs poſita, & falſò exprimentia conſenſum internum, eliciendum tempore matrimonii invalidè contracti; ac proinde hæc illum non reddunt matrimonialem.

Cæterùm, legitimum conſenſum matrimonialem exteriùs exprimendum, cum D. Thoma *in 4. diſt. 40. art. 4.* Scoto *in 4. diſt. 33. q. unica*, Sylveſtro *V. Matrimonium 8. q. 2. d. 6.* & Navarro *Manual. cap. 22. n. 47. & 80.* magno conſenſu defendunt præcipui nominis TT. ac JCT. i & ſatis clarè tradit Alexander III. *c. Licet 3. de Sponſa duor.* ubi eô matrimonium induci aſſerit, *Si unus alterum in ſuo mu-*

tuo consensu verbis consuetis expresse recipiat, utroque dicente, Ego accipio te in meam, & Ego accipio te in meum, & disertissimè S. Augustinus, sub eadem Rubrica relatus *c. 1.* in cujus fine, *Fidem consensûs conjugalis esse,* ait, *quando corde & ore consentit ducere, & mutuò se concedunt unus alij & mutuò se suscipiunt.* Ratio est; quia matrimonium est contractus humanus, qui solâ mente celebrari non potest, sed necessariò exigit signum externum, quô se mutuò tradentium & recipientium consensus manifestentur: ejúsque contractus inter Fideles celebratus, à Christo Domino elevatus est ad dignitatem Sacramenti, attestantibus S. Paulo ad Ephes. *cap. 5. v. 32.* S. Augustino *de Bono Conjug. cap. 4.* Innocent. III. *c. Debitum 5. de Bigamis,* & demum S. Synodô Tridentinâ *Sess. 24. can. 1. de Sacram. Matrim.* id definiente: Sacramentum autem, signum sensibile gratiæ sanctificantis esse, dicitur cum Magistro Sent. *in 4. dist. 1.* & S. Thoma *3. p. q. 6. art. 2. & 3.*

173. Dubium magìs arduum &, sicut momenti maximi, sic resolutionis difficillimæ controversia est, an consensu etiam externo facienda conjugii ratificatio revalidatióque exigat novum consensum utriusque: vel sufficiat hunc renovari ab eo solo, qui impedimenti præexistentis & per dispensationem sublati notitiam habet, vel cujus consensus prior legitimus non fuit.

Et ex priori quidem causa, sive ex occulto impedimento dirimente, si matrimonii nullitas proveniat, illô per dispensationem sublatô, ejus duntaxat, qui illius notitiam habet, consensum sufficere, aliqui sustinent, à Sanchez *Lib. 2. de Matrim. disp. 25. n. 1.* suppressis nominibus relati, & pro se allegantes textus Juris utriusque. Imperialis quidem; quòd istô ejusmodi conjugia, sublatô impedimentô, solâ alterius in pristino consensu perseverantiâ convalescant, *l. Si quis 27. & l. Eos qui 65. ff. de Ritu Nupt.* cujus §. 1. Pauli JCT. sententia est, *Post depositum Officium,* istiúsque depositione sublatum impedimentum, *si in eadem voluntate perseverat, justas nuptias efficit.* Ecclesiastici verò *c. Proposuit 2. & c. fin. de Conjug. servor.* ex quorum textuum dispositione, cum ancillâ ignoranter initum conjugium ratificatur, quando ingenuus, servili illius conditione cognitâ, verbô aut factô, puta ad eam affectu conjugali accedendô, consenserit. Id ipsum suadent ratione; quia primus in matrimonium consensus fuit conjugalis; cùm eô contrahentium uterque alteri se tradiderit & vicissim alterum acceperit in suum vel suam, juxta *c. Si inter 31. de Sponsal. & Matr. & c. 1. de Sponsa duor.* & moraliter perseverat, donec revocetur, *arg. c. fin. de Procurat. in 6. & l. 1. §. 1. ff. de V. O.* ac proinde, cum impedimentô per viam dispensationis sublatô, uterque habilis sit, matrimonium priùs initum convalescit: dummodo consensum renovet is, qui conscius est impedimenti: &, qui hoc ignorat, priùs præstitum consensum non revocârit.

Sed ratio ista, si aliquid, nimium probat; quia eô casu, quô primò præstitus consensus revocatus non est, matrimonium, sicut sine ignorantis, sic etiam sine ejus, cui impedimentum detectum est, novo consensu convalescere evincit; cùm eô ipsô; quòd primus consensus conjugalis, & non revocatus sit, sicut in uno, sic & in altero perseveret; ac proinde ipsius in habile, sive sublati impedimenti tempus perseverantiâ conjugium, quod à principio nullum fuit, ratificari & convalescere sit necesse.

Quare meritò ad conjugii revalida- 174.
tionem

tionem novum utriusque conſenſum, cum D. Thoma *in 4. diſt. 40. q. unica, art. 4.* Innocentio *in c. 1. de Eo, qui duxit in matrim. &c. n. 1.* Alex de Nevo *in c. cit. n. 15.* exigunt Sylveſter *V. Matrimonium 6. q. 5. d. 2.* Navarrus *Manual. cap. 22. n. 47. & 80.* Covarruv. *p. 2. de Sponſal. cap. 4. pr. n. 5.* Guttierez *de Matrim. cap. 47. n. 5. cit.* Sanchez *Lib. 2. diſp. 35. n. 2.* eósque paſſim ſecuti RR. Rationem hi DD. reddunt; quòd contrahentium utriusque conſenſus primus, tanquam mutua traditio & acceptatio perſonæ de Jure inhabilis, ipso Jure fuerit nullus, & non verè conjugalis: & propterea conjugalis conſenſus moraliter perſeverare dici non poſſit; cùm perſeverantia exiſtentiam ſupponat; eámque ob cauſam, ut matrimonium inducatur, conſenſus conjugalis neceſſariò renovandus ſit à contrahentium utroque. Unde corruit in contrarium allata ratio.

Non magis urgent Textus. Juris quidem Civilis; quia *ll. citt.* à laudatis Covarruvia & Sanchez *n. 5.* explicantur de perſeverantia in eadem voluntate, per ſupervenientem copulam affectu conjugali habitam aut alia ſigna externa, denuo expreſſa. Canonici autem; quia detectâ & ſublatâ alterius conditione ſervili, ut matrimonium inducatur, conſenſum utriusque verbô aut factô renovandum, volunt idem Sanchez *diſp. 36. n. 10.* & Pontius *Lib. 4. de Matrim. cap. 24. n. 1.*

175. An autem, ut iſtâ mutui conſenſûs renovatione matrimonium revalidetur, neceſſarium ſit, ut priùs initi nullitas utrique innoteſcat, maxima inter *citt.* aliósque DD. diſſenſioeſt; hoc enim minimè neceſſarium: ſed ſufficere, quòd impedimenti per diſpenſationem ſublati conſcius ab altero, id ignorante, petat; ut ſe in conjugem de novo recipiat, & annuentem viciſſim ipſe in conjugem recipiat: séque ita ſibi mutuò tradant, cum Innocent. *cit. n. 1.* & nonnullis aliis eum ſecutis, voluerunt Sotus *in 4. diſt. 28. q. 1. art. 2. concl. 3. & diſt. 29. q. 2. art. 1.* Rodriquez *Tom. 1. Summæ cap. 220. n. 2.* & Henriquez *Lib. 11. cap. 3. n. 6.* Ratio, quâ moventur, præcipua eſt; quòd ſublatô impedimentô ſint perſonæ habiles ad matrimonium contrahendum; ac proinde ejusmodi mutuô conſenſu de præſenti poſitô verè conjuges evadant: ſicut, ſi ejusmodi impedimentô, alteri poſt ſponſalia de futuro inita detectô & per diſpenſationem ſublatô, ita conſentiant. Quô poſteriori modô: imò etiam (ante Tridentinum, & hodie in locis, in quibus iſtius S. Synodi decreta Reformatoria non publicata, aut uſu recepta non ſunt) ſubſecutâ copulâ carnali, veri conjuges fiunt, pertext. *c. Veniens 15. & c. Is qui fidem 30. de Sponſal. & Matrim.* quòd ex hujusmodi copula, inter perſonas ad matrimonium habiles & ſponſalibus jam obligatas ſubſecutâ, conſenſus conjugalis præſumatur.

Oppoſitam huic ſententiam defendunt: &, ut conſenſûs renovatione matrimonium convaleſcat, priùs, initi nullitatem (non etiam iſtius cauſam) utrique aperiendam, cum Sylveſtro *V. Matrimonium 8. q. 2. d. 2.* Navarro *cap. cit. n. 33.* Abulenſi *in Lib. 1. Reg. 8. q. 36.* & aliis præcipui nominis DD. in ſuis *Tract. de Matrimonio* docent Guttierez *cap. 47. à n. 4.* Sanchez *diſp. 36. n. 3.* Pontius *cit. Lib. 4. cap. 25. à n. 4.* Coninck *diſp. 24. dub. 10. n. 90.* Tamburinus *Lib. 9. Tract. 4. cap. 7. § 2. n. 3. & 6.* Hurtad. *diſp. 3. difficult. 10. à n. 37.* & Palao *Tract. 28. diſp. 2. p. 7. § 2. n. 3.* 176.

Quibus favet imprimis diploma Crucia- 177.
tæ, quô iſtius Commiſſario generali cum

iis, qui ignoranter in gradu prohibito contraxerunt, dispensandi facultas conceditur & præscribitur; ut hoc fiat *Alterô*, scilicet impedimentum ignorante, *priùs de nullitate prioris consensûs certificatô*. Deinde praxis dispensationum, quæ in hujusmodi casibus à S. Pœnitentiaria hâc formâ concedi solent, *Ut, si visum fuerit, cum latore, ut muliere de nullitate prioris consensûs certioratâ, sed ita cautè, ut latoris delictum nusquam detegatur, matrimonium cum eadem & uterque inter se de novo secretè contrahere valeant, misericorditer dispensetur*, ut patet ex hujusmodi dispensationis formâ relatâ à Gobat *Quinarii Tract. 5. cap. 37. n. 141.* M. Paulo Leone *in Praxi literar. Pœnit. p. 2. cap. 4. pr.* & supra *n. 153.* Demum responsum Clementis VIII. ad matrimonii, propter defectum consensûs ex parte mulieris (ac proinde etiam propter latens impedimentum) invalidè contracti, ratificationem disertè asserentis, esse necessarium novum consensum utriusque, admonitô maritô de matrimonii (quam ignorat) nullitate, ut ex Comitolo *Responsa Moral. Lib. 1. q. 120.* refert *cit.* Pontius *cap. 24. n. 4.*

178. Ratione idipsum suadent; quia renovatio consensûs, ut matrimonium inducat, procedere necessariò debet ex intentione efficiendi matrimonium: matrimonium autem, quod iniit, validum esse existimantis, & de ejus nullitate non ambigentis consensus ex tali intentione non procedit; cùm, hôc ipsô, quòd id antè legitimè contractum credat: & propterea in novum ejus contractum verè non consentiat: sed novo suo consensu solummodo ratificare intendat matrimonium priùs initum: quôd, cùm nullum sit, ejusmodi consensu ratificari & revalidari non potest. Quam rationem confirmant primò; quia *Nihil volitum, nisi præcognitum.* Cùm ergo matrimonialis contractûs possibilitas ab hujusmodi conjuge putatitio, priùs initi nullitatem omnino ignorante, non cognoscatur, id contrahendi voluntatem non habet: sed solummodo ratificandi & perseverandi in eo, quod priùs initum: &, quia nullum fuit, sui ratificatione convalescere non potest; quia *Actus agentium ultra eorum intentionem non operantur, l. Non omnis 19. pr. ff. Si certum pet.* Confirmant eandem secundò; quia consensui contrarium nihil magis est, quàm error, *l. Si per errorem 15. ff. de Jurisdict. & l. Nihil 116. pr. ff. de R. I.* qui autem novo consensu ratificat matrimonium, quod credit esse validum, in personam consentit ex errore; quòd eam putet esse suam: & priùs initi duntaxat approbationem, non novum matrimonii contractum, sibi possibilem credit; ac proinde in novum matrimonium verè non consentit.

179 Neque conjugii inducendi vi majore hi DD. pollere volunt ejusmodi novo consensui supervenientem copulam carnalem; quia ex parte ejus, qui matrimonii nullitatem omnino ignorat, etiam ipsa procedit ex errore, quem habet de valore priùs initi, & ex intentione eô utendi potiùs, quàm ineundi novum; cujus contractum jam sibi impossibilem credit. Alia ratio & vis est copulæ, de futuro initis sponsalibus, sublatô per dispensationem obstaculô, supervenientis; cùm enim, hôc ipsô, quòd prævia dispensatione personæ ad matrimonium habiles redditæ sint, istius contractus ipsis fit possibilis, si in se mutuò de præsenti verbis, aut etiam factô, sive affectu conjugali se carnaliter cognoscendô (ubi S. Synodi Tridentinæ decreta Reformatoria publicata aut recepta non sunt) consentiunt, matrimonium, quod sibi possi-

ſibi poſſibile credunt, validè contrahent, & veri conjuges evadent: etſi tales non evadant, quorum alter matrimonium, cujus priùs initi nullitatem, & nunc contrahendi poſſibilitatem nullô modô cognoſcit, novo conſenſu, verbô aut factô expreſſô, ratum habet.

180. Etſi verò, hæc ita ſe habere, *citt.* DD. velint, neceſſarium tamen & conſultum etiam non eſſe, monent; ut conjugi exiſtimato & nullitatis ignaro ipſa iſtius cauſa ſive impedimentum, præſertim ex crimine ortum, manifeſtetur: ſed ſatis eſſe, ſi is certior fiat de nullitate, juxta relatam formam S. Pœnitentiariæ, *Sed ita cautè, ut latoris delictum nuſquam detegatur:* imò impedimenti conſcium dicere ignoranti poſſe, ſe non habuiſſe verum conſenſum tempore celebrationis; cùm is, quem matrimonii contracti tempore habuit, fuerit nullus: nullum autem & non eſſe, ſive nulliter factum & non factum, paria cenſeantur, *l. Quotiens 6. ff. Qui ſatisdare cog.* Sanchez *cit. diſp. 36. n. 7.* & Cardenas *Criſis Theolog. diſſert. 2. cap. 8. art. 13. q. 3. n. 676.*

181. Ex poſteriori etiam cauſa, ſive ex defectu conſenſûs, in altero ſolum ficti, erronei vel coacti, ſi matrimonii nullitas orta ſit, ad ejus revalidationem minimè neceſſarium eſſe novum conſenſum utriusque: ſed ejus duntaxat, qui priùs legitimè non conſenſit, novum conſenſum ſufficere, *in c. Dilectus 24. de Sponſ. & Matr.* docent Hoſtienſis *V. Contrario*, Joan. Andr. *n. 7.* Alex. de Nevo *n. 18.* & ex aliis DD. defendunt Sylveſter *V. Matrimonium 8. q. 2. d. 6. & q. 11. d. 4.* Navarrus *Manual. cap. 22. n. 51. & 80.* Sanchez *cit. Lib. 2. diſp. 32. n. 9.* Coninck *Diſp. 24. dub. 10. n. 54. & 90.* Laiman. *Lib. 5. Tract. 10. p. 2. cap. 6. n. 1.* Boſſius *de Matrim. cap. 2. n. 38.* & Tamburinus *Lib. 8. Tract. 4. cap. 7. §. 1. n. 5. & 9.* Ratio, quâ nituntur, præcipua eſt; quòd ex una, licet matrimonialis contractus celebretur mutuo conſenſu utriusque, *l. Nuptias 30. ff. de R. I. & can. Sufficiat 27. q. 2.* ad eum tamen non neceſſariò exigatur actualis, ſed ſufficiat moralis coëxiſtentia conſenſûs utriusque: ex altera verò parte, conſenſus alterius ex ſe fuerit ſufficiens ad matrimonium: &, quia revocatus non eſt, moraliter perſeveret; ac proinde ad matrimonium inducendum ex parte ipſius nihil: ſed ſolummodo illud deſideretur, ut jam verè & liberè conſentiat is, cujus prior conſenſus ſimulatus, aut non liber, & ſpontaneus fuit. Quæ ratio, ſi intentum, etiam id evincit, tali caſu opus non eſſe; ut priùs initi matrimonii nullitas manifeſtetur ei, cujus prior conſenſus legitimus fuit; cùm nullitatis notitia ſolummodo deſideretur, ut renovetur conſenſus: cujus renovatio, cùm non exigatur ex parte ejus, qui initio verè conſenſit, etiam nullitatis notitia ex parte ejus neceſſaria non eſt, ut cum Petr. Soto *Lect. 3. de Matrim. §. Primum igitur*, infert *cit.* Sanchez *n. 10.* 182.

Quam rationem confirmant paritate matrimonii ſpiritualis, quod contrahitur per profeſſionem ab Eccleſia approbatæ Religionis: quæ, cùm ob defectum legitimæ ætatis, profitentis errorem, vi metúve extortum aut fictum conſenſum, invalida eſt, novo & legitimo conſenſu profitentis convaleſcit: quantumvis iſte non renovetur ex parte Religionis: imò etiam, ſi iſta priùs admiſſæ Profeſſionis nullitatem omnino ignoret, ut minimè obſcurè colligitur ex *c. Significatum 11. de Regular. & c. 1. §. Quodſi, eâdem Rubr. in 6.* quibus textibus ante legitimam ætatem profeſſus ſuam Profeſſionem ratam habuiſſe præſumitur annuâ delatione habitûs proprii 183.

Profeſſo-

Professorum, & actuum his competentium exercitiô: quin hujusmodi ratificationis acceptatio & nullitatis scientia exigatur ex parte Religionis. Id ipsum clariùs desumitur ex decreto Concilii Trident. *Sess. 25. cap. 19. de Regular.* ejusmodi Professionem, quinquenniô ab ejus emissione exactô, à professo, toto eo tempore non reclamante, ratificatam sic præsumentis; ut eum ad allegandas nullitatis causas postea non admittat: & hoc absque novo consensu & nullitatis scientia ex parte Religionis; cùm istius, sicut textibus antiqui, sic & novissimi hujus Juris decretô, ne verbô quidem ulla mentio fiat.

184. Eâdem ratione, & hâc ipsius confirmatione suppositâ, consensûs, in matrimonium semel præstiti & non revocati, moralis perseverantia apertè supponitur Imprimis *c. fin. de Procurat. in 6.* ex cujus decisione procurator, nomine principalis sui absentis, matrimonium ex intervallo validè contrahit vi mandati & consensûs, quamdiu non revocatur, moraliter perseverantis: & contrà istô revocatô invalidè; quod mandati revocatione moralis perseverantia tollatur. Deinde *c. Cùm inter 21. de Electione:* quô relatô Innocentii III. rescriptô, Præpositi Hastensis ad Ecclesiam Saonensem electio, quantumvis ille suum in hanc consensum nondum præstiterit, tamen, si in eam consentire velit, confirmari jubetur; quòd majoris & sanioris partis Capituli in ejus personam consensus, utpote non revocatus, adhuc moraliter perseveret; ac proinde memorati Præpositi consensu accedente, spirituale conjugium inter ipsum & Ecclesiam Saonensem contrahatur. Demum confirmatur paritate cum cæteris contractibus, non exigentibus actualem coëxistentiam consensûs utriúsque, sed solùm moralem; cùm, si consensui unius actu præterito, sed moraliter adhuc perseveranti, alterius consensus ex intervallo superveniat, perficiantur, *l. 1. §. 1. ff. de V. O.* & inter absentes per nuntium & epistolam contrahi possint, *l. 1. §. 2. ff. de Contrab. empt. & l. Absenti 10. ff. de Donat.* Quô modô cùm, sicut contrahi, *c. fin. cit. §. Sanè*, sic etiam revalidari matrimonium possit, *arg. §. cit.* ad ejus, sicut contractum, ita etiam revalidationem sufficiet consensus, ex parte unius moraliter perseverans, hoc est, semel legitimè præstitus & non revocatus.

Hâc ita roboratâ ratione, etsi eam, 185.
pro qua allata est, Opinionem satis probabilem reddi, inficias non eant, ad eam tamen amplectendam non moventur: & propterea ad revalidationem matrimonii, in legitimo consensu deficientis, novum consensum & scientiam etiam nullitatis, cum Felino *in c. Ex parte 33. de Rescript. n. 11.* & ab hoc relatis Ant. de Butrio & Anchorano, exigunt Palatios *in 4. disp. 27. disp. 1.* Barthol. Ledesma *de Matrim. dub. 19.* Comitolus *Lib. 1. Respons. Moral. q. 120.* Pontius *Lib. 4. cap. 24. n. 3.* Hurtado *disp. 3. de Matrim. diff. 9. n. 31.* & Palao *cit. disp. 3. p. 7. §. 1. n. 7.* suam hanc sententiam desumentes ex responso Clementis VIII. allegato *n. 177.* 186.
& in proposito casu novũ utriusq; consensum, admonitô priùs maritô de matrimonii nullitate, necessariũ, disertè asserentis.

Ratio, quâ hanc suam doctrinam 187.
persuadere, unáque partis adversæ fundamentum convellere nituntur, potissima est; quòd consensus illius, qui seriò contraxit, moraliter non amplius perseveret; cùm ita solùm perseveret usque ad tempus, quô verè aut fictè consentit alter, & matrimonium verè aut fictè jam est celebratum; cùm postea omnino superfluus judicetur, hôc ipsô; quòd contractus

contractus jam perfectus, eóque mutuum jus in alterius corpus ad actus conjugales utrique jam plenè sit quæsitum; ac proinde ejus, sicut revocatio nihil obesse, sic perseverantia nihil prodesse posse, rationabiliter & indubitatè existimetur; quia mutuus conjugii usus vi juris, ex consensu primò præstito orti potiùs, quàm ejus consensûs morali perseverantiâ procedit, ejúsque revocatione non impeditur. Accedit; quòd, licet prior consensus ultra matrimonii, verè aut apparenter contracti, tempus porrigeretur & moraliter perseveraret, tamen hôc ipsô, quòd nullus, etiam insufficiens sit ad matrimonium cum eo, qui primò fictè consenserat, novo & legitimo consensu inducendum; & propterea, ut id inducatur, omnino necessarius sit novus consensus utriusque: consensus autem prior, etiam ex parte sincerè agentis nullus fuit, partim; quia processit ex errore personæ propter defectum voluntatis ad matrimonium contrahendum inhabilis Jure Naturali, ad ejus contractum exigente personas, sicut aliunde non impeditas, sic etiam in eum verè, & non fictè duntaxat vel coactè, consentientes: partim verò; quòd ferretur in ea, quæ Jure insunt ita, ut eum eliciens, alteri quodamodo dixerit, *Consentio & jus in corpus meum ad individuam vitæ societatem & actus ad generationem prolis ex se aptos jam tibi trado, ejúsque traditionem accepto: si vicissim tu ejusmodi jus jam verè mihi tradas, & à me traditum acceptes.* Quâ conditione in eo, qui consensum tantùm simulavit, deficiente, defecit & nullus fuit in eam relatus consensus prior; cùm deficiente conditione etiam tacitâ id, quod actum est, pro non acto habeatur, per tradita à Tiraquello in *l. Si unquam 8. C. de Revoc. donat. V. Revertatur, n. 277.* & Flaminio *Lib. 1. de Resignat. Benef. q. 3. à n. 27.* Quare ad matrimonii, propter defectum consensûs in altero, nulliter contracti revalidationem omnino requiri volunt novum consensum utriusque: & ad hunc, ut legitimus sit, notitiam nullitatis matrimonii priùs initi in utroque; cùm sine istius notitia eorum consensus ex intentione efficiendi matrimonium non procedat. Ita suam de conjugiorum, ex defectu consensûs invalidè initorum, revalidatione sententiam hi DD. firmant: & pro oppositâ allatam rationem enervare conantur.

188. Neque magis, quàm istâ, moventur decisionibus Juris. Et imprimis quidem ex *c. Significatum & c. 1. citt.* textibus & decreto Synodali *cap. 19. cit.* id, quod adversarii intendunt, desumi, haud ægrè concedunt: sed negant paritatem inter ratificationem matrimonii & professionis Religiosæ; quia satis luculentum discrimen inter hanc & illud intercedit; cùm, licet ex parte etiam Religionis exigatur consensus, & per hunc à professo factæ novæ sui traditionis acceptatio: nullitatis tamen priùs editæ professionis determinata scientia non exigatur; quia Ecclesia, sive summus Pontifex, tanquam supremus & generalis Prælatus omnium Religionum, eum, quoties expressè vel tacitè, hoc est, per habitûs delationem vel quinquennalem perseverantiam renovatur, à se acceptari, itáque defectum consensûs ex parte Religionis suppleri, *citt.* antiqui Juris textibus & S. Concilii, Apostolicâ authoritate approbati, decretô abundè declaravit; ut ita Religionum, & has professitentium, paci, tranquillitati & saluti consuleretur, Lessius *Lib. 2. de J. & J. cap. 41. n. 66.* & Palao *Tract. 16. disp. 2. p. 5. n. 4.* Quô modô, cùm ab Ecclesia & istius capite acceptari consen-

sus & acceptatio suppleri non possit ex parte conjugis, matrimonii nullitatē ignorantis, per tradita *Tit. 1. n. 135.* ex istius parte novº consensº & acceptatio, ad eámque ferè necessaria nullitatis scientia exigetur: licet ea necessaria non sit ad revalidationem Religiosæ professionis, ut cum Petr. de Ledesma *de Matrim. q. 45. art. 3.* agnoscit, oppositæ sententiæ non postremus assertor, Sanchez *Lib. 7. disp. 36. n. 64.*

Deinde ex *c. fin. cit.* pro ejusdem consensûs morali perseverantia allegato, aliud non desumi volunt, quàm consensum in matrimonium à principali præstitum, si non revocetur, usque ad tempus, in quod est collatus, sive quô matrimonium vi mandati à procuratore contrahendum est, moraliter perseverare; cùm, si matrimonium illius nomine ab isto contractum, propter impedimentum dirimens occultum, aut veri consensûs defectum ex parte sponsæ irritum sit, ad revalidationem novum consensum: &, ut iste legitimus sit, nullitatis notitiam exigant ex parte ejus, qui priùs bonâ fide & seriò contraxit.

Deinde *c. Cùm inter cit.* Præpositi consensu, ex intervallo superveniente, *Quasi conjugale vinculum* contrahi, vel potiùs secundùm Glossam *ibi, V. Quasi conjugale*, matrimonium spirituale inchoari potuit; quòd majoris & sanioris partis Capituli consensus moraliter quidem perseverârit: non perpetuò, aut etiam donec revocetur; cum scrutiniô, ut *in c. cit.* casu factum erat, jam publicatô, ejus revocationi locus non sit, *c. Publicato 58. de Electione*: sed usque ad tempus, in quod consensum in sui electionem differre de Jure potest, sive quô, eâ à superiore confirmatâ, spirituale matrimonium est contractum: vel cassatâ, ad novam electionem procedere Capitulum potest, vel Ecclesiæ viduatæ de Pastore aliâ ratione à superiore provideatur.

Demum *ll.* etiam Imperiales pro consensûs, in matrimonium aliquando præstiti, morali perseverantia, donec revocetur, rectè allegari negant; quòd, licet secundùm eas aliquando in cæteris contractibus, hôc ipsô; quod inter absentes iniri obligatio & contrahi valeat, consensus unius moraliter aliquamdiu, scilicet usque ad tempus, quô absens consentire existimatur: non tamen ita perseveret perpetuò, si non revocetur; cùm, ut virtute perseveret & obligatio inducatur, inter contrahentium utriusque consensus, non quanticunque, aut etiam longi temporis intervallum admitti, ex *cit. l. 1. §. 1. ff. de Verb. oblig.* verbis, *Intervallum medii modici temporis non vitiavit obligationem*, ex contrariæ sententiæ assertoribus arguat Sanchez *cit. Lib. 2. disp. 32. n. 7.* Accedit; quòd, quoad consensum, à contractibus merè Politicis & actibus ab humano Jure pendentib⁹, ad matrimonium non semper argumentum duci, clarè desumatur ex *c. fin. cit.* cujus decisione ejusdem sententiæ assecla maximè nituntur: & suadeat ratio; quia in cæteris contractibus & actibus defectus legitimi consensûs à Jure & potestate humana suppleri: non etiam in matrimonio potest, ut *in c. cit.* Barbosa *n. 8.* & *cit.* Sanchez *disp. 11. n. 6.* observant, & supra dictum est *Tit. 1. n. 135.*

Ex hactenus relatis firmatisque DD. de matrimonii invalidè contracti ratificatione Opinionibus, utra consona veritati & alteri absolutè præferenda sit, statuere difficillimum, & res dignissima est Apostolica decisione. Donec autem istâ dubitationi & inter illos invalescenti concertationi finis imponatur, in Theoria sen-

tia ſenſui Eccleſiæ & rationi quoque magis conformes in utraque controverſiæ parte cenſeo poſteriores, quæ ad conjugii, præſertim propter impedimentum alteri occultum, invalidè initi ratificationem revalidationémque conſenſum novum, & ferè etiam nullitatis ſcientiam, aut ſaltem rationabile de ea dubiũ vel ſuſpicionem requirunt. Quas tamen ipſas ita præfero & ſequor, ut oppoſitis prioribus Opinionibus exiſtimationem probabilitatis, in Theoria etiam, ſalvam eſſe velim, præſertim; cùm novum conſenſum & multò magis nullitatis ſcientiam ex parte utriusque non exigant ad revalidationem conjugii invalidi ob defectum conſenſûs; quòd iſte in contrahentium altero exteriùs tantùm ſimulatus, præſtitus errore, vel gravi & injuſto, præſertim ad matrimonium extorquendum, incuſſo metu fuerit extortus.

190 Iisdem priorum, in utraque controverſiæ parte, Opinionum aſſertoribus id etiam tribuendum videtur; quòd matrimonium, undecunque invalidum, ſublatâ causâ nullitatis, ſine determinata iſtius notitia ratificetur caſu: quô exiſtimatorum conjugum uterque matrimonium ſuum ratum eſſe omni modo volunt; ideóque in eventum, quô priùs initum invalidum; ac proinde, ſi ejus contractus ſibi poſſibilis ſit, novô & ſeriô conſenſu, per verba de præſenti expreſſô, id contrahunt; cùm enim ita ratificari ſine determinata nullitatis ſcientia valeat profeſſio Religioſa, ut cum Leſſio *cit. cap. 41. n. 63. & 66.* & Sanchez *Lib. 7. diſp. 37. n. 65.* advertit Palao *cit. diſp. 2. ſ. 5. n. 3.* & ejusdem invalidæ ratificationem ita antecedenter acceptare, & ex parte Religionis neceſſarium novum conſenſum ſupplere valeat ſummus Pontifex, juxta dicta *cit. n. 135.* cur, ſi, ceſſante impedimento, hujuſmodi ſimplicem & in quemcunque nullitatis caſum ſe extendentem novum conſenſum exiſtimati conjuges de novo & ſeriò ponant, non revalidari valeat conjugium antè invalidè contractum? ut tradit Sanchez *cit. diſp. 35. n. 5.* & pro praxi ſalubriter advertit Patrit. Sporer *de Matrim. cap. & ſ. 2. §. & n. 4. & §. 6. n. 3.* & ante eum Herincx *de Matrim. diſp. 6. q. 3. n. 33.*

Quin aliis etiam caſibus, quibus con- 191.
jugi, ut aliquando fœminis, ex nullitatis manifeſtatione periculum vitæ immineret, infamia, ſuive deſertio, ſuſceptæque prolis deſtitutio & ſimilia graviſſima mala timenda forent, ſententiæ, nullitatis manifeſtationem ad matrimonium per conſenſûs renovationem ratificandum, non exigentis uſum licitum eſſe, cum Sanchez *Lib. 2. diſp. 36. n. 8.* docent Palao *cit. diſp. 3. p. 7. §. 2. n. 4.* Tamburinus §. 2. *n. 7.* Cardenas *n. 976.* & alii; quòd ejusmodi extrema & graviſſima neceſſitas cohoneſtet uſum Opinionis, cui in ordinariis caſibus & circumſtantiis non eſt locus.

Pro caſibus, quibus conjugii ſui va- 192.
lori obſtans impedimentum conjuges quidem ignorant, ſubeſſe autem Confeſſarius advertit, Gobat *Quinarii Tract. 5. cap. 37. n. 28.* matrimonii nullitatem illis non temerè: ſed tum demum aperiendam, monet; cùm eos in conjugio eſſe concordes, séque ſincero amore complecti animadvertit. Contrà, ſi inter eos malè conveniat, & frequentes rixæ intercedant, in bona fide eos potiùs relinqui vult, quàm impedimentô, non ſatis cautè, detectô, graviſſimis incommodis & ſcandalis anſam dari. Quod ejus conſilium memoratus Patrit. Sporer laudat, & prudentiſſimum vocat *cit. §. 6. n. 4.*

(o)

ARTICULUS XI.

De Pœnis Matrimonia contrahentium cum Impedimento.

SUMMARIUM.

193. *Istorum proles illegitimæ sunt,*
194. *Si scienter vel denuntiationibus temerè omissis contraxerunt.*
195. *Iidem carent spe dispensationis,*
196. *Cùm quocunque impedimento ita contraxerint.*
197. *Eorum aliqui ipsô factô incurrunt excommunicationem:*
198. *Quæ tamen non afficit sola sponsalia,*
199. *Vel ipsum matrimonium ignoranter ineuntes.*
200. *Legales pœnæ nuptiarum incestarum Jure Canonico sublatæ non sunt.*

193. CUm impedimento dirimente matrimonium ineuntes, quando id scienter faciunt, gravissimè peccant & gravibus pœnis obnoxii sunt; neque enim solùm, si in impedimento dispensationem non obtineant, matrimonii omni usu interdictô, separantur: sed insuper eorum carnali commercio procreatæ proles illegitimæ sunt, *c. Causam 4. & c. Referente 10. Qui filii legitimi*, saltem, si impedimenti scientiam habuit uterque, ex decreto Concilii Lateranensis, relato *c. fin. §. Si quis, de Clandest. desponsat.* vel, si ejus quidem notitiam neuter habuit, inter eos tamen matrimonium, denuntiationibus temerè omissis, ac proinde clam initum fuit, *§. Si quis cit.* de quo casu specialiter actum est *Tit. 3. à n. 84.*

194.

Vestigiis Concilii Lateranensis inhæserunt S. Synodi Tridentinæ Patres, quorum decretum est, *Si quis intra gradus prohibitos scienter matrimonium contrahere præsumpserit, separetur & spe dispensationis consequendæ careat. Quodsi ignoranter id fecerit, si quidem solennitates requisitas in contrahendo neglexerit, eidem subiiciatur pœnis. Non enim dignus est, qui Ecclesiæ benignitatem facilè experiatur, cujus salubria præcepta temere contempsit.* Quô decreto perinde, ut §. *Si quis cit.* juxta dicta *cit. Tit. 3. à n. 85.* non solùm cum consanguinitatis, affinitatis vel alio simili, sed cum quocunque alio impedimento dirimente matrimonium contrahere præsumentes afficiuntur, cum Philiarcho *de Officio Sacerd. Tom. 1. p. & Lib. 2. cap. 13. pr.* Sanchez *Lib. 3. de Matrim. disp. 42. n. 7.* Sanctarello *Lib. 1. Var. Resol. q. 54. n. 3.* & aliis resolvit Barbosa *in cit. cap. 5. n. 2.* & Curiæ Romanæ stylo seu praxi receptum, atque adversùs contradictores firmatum, testis est Corradus *Prax. Dispens. Apostol. Lib. 8. cap. 3. n. 2.* Rationem hic Auctor eandem reddit, ob quam ex hujusmodi matrimoniis procreatas sobolesnatalium defectu laborare, paulò antè est dictum. Quam confirmat; quòd ex una, S. Synodi Patrum mens & intentio fuerit, in suarum animarum spiritualem ruinam matrimonia cum impedimento dirimente contrahere præsumentium temeritatem refrenare: graduum verò prohibitorum solummodo meminerint exempli gratiâ, & quoscunque casus, lege Ecclesiastica irritante, prohibitos intellexerint: ex altera verò parte, non tam verborum proprietas & cortex, quàm sensus & statuentis vel rescribentis mens sit attendenda, per disertos textus *c. Propterea 8. de V. S. & l. Scire leges 17. ff. de LL.* Accedit; quòd, sicut Concilium La-

195.

196.

lium Lateranenſe *c. fin. cit.* ſic & Tridentinum *cap. 5. cit.* cætera impedimenta dirimentia comprehendat verbis, *Si verò ſolennitatibus adhibitis impedimentum aliquod poſtea ſubeſſe cognoſcatur :* &, ſicut illius, ſic etiam iſtius decretô impedimenta dirimentia, ad quæ detegenda Eccleſiaſticæ denuntiationes adhibentur, omnia comprehendi frequentiſſimo DD. calculô & Curiæ Romanæ ſtabili uſu ſit receptum.

197. Demum Clemens V. in Concilio Viennenſi *Eos, qui ſcienter in gradibus conſanguinitatis vel affinitatis conſtitutione Canonica interdictis, aut cum Monialibus contrahere matrimonialiter non verentur : nec non Religioſos & Moniales & clericos in ſacris Ordinibus conſtitutos matrimonia contrahentes excommunicationis ſententiæ ipsô factô ſubjacere* decrevit, ut, habet textus *Clement. Unicæ de Conſang. & Affinit.* Quæ cenſura, licet à prædictis perſonis ipſo contractu matrimonii incurratur, neq; ipſius conſumatio exigatur, ſecundùm Gloſſam *in Clem. cit. V. Contrahere* Imolam *ibi n. 9.*

198. & Barboſam *n. 20.* non tamen ad eam incurrendam ſufficit contractus ſponſalium de futuro; quantumvis enim matrimoniô aliquibus propter Canonicum impedimentum interdictô, ipſis etiam ſponſalia, tanquam via ad illud, interdicta videantur, *l. Oratio 16. ff. de Sponſal.* pœna tamen, etiam à Jure matrimonium contrahentibus inflicta, ſponſalia contrahentes non afficit, Gloſſa *V. cit.* & Imola *n. 10.*

199. Neque etiam ſufficit matrimonium contractum cum ejusmodi impedimenti ignorantia, ſive hæc Juris aut Facti, vincibilis aut invincibilis ſit : dummodo non ſit affectata, *cit.* Imola *n. 4.* & Navarrus *Manual. cap. 27. n. 141.* cùm; quia textus exigit ſcientiam : quæ cùm ad pœnam incurrendam exigitur, quævis ignorantia excuſat : dummodo non ſit affectata; quia iſta moraliter ſcientiæ æquiparatur, Suarez *de Cenſur. disp. 23. ſ. 5. n. 13.* & *cit.* Sanchez *Lib. 7. disp. 48. n. 19.* tum verò, quia excommunicatio Jure lata ab ignorantibus non incurritur, *c. fin. de Conſtitut. in 6.* cùm ſit pœna Medicinalis, Jure introducta; ut ſui horrore abſterreat à contemptu poteſtatis Eccleſiaſticæ &c. *c. Ex parte 23. de V. S.* hanc autem contemnere, qui Jure proditum impedimentum ignorat, dici non poſſit, *cit.* Suarez *disp. 4. ſ. 9. n. 19.*

Neque matrimonialis contractus celebratus cum infideli, cognata Legali vel Spirituali, aut cum publicæ Honeſtatis vel alio impedimento dirimente, ut in *Clement. cit.* notat Gloſſa *V. Eos*, Imola *cit. n. 4.* Barboſa *in Clement. cit. n. 11.* & Bonacina *de Cenſur. disp. & q. 2. p. 7. n. 20.* quia textus ſolùm agit de contrahentibus cum conſanguinitatis, affinitatis, voti ſolennis & Religioſum conſtituentis impedimentis, & pœnalem ſuam diſpoſitionem ad iſta ſatis clarè reſtringit. Unde tamen, & ex *Clement. cit.* verbis, *In gradibus conſtitutione canonicâ interdictis*, perperam infertur, excommunicationem illam non incurri matrimoniô inter patrem & filiam, matrem & filium contractô; quia inter hujusmodi perſonas matrimonium, ſicut Jure Naturali & Divino, ſic & conſtitutione Canonica prohibetur, *can. Conjunctiones 2. can. Progeniem 16. &c. 35. q. 2. c. citt.* Gloſſa *V. Canonica* Sanchez *n. 15.* & Barboſa *n 19.*

Neque etiam perſeverantia in matrimonio cum conſanguinitatis aut affinitatis &c. impedimento bonâ fide, ſive à perſonis, ejus ignorantiam non affectatam habentibus, contractô, Gloſſa *ibid. V. Scienter*, ubi Panormit. *n. 4.* quia *Clement. cit.* non quamcunque inceſtuoſam cohabitationem, ſed inceſtuoſas & ſacri-

legas ejusmodi nuptias contrahere non verentium temeritas punitur, Suarez *cit. s. 5. n. 21.*

200. Ejusdem Clementinæ constitutionis §. *fin.* in eo, quem antè habuerunt, vigore relinquuntur & confirmantur pœnæ incestarum nuptiarum, non solùm Canonicæ ad superiores Rubricas ferè declaratæ, sed etiam Legales, *l. Qui contra 4. l. Si quis 6. Auth. Incestas &c. C. de Incest & inutil. nupt.* proditæ, ut cum Boërio observat Corradus *Lib. 8. Prax. Dispens. Apost. cap. 3. n. 30.*

TITVLVS XVII.

Qui Filii Legitimi sint.

NUstarum Nuptiarum præcipuus effectus est ex iis susceptorum liberorum legitima Juréque approbata nativitas: quæ proinde post illarum contractum & impedimenta expedita, huic Rubricæ subjectis textibus declaratur.

ARTICULUS I.

De Liberis legitimè Natis.

SUMMARIUM.

1. *Filiorum nomine veniunt utriusque sexûs liberi:*
2. *Quorum alij Legitimi, alij Illegitimi:*
3. *Et illi vel Legitimi tantùm, vel etiam Naturales:*
4. *Isti Naturales aut Spurij,*
5. *Et hi ferè Adulterini, Sacrilegi, Incestuosi aut Nefarij sunt.*
6. *Legitimi sunt nati ex conjugio, bonâ fide,*
7. *Saltem ab uno parente,*
8. *Et ab infidelibus cum Juris Ecclesiastici impedimento inito.*
9. *Illegitimi sunt nati ex conjugio cum impedimento dirimente sciente,*
10. *Aut ignoranter, sed sine denuntiationibus, contractô.*
11. *Idque in foro saltem externo:*
12. *Imò etiam in interno;*
13. *Ob bonæ fidei Jure requisita defectum:*
14. *Ex conjugio invalido, inito errore Juris, natam prolem legitimam esse, negantium,*
15. *Et affirmantium veram Opinio;*
16. *Etiam cùm error Juris liquidi est.*
17. *Ex dubitantibus de impedimento post,*
18. *Non etiam ante id detectum nata illegitima est:*
19. *Nisi conjugium cum dubio de impedimento initum sit.*
20. *Spurij sunt, ex solutis continentiæ voto solenni:*
21. *Et ex simplici voto ligatis nati, naturales.*

22. Legiti-

22. *Legitimi sunt nati ex conjugibus, ejusmodi simplici.*
23. *Imò & solenni voto ligatis:*
24. *Sed ex his nati quoad solos effectus Civiles.*
25. *Spurius est, quem ex adulterio susceptum constat.*
26. *Legitimus, cujus pater, an maritus vel alius sit, dubitatur.*
27. *Et mense post mariti obitum decimô:*
28. *Imò & undecimi initiô,*
29. *Et octavô vel septimô mense post nuptias natus.*
30. *Infantes expositi legitimis accensentur*
31. *Ex conjugio invalido, ab uno bonâ fide inito, natus legitimus est respectu parentis utriusque.*

1. FIlii Latinum nomen originem verisimiliùs ducit à Græco φιλία denotante amorem, quô parentes in liberos suos excellunt, Tholosanus *Lib. 10. Syntag. cap. 3. n. 4.* Quantumvis autem *Filij* nomen in singulari ex sua institutione usúque communi prolem solùm masculinã denotet, ad fœmininam autem seu filiam vi interpretationis extendatur, *arg. l. Herennius 122. & l. Justa 201. ff. de V. S. Filiorum* tamen, plurali numerô expressorum nomen, non quidem figurâ & vocis propriâ significatione, sed communi usu utriusque sexûs liberos, ac proinde filias quoque comprehendit, si materia indifferens, id est, fœminis æquè ac maribus conveniens & par utriusque sexûs ratio sit, *arg. Rubricæ* præsentis, *l. Si quis ita 46. ff. de Testam. tut. & l. Quisquis 116. ff. de V. S.* Velasc. *de Jure Emphyt. q. 41. n. 3.* & Barbosa *ad hanc Rubr. cit. n. 11.*

2. Filii ergo, sive utriusque sexûs liberi vel Legitimi sunt vel Illegitimi; & illi rursum vel Legitimi tantùm vel Legitimi & Naturales simul. 3. Legitimi tantùm dicuntur, qui, cùm per naturam non sint, beneficiô tamen adoptionis arrogationisve legibus approbatæ in liberorum numero censentur, sive pro iis habentur, *§. Adoptio 1. Instit. l. 1. &c. ff. de Adopt.* Legitimi & Naturales autem, sive legitimè nati vocantur, qui ex nuptiis justis, sive matrimonio verè aut putativè justo, & publicè sine contradictione inito, sunt procreati, *c. Cùm inter 2. hâc Rubr. pr. Instit. de Patria potest. l. Filium 6. ff. de His, qui sui vel alien. jur. cit.* Tholosan. *n. 6.* & Molina *Tract. 2. de J. & J. disp. 165. n. 1.*

Illegitimi etiam, sive extra ejusmodi nuptias ex copula fornicaria nati vel sunt 4. Naturales tantùm vel Spurii: ad quas illorum species non iidem liberi utroque Jure reducuntur; Civili enim Naturales ii duntaxat sunt, qui ex soluto & concubina unica uxoris locô domi retenta, *l. 1. &c. ff. de Concub. & Novell. 89. cap. 6.* Canonico autem Jure censentur quicunque procreati sunt à parentibus, qui conceptionis vel nativitatis aut inter hanc & illam medio aliquo tempore, ut infrà statuetur, habiles fuerunt ad matrimonium validè contrahendum, Glossa in *c. Innotuit 20. V. Conjugata, de Elect. ubi* Panormit. *à n. 17.* & Molina *disp. cit. n. 4. & 6.* Spurii etiam Civili quicunque extra justas nuptias & ex alia quàm concubina, sive soluta uxoris locô domi retenta, procreati: Canonico autem Jure dicuntur nati ex parentibus matrimoniô non conjunctis, & ad id validè ineundum inhabilibus totô illô, scilicet conceptionis, nativitatis & inter utramque medio tempore, Covarruvias *p. 2. de Sponsal. cap. 8. §. 5. n. 1.* & Molina *l. cit. n. 7.*

Spuriorum etiam liberorum variæ 5. & præ aliis relatu dignæ quatuor species sunt,

sunt, scilicet Adulterini, Sacrilegi, Incestuosi & Nefarii. Adulterini vocantur, ex duobus vel altero saltem parente conjugato nati, *can. Nemo 32. q. 4. & §. Cùm ergo, V. Adulterium*, post *can. Lex, 36. q. 1.* Sacrilegi ex Religioso vel Moniali aut etiam ex Clerico in Sacris constituto suscepti, ut volunt Barbosa & Gonzalez *in c. Quia circa 6. de Bigamis n. 3.* contra Felinum *in c. At si clerici 4. pr. de Judiciis, n. 14.* Decium *ibid. n. 37.* & alios: qui tales, si matrem solutam habeant, ex simplici fornicatione natis accenseri eorúmque jure censeri, desumunt ex *can. Presbyter 12. dist. 81. & c. Quia circa cit.* verbis, *Cum eis presbyteris concubinariis tanquam simplici fornicatione* notatis. Qua de re sensum meum exponam *Lib. 5. tit. 16. à num. 63.* Incestuosi ex parentibus, cognatione aut affinitate conjunctis, præsertim ex consanguineis collateralibus in gradu prohibito procreati, §. *Inter eas 2. Instit. de Nuptiis*, Farinac. *Prax. Criminal. q. 149. à n. 40.* & Gonzalez *in c. 1. n. 7.* Nefarii demum ex patris & filiæ aliorúmque ascendentium & descendentium fœdissimo concubitu orti, §. *Ergo 1. Instit. de Nupt. Auth. Ex complexu C. de Incest. & inutil. nupt. citt.* Tholos. *cap. 3. n. 30.* Farinac. *n. 60.* Gonzalez *n. 7. in fine.* Ex hactenus dictis

6. Certum est primò, legitimam esse prolem Imprimis natam ex matrimonio publicè & bona fide contracto; quod tamen propter latens impedimentum dirimens postea deprehensum est fuisse nullum, saltem si nata aut concepta, etiam post litem contestatam, sit, antequam sententia divortii sit lata: imò, si nata aut concepta sit, appellatione ab ea interpositâ & pendente, & donec sententia transierit in rem judicatam, Covarruvias *cit. cap. 8. §. 1. n. 7.* Barbosa *in c. Cum inter 2. n. 13.* & Pirrhing *ad hanc Rubric. n. 7.*

Neque cum hoc pugnat; quòd litis contestatione bonæ fidei possessor constituatur in mala fide; cùm non habeat ignorantiam rei alienæ, *l. Sed etsi 25. § 7. ff. de Petit. hæred. & l. Certum 22. C. de R.V.* ac proinde post litem super matrimonio contestatam concepta proles, sententiâ definitivâ contra matrimonium latâ, tanquam malâ parentum fide procreata illegitimis debeat accenseri, *arg. c. fin. §. Si quis, de Clandest. desponsatione.* Non, inquam, hoc cum dictis pugnat; quia mala fides litis contestatione solùm inducitur quoad effectum restitutionis fructuum, qui servandô servari ac restitui possunt, Bruneman. *in l. Certum cit. n. 12.* non quoad effectus alios, præsertim continuationem possessionis conjugii & usum juris conjugalis, *c. Laudabilem 2. Ut lite pend.* ubi istô privari, conjux prohibetur ante accusationem probatam, imò ipsam sententiam definitivam prolatam, *arg. c. 1. eâdem Rubr. & c. Inter cit.* & per appellationem non suspensam, Panormit. *in c. cit. n. 6.* Alex. de Nevo *n. 5.* Barbosa *n. 13.* Gonzalez *n. 8.* & Pontius *Lib. 11. de Matrim. cap. 8. n. 5.* Neque enim credibile est, conjugii usum, pendente lite, ab Ecclesia permittendum, si illius contestatione mala fides induceretur, *arg. c. Literas 13. §. Porro, de Restit. Spoliat. & c. Inquisitioni 44. de Sent. excom.* ut recte arguit Covarruvias *p. 2. de Sponsal. cap. 8. §. 1. n. 9.*

Deinde eam, quæ suscepta est ex 7.
matrimonio viri, qui, uxore suâ vivente, in facie Ecclesiæ duxit aliam, si ista ligaminis (aut aliud occultum) impedimentum ignoravit, *c. Ex tenore 14.* Ratio est; quia in favorem prolis major bonæ fidei conjugis ignorantis, quàm malæ alterius ejus conscii ratio habetur, Alex. de Nevo *in c. cit. n. 4. ubi* Barbosa *n. 2.*

Demum eam, quæ nata est ex matri- §.
monio,

monio, ab infidelibus intra gradum, Jure solùm Ecclesiastico prohibitum, contracto. Eadem proles legitima manet, postquam ad fidem Christianam sive ipsa sive parentes sunt conversi, *c. fin.* Ratio est; quia legitimi juxta dicta sunt procreati ex matrimonio justo: matrimonium autem ab infidelibus in gradibus Naturali & Divina lege non prohibitis, secundùm leges ipsorum Politicas & his æquivalentem consuetudinem initum, justum est: quantumvis cum Ecclesiastici Juris impedimento sit contractum, *c. De infidelibus 4. de Consang. & Affinit.* quia infideles legibus Ecclesiasticis non adstringuntur, *c. Gaudemus 8. pr. de Divortiis.* Confirmatur; quia ejusmodi infidelium matrimonium justum ac legitimum, sicut fuit antè, sic etiam post conversionem & Baptismum manet: imò post hunc susceptum, in quorundam DD. sententia, perfectam rationem Sacramenti, aut saltem omnimodam insolubilitatem sortitur, *c. De infidelibus cit.* ut adeò nihil sit, quod ex eo procreatorum liberorum natalibus obstare possit, præsertim; cùm ejusmodi liberis favorem præstari, exigat utilitas publica & bonum Religionis: quam ipsi, & infideles ipsorum parentes ita faciliùs, & difficiliùs multò amplecterentur, si conversorum liberi illegitimis accenserentur, Glosa *fin. in c. fin. ubi* Barbosa *n.* 2. Gonzalez *n.* 2. *in fine* & Pirrhing *l. cit. n.* 17.

9. Certum contrà secundò est, illegitimam esse prolem non solùm extra, sed etiam ex matrimonio inter parentes, quorum uterque impedimenti dirimentis fuit conscius, procreatam, *c. Causam* 4. & *c. Referente* 10. quò textu utroque relatis decisionibus illegitimæ declarantur proles natæ ex conjugibus, conscii impedimentorum Ligaminis vel publicæ honestatis.

10. Quin illegitima quoque est proles nata ex matrimonio irrito propter impedimentum dirimens occultum & ab utroque parente ignoratum, si illud denuntiationibus sine dispensatione omissis, ac proinde clam initum fuit, ex decreto, Concilii Lateranensis *c. fin.* §. *Si quis, de Clandest. desponf.* quia ita clàm contrahentes, hoc est, denuntiationum solennitatem sine dispensatione & justa causa omittentes latentis impedimenti scientiam aut ignorantiam affectatam, quæ scientiæ æquiparatur, ac proinde malam fidem habuisse, præsumuntur, §. *Si quis cit.* Quæ ratio; cùm non solùm de consanguinitate, sed de aliis quoque conjugiorum impedimentis procedat, ex matrimonio clandestino, inito cum quocunque impedimento dirimente occulto, procreatas proles illegitimas esse, *ad Rubric. cit. à n.* 84. est ostensum.

Dubium primò est, an proles ex parentibus, sine prævia denuntiatione copulatis, nata etiam in foro Conscientiæ illegitima sit, quando illi, impedimenti prorsus ignari, bonâ fide matrimonium injerunt. 11. Negat id Suarez *Disp.* 50. *de Censuris s.* 1. *n.* 10. eâ ductus ratione; quòd *c. fin.* §. *Si quis cit.* pœnalis dispositio nitatur præsumptione malæ fidei, sive scientiæ impedimenti intercedentis, quoties matrimonium, denuntiationibus sine justa causa omissis, contrahitur, ut patet ex verbis, *Cùm illi taliter contrahendò non expertes scientiæ vel affectatores ignorantiæ videantur:* dispositioni autem legis pœnalis fundatæ in præsumptione facti, quando de veritate præsumptioni adversante constat, in foro Conscientiæ non sit locus; atque idcirco contra præsumptionẽ Juris, *c. Is, qui fidem 30. de Sponsal. & matr.* copulâ carnali superveniente, sponsalia præcedentia in matrimonium de Jure etiam antiquo non transierint, quando sponsorum alter co-

gulam non admisit affectu conjugali, ut communem secuti sententiam docent *citt.* Covarruvias *p.* 1. *cap.* 4. §. 1. *n.* 9. & Sanchez *Lib.* 7. *de Matrim. disp.* 39. *n.* 9.

12. Sed meliori ratione hujusmodi prolem illegitimè natis accenset Barbosa *in c. Cùm inter cit. n.* 22. quia ad prolis, matrimoniò putativè justò procreatæ, legitimitatem Jura copulativè duo requirunt; ut scilicet matrimonium initum sit publicè, in Ecclesiæ facie, sive præmissa denuntiatione, §. *Si quis, c. Cùm inter & c. Ex tenore citt.* & ab altero saltem cum ignorantia impedimenti & bona fide, §. *& c. Ex tenore citt.* Quare, ut ex ejusmodi matrimonio susceptæ prolis natales justi sint, utrumque simul concurrere, est necesse: eorúmque alterò, & in propositæ dubitationis casu publicitate deficiente, natales justi in utroque foro non erunt, Socinus *Jun. Vol.* 2. *Consil.* 86. *citt.* Palæotus *n.* 5. *in fine* Covarruvias *cap.* 8. §. 1. *n.* 2. Pontius *Lib.* 11. *de Matrim. cap.* 8. *n.* 3. & Gonzalez *in c. Cùm inter cit. n.* 4. uterque *ad finem.* Confirmatur hæc ratio; quia effectus legitimitatis in utroque foro pendet ex solius Juris seu Canonis authoritate: Jus autem seu Canon ut legitimas non approbat proles, nisi ex matrimonio, bona fide simul & publicè seu prævia denuntiatione contracto susceptas, adeò; ut, *Si quis* aliter *conjugia inire præsumpserit etiam ignoranter* sive ignarus bonáque fide, *soboles prorsus illegitimæ censeatur, de parentum ignorantia nullum* ac proinde etiam in foro interno *habitura subsidium*, §. *Si quis cit.* Sic etiam *c. Ex tenore cit.* ex putativo matrimonio nata proles legitima habetur; *Quòd pater matrem ipsius* non solùm *ignaram* impedimenti, sed etiam *in Ecclesiæ facie duxerit in uxorem.*

13. Neque hac in re Jure proditum aut statuendum inter fora est discrimen; quia canon ad prolis ex putativo conjugio susceptæ legitimos natales non quamcunque, sed publicam, sive ex impedimenti latentis ignoratione & denuntiatione publica ortam bonam fidem, & generaliter atque indistinctè expescit: & fundatur in præsumptione non tam scientiæ impedimenti malæque fidei in quovis omissæ denuntiationis casu intervenientis, quàm universalis periculi matrimoniorum cum impedimento contrahendorum, si insuper habitâ cautione Canonicâ conjugia sine præviis denuntiationibus ineantur, ex iisque cum occulto impedimento initis susceptæ soboles legitimæ habeantur; ac proinde in Conscientiæ etiam foro procedit: ut de proprii parochi & duorum triúmve testium præsentia dictum est *Tit.* 3. *à n.* 84.

Neque argumentum ad propositum casum rectè ducitur ex decisione *c. Is quidem cit.* quia alia ratio est legitimitatis quàm valoris nuptiarum; cùm enim natalium justitia tota pendeat ab authoritate Juris, prolem ut legitimam approbantis, vel pro illegitima habentis: non etiam valor matrimonii; cùm istius contractui in sponsorum alterius consensu deficienti valorem conferre ulla Juris authoritas non possit, *can. Sufficiat* 27. *q.* 2. *& l. Nuptias* 30. *ff. de R. J.* mirum non est; quòd copula carnalis, sponsalibus de futuro initis sine affectione conjugali superveniens, matrimonium in Conscientiæ foro non inducat: etsi natalium vitium in eo inducat omissio denuntiationum in matrimonio, cum impedimento dirimente inito à parentibus ejus ignaris *cit.* Barbosa *n.* 22.

14. Dubium secundò est de prole susceptа ex matrimonio, à parentibus inito errore Juris, puta; quod Titius cum Bertha fratris sui sponsa, vel ex copula fornicaria in primo vel secundo gradu affine, vel intercur-

terveniente cum nuptiarum promissione adulterio iniit, si uterque vel alter matrimonium inter se consistere posse, ignoravit. Ratio dubitandi gravissima est partim; quòd, ut ex matrimonio putativo susceptæ proles legitimæ sint, copulativè exigantur duo, scilicet primò; ut matrimonium publicè, hoc est, prævia ejus denuntiatione, *c. fin. pr. de Clandest. desponsat.* præscripta, sine Ecclesiæ id inhibentis contradictione initum sit, Glossa *in c. Cùm inter cit. V. Publicè & V. Sine contradictione:* secundò; ut initum sit bona fide utriusque, vel saltem alterius parentis, *c. Ex tenore cit.* Glossa *in c. fin. cit. V. Si ambo*, Palæotus *de Nothis cap. 9. n. 5.* Covarruv. *p. 2. de Sponsal. cap. 8. §. 1. n. 2.* & Gonzalez *in c. Cùm inter cit. n. 4.* in proposito autem casu desideretur bona fides; cùm enim unusquisque legum, quibus vivimus, præcepta scire teneatur, *l. Leges 9. C. de LL.* is, qui adversus leges agit, in mala fide esse præsumitur; atque idcirco, qui rem alienam, quam possidet, suam esse existimat errore Juris, tanquam malæ fidei possessor eam non præscribat, *l. Nunquam 31. pr. ff. de Usucap. & l. Pro emptore 2. §. 15. ff. Pro emptore:* partim verò; quia ignorantia juris cuique nocet, *l. Regula 9. pr. ff. de J. & F. J. & Reg. Ignorantia 13. in 6.* saltem, non de vitando damno, sed de lucro captando certanti & acquirere volenti, *l. Juris 7. & l. Error 8. ff. eâdem Rubr.* in propositæ autem dubitationis casu liberos, de quorum natalibus quæstio est, non de vitando damno, sed de lucro captando certare, palam est; cùm liberorum ex tali matrimonio procreatorum, si illegitimi habeantur, substantia patrimonii, antè habiti non diminuatur, hôc ipsô; quòd re aut jure antè quæsito non priventur, sed solummodo non acquirant bona & emolumenta ad ipsos, si legitimi essent, perventura.

15. Sed, quanticunque ponderis ratio hæc utraque esse videatur, frequentiori tamen DD. calculô, sicut conjugium vacare culpâ, sic eô procreatas proles legitimas esse, receptum est, si parentum error probabilis justúsque sit; quòd Jus, circa quod error versatur, obscurum dubiúmque sit & varios admittat intellectus; ita enim cum Bartolo *in l. fin. ff. de Condict. sine caus. n. 4.* sentiunt *citt.* Palæotus, Covarruvias uterque *n. 9. in fine*, Peregrin. *de Fideicommiss. art. 24. n. 69.* Pontius *n. 3. cit.* & Barbosa *in c. Cùm inter cit. n. 17.* Ratio est; quia error Juris dubii æquiparatur errori facti, istiúsque instar excusat, & bonam fidem, ad ipsam etiam præscriptionem sufficientem, producit, Panormit. *in c. De quarta 4. de Præscript. n. 12. ubi* Felinus *n. 27.* Baldus *in l. Celsus 27. ff. de Usucap. n. 17.* Pinellus *in l. Rem majoris 2. C. de Rescind. vendit. p. 2. cap. 4. n. 40.* & Menoch. *de Arbitr. Lib. 1. q. 53. n. 7.*

16. Quin, etiamsi injustus sive liquidi Juris error sit, ex conjugio eô inito susceptam prolem legitimis cum Bartolo *cit. n. 4.* verisimiliùs accensent Ruinus *Lib. 5. consil. 51. n. 17. citt.* Peregrinus *n. 68.* Pontius *n. 3.* Barbosa *n. 17.* & Gonzalez *in c. Cùm inter cit. n. 4.* Ratio est; quia matrimonium ab ejus parentibus in Ecclesiæ facie bonáque fide initum est; cùm præviis denuntiationibus, ad detegendum impedimentum publicè propositis, & cum Juris ignorantia inculpata sive cum peccato non conjuncta fuerit contractum; ac proinde matrimonii publice bonáque fide initi operari debeat effectum, sive prolis ex ipso susceptæ legitimitatem. Cui rationi non parùm roboris inde accedit; quòd, talem prolem esse illegitimam, Jure non expressum, & in dubio in sensum proli favorabilem quoad ejus natales trahat exemplum Juris, *c. Ex tenore cit.* ibi, *in*

ibi, *In favorem prolis potiùs declinamus & l. Nuper* 11. ibi, *Et hoc favore facimus liberorum, C. de Natural. lib.* Neque id immeritò; cùm liberi sint innocentes; atque idcirco, æquitatis naturalis ratione attentâ, sine perspicui Juris textu illegitimorum notandi maculâ & detrimentis subjiciendi non sint; ne, ulla necessitate non exposcente, alieni & inculpati facti odiò prægraventur, contra *Reg. Factum 155. pr. ff. & Reg. Non debet 22. in 6.*

Confirmatur hæc Resolutio Apostolica authoritate Gregorii XIII. qui à Maronitis inter complura alia consultus, an ex matrimonio, quod conjugum unus, ab altero ex adulterii ab eo perpetrati causa divertens, cum alia iniit, susceptæ proles legitimæ & ad clerum admittendæ sint, eas esse legitimas & ad clerum admittendas declaravit; quòd, licet hujusmodi matrimonium contra doctrinam Apostoli, imò ipsius Christi Domini, *Uxorem* à viro divertentem *manere innuptam aut viro suo reconciliari præcipientis*, 1. Corinth. *cap. 7. V. 10.* contractum ipsóque Jure Divino invalidum sit, à Maronitis tamen eò copulatis, errore sive ignorantiâ non Facti, sed perspicui ac Divini Juris, legitimum putaretur; atque idcirco in prolibus ex eo susceptis locum habeat dispositio *c. Cùm inter & c. Ex tenore citt.* Quod memorati Papæ ad hoc & cætera Maronitarum consulta responsum, in ejus Nationis Synodo Anno 1579. publicatum, refert Pignatell. *Tom. 6. Consult. 41. n. 75. & 78.*

Neque, ejusmodi proles illegitimis adnumerandas, evincunt ad id persuadendum deductæ rationes; cùm speciosæ magis sint quàm efficaces.

Prior; quia parentum saltem alter bonam fidem veram habet, hoc ipso; quòd inculpatâ ignorantiâ laboret: & talem habere etiam præsumitur; quòd nuptiæ in Ecclesiæ facie, & denuntiationibus ad faciliorem impedimenti detectionem propositis, sint celebratæ, *arg. l. fin. ff. de Ritu nupt.* ut per hanc legem notant Tetracinq. *Lib. 2. Tit. Matrim. resol. 4. n. 14.* & Bruneman. *in l. Si in provincia 55. ff. eâdem Rubr. n. 4.* Neque refert; quòd hujusmodi bona fides non prosit in præscriptione, *pr. & §. 15. citt.* quia ab ista argumentum non rectè ducitur ad prolium natales; cùm istis parentum non quævis, sed affectata solùm ignorantia officiat, *c. fin. cit. §. Si quis*, ubi, parentum ignorantiam liberis suffragari, ideo negatur; quòd illi matrimonium contrahendò *Non expertes scientiæ vel saltem affectatores ignorantiæ esse videantur.*

Posterior; quia liberis ex tali conjugio susceptis, si illegitimis accenseantur, Juris ignorantia non sua, secundùm, *l. Regula cit.* sed aliena noceret, eisque perpetuam & cum gravibus detrimentis conjunctam maculam afferret: quod, cùm ab humanitate & æquitate naturali alienum videatur, in dubio permitti non debet, & liberi pro legitimis potiùs quàm spuriis habendi sunt; ne Juris errore non suo sed alieno prægraventur, & in materia pœnali durior interpretatio præferatur benigniori, contra *Reg. Factum cit. §. fin. & Reg. In pœnis 49. in 6.*

Dubium tertiò est de prole parentum, dubitantium de matrimonii valore, Quam, si concepta sit, postquam, detectò impedimentò dubióque cessante, conjugii nullitas utrique innotuit, illegitimam esse, res explorata claráque ratio est; quòd post impedimenti vg. consanguinitatis aut ligaminis notitiam concepta proles incestuosa vel adulterina sit, hôc ipsò; quòd cum incestu vel adulterio utriusque parentis formali sit suscepta, Pontius *cit. cap. 8. n. 3.* 17.

Ante hujusmodi notitiam autem, si, matrimo- 18.

matrimoniô bona fide & publicè contractô, de intercedente ejusmodi vel alio impedimento dirimente superveniat dubium, isto stante natam, aut saltem conceptam prolem ex communi DD. sensu legitimis meritò accenset *cit.* Barbosa *n. 18.* quòd nata vel concepta sit à parentibus impedimentum ignorantibus & in conjugii possessione bona fide existentibus, vigore Regulæ *can. Si virgo 34. q. 2.* ubi relatus S. Augustinus, *Bona fidei possessorem rectissimè dici*, ait, *quamdiu se possidere ignorat alienum: cùm verò alienum se possidere scierit, nec ab aliena possessione recesserit, malæ fidei possessorem haberi.* Unde liquet, ad malam fidem inducendam hôc casu necessariam esse scientiam impedimenti intercedentis, nec sufficere bonæ fidei supervenientem dubitationem; quòd hæc ignorantiam non tollat; cùm dubitans & ignorans regulariter æquiparentur, *l. De statu 15. ff. Qui test. fac. poss. & l. Manifestissimi 22. §. 2. C. de Furtis.* Confirmatur; quia, cùm, tali dubio stante, licitus justúsque sit conjugii bona fide contracti usus per tradenda *Tit. 21. n. 15.* justa etiam legitimáque erit proles illius usu procreata.

19. Si parentes de impedimento ab initio dubitassent & ad investigandum impedimentum debitâ diligentiâ non adhibitâ matrimonium iniissent, ex isto suscepta proles, impedimentô postea detectô, illegitima foret; propter malam fidem parentum, habentium ignorantiam solùm affectatam, quæ scientiæ æquiparatur, *c. Eos 2. V. Affectata, de Temp. Ordinat. in 6. & l. Nec supina 6. ff. de I. & F. I.* & proli quoad natalium justitiam non suffragatur, *c. fin. §. Si quis cit.* & *ibi* Doctores.

20. Dubium est quartò, de statu prolis, natæ ex parentibus obstrictis votô Continentiæ. Qua de re DD. variè sentiunt & loquuntur apud Sanchez *Lib. 9. de Matrim. disp. 38. n. 1.* Ego utendum censeo triplici distinctione, ex Voti, Statûs parentum, & Jurium differentia deprompta.

Et primò quidem, si prolis parentes sint soluti, ea utpote extra justas nuptias suscepta, secundùm omnes illegitima: &, si uterque vel alter tantùm Continentiæ votô solenni ligat⁹, spuria est: Si verò simplici tantũ votô alter vel uterque adstrictus fuit, Naturalis est, Molina *Tract. 2. de I. & I. disp. 167. n. 8. in fine*, & Guttierez *de Matrim. cap. 2. n. 24.* Ratio est; quia, si votum solenne, inhabiles: si verò simplex tantùm sit, habiles fuerunt ad matrimonium validè contrahendum, unde ea illegitimorum diversitas petenda est. Sicut ex soluto, ligato voto simplici, sic etiam ex parentibus, quorum unus vel uterque sponsalibus de futuro alteri obligatus est, natam prolem naturalibus, non spuriis, iidem accensent cum Covarruvia *p. 2. cit. cap. 1. n. 17.* 21.

Neque obstat; quòd harum prolium utriusque parentes à matrimonio inter se ineundo votô aut sponsalibus impediantur: & prior ex coitu sacrilego procreata sit; quia, licet votô & sponsalibus obstricti, matrimonium ineundô, Deóque vel homini datam fidem violandô graviter peccent: matrimonium tamen etiam sine prævia voti dispensatione aut sponsalium remissione inter eos validè initur, aut initum subsistit: quod; ut ex ipsis nata proles naturalis potiùs quàm spuria censeatur, sufficit, *arg. c. Tanta 6.* Guttierez *de Matrim. cap. 1. à n. 22.* Sanchez *Lib. 1. disp. 2. n. 8.* & Palao *Tract. 13. disp. 4. p. 1. §. 1. n. 2.*

Multò magis naturalis potiùs quàm spuria reputanda est proles, à Clerico beneficiato constituto in minoribus & à Religionis

ligionis novitio, durante anno probationis; susceptа ex muliere soluta, Pontius *Lib. 11. de Matrim. cap. 5. n. 5.* Ratio est; quia uterque habilis est ad matrimonium contrahendum & ad conversationem laicalem redire liberè potest: licet contractô matrimoniô iste Professionis spem, ille verò beneficium Ecclesiasticum ipsô Jure amittat, *c. 1. & c. Quod à te 3. de Cleric. conjug.*

22. Secundò, si parentes ligati, & alterius vel utriusque votum simplex est, ab iis susceptа proles legitima & capax est hæreditariæ successionis & Ordinum ac beneficiorum Ecclesiasticorum: ad quæ hujusmodi prolem sine ulla dispensatione admittit praxis Ecclesiarum, Azor *p. 2. Instit. Lib. 2. cap. 6. q. 8.* & Palao *cit. §. 1. n. 6.* Ratio est; quia ex nuptiis non putativè duntaxat, sed verè justis est procreata.

23. Tertiò, si ejusmodi parentum conjugatorum alter vel uterque obstrictus fuit votô Continentiæ solenni, sicut contingit, quando duorum conjugum unus cum alterius consensu ad sacros Ordines promotus, aut unus vel uterque Religionem professi sunt post matrimonium consummatum, ab ipsis procreatam prolem illegitimam, cum Hostiensi *in c. Dudum 20. de Conversi. conjug. n. 4.* Palæotus *de Nothis cap. 10. n. 4.* & Petr. Barbosa *in Rubr. ff. Soluto Matrim. p. 2. n. 7.* legitimam verò cum Ant. de Butrio *in c. Literas 14. de Filiis presbyt. n. 7.* & Panormit. *ibid. n. 4.* absolutè pronuntiant Azor *cit. q. 8. in fine*, & Majolus *Lib. 1. de Irregularit. cap. 4. n. 9.* Ego eam Civiliter, hoc est, quoad successionem hæreditariam cæteráque jura legitimis competentia secundùm leges Civiles pro legitima, cum Haunoldo *Tom. 1. de I. & I. Tract. 4. n. 120.* Canonicè autem, 24. sive quoad Ordines & beneficia Ecclesiastica pro illegitima habendam, existimo cum Suarez *de Censur. disp. 50. s. 2. n. 4.* & Sanchez *Lib. 9. disp. 38. n. 7. in fine.* Ratio prioris est; quòd proles, ex matrimonio verè justo, hoc est, valido & non dissoluto susceptа, ab hæreditaria successione & cæteris juribus legitimorũ nulla lege excludatur: posterioris verò; quòd, cùm ad Ordines & beneficia Ecclesiastica per viam tantùm dispensationis admittatur, *c. Literas cit.* ac proinde irregularis sit: eáque irregularitas ex solo & à paterna incontinentia proveniente natalium defectu oriatur, à sacris Canonibus illegitima reputetur. *Post consummationem*, inquam; quia, si matrimonium solummodo Ratum; ac proinde unius Professione fuisset solutum, *c. Verùm 2. & c. Ex publico 7. de Conversi. conjugat.* ex ipsis procreata proles omnino spuria foret, secundùm omnes.

Dubium quintò est, an legitima sit, 25. quæ nata est ex uxore, quam constat sæpius adulteriô fuisse pollutam. Casu quô, prolem ex adulterio susceptam, certum est; eò quòd maritum propter absentiam, impotentiam temporaneam, aliámve causam ei nunquam copulatum fuisse, constet; eam pro illegitima habendam, patet ex *c. Causam 4. & l. Filium 6. ff. de His, qui sui vel alien. jur.*

In casu autem dubio ea potiùs ex 26. marito quàm ex adultero nata & legitima esse præsumitur, *l. Miles 11. §. 9. ff. ad L. Jul. de Adult.* etiamsi in facie adultero, non marito, assimiletur, ut cum Menochio *de Arbitr. casu 89. n. 28.* Gutierez *Lib. 1. Q. Q. Canon. cap. 38. n. 30.* & aliis notat Barbosa *in c. Per tuas 10. de Probat. n. 3.* Ratio est; quia in dubio semper favendum proli & matrimonio, & universim benignior ac favorabilior præsumptio præferenda est, *arg. c. Estote 2. de R. I.* Quod adeò verum est; ut

est; ut filius, quem illegitimum esse, aliunde probari nequit, pro legitimo habendus sit, etiamsi pater & mater, eum ex adulterio conceptum esse, etiam in articulo mortis dicant, *c. Per tuas cit.* quòd aliàs facilè filio, quem oderunt, præjudicare, eique hæreditatem auferre parentes possent, Panormit. *in c. cit. n. 4. cit.* Menoch. *n. 27.* & Gaill. *Lib. 1. observat. 97. n. 8.*

27. Ob eundem prolis favorem legitimus censetur partus, à vidua post mortem mariti editus non solùm mense nonô, qui ordinarius est, sed etiam decimô, ut colligitur ex *l. Gallus 29. pr. ff. de Lib. & posth.* & argumentô à contrario ductô ex *l. Intestato 3.* §. 10. verbis, *Post decem menses mortis natus non admittatur ad legitimam hæreditatem, ff. de Suis & legit. hæred.* quia, hâc lege & *Novell. 39. cap. 2.* quibus natus undecimo mense post mortem mariti pro illegitimo habetur, non obstantibus, pluresICT.i & Medici apud Zacchiam *QQ. Medico-Legal. Lib. 1. Tit. 2. q. 6. à n. 3.* pro legitima habent prolem editam ab
28. initio, vg. secundo aut tertio die mensis undecimi à morte mariti saltem, si iste, cùm esset sanus, repente mortuus & mulier de incontinentia non sit suspecta, Menoch. *l. cit. n. 48.* Unde *l. Ab intestato & Novell. citt.* textus exaudiendi non sunt de undecimi mensis initio, sed de eo aliquousque jam progresso & adultiore, secundùm Haunold. *de I. & I. Tract. 4. n. 139.*

29. Eôdem modô partus, post initum conjugium & primam copulationem mariti octavô, imò etiam septimô mense editus, legitimus est, per expressos textus *l. Septimo 12. ff. de Statu homin. & l. Intestato cit.* §. 12. ubi, centesimô octogesimô secundô die, hoc est, septimi mensis initiô editum, justo tempore natum videri, asseritur.

Dubium sextò est de natalibus infantium expositorum: quos legitimè natis accensendos, ex benigniori DD. sententia statuetur *Lib. 5. tit. 11. n. 10.* 30.

Dubium septimò est, an proles nata ex matrimonio, in facie Ecclesiæ sed invalidè contracto, legitima respectu parentis utriusque sit etiam, quando alter fuit conscius impedimenti. Non quidem, quatenus id cedit in favorem prolis; hæc enim pro verè legitima habetur *c. Ex tenore 14.* cùm enim hæc nihil mali gesserit, optimo jure propter bonam fidem alterius parentis consequitur omnia jura legitimorum. Sed, quatenus id cedit in favorem parentis, malâ fide contrahentis; eatenus enim pro illegitima habendam; ac proinde ab ista præmortua ejusmodi parentem non aliud quàm à spuria consequi, cum Petro Barbosa *in l. Si cùm dotem 22.* §. *fin. ff. Soluto Matrim. n. 12.* existimant Augustin. Barbosa *in c. Cùm inter 2. n. 10.* & *ibi* Gonzalez *n. 6. in fine*, cum *cit.* Sanchez *Lib. 8. disp. 34. n. 46.* ne ex delicto suo & matrimonio malâ fide inito commodum reportet. 31.

Sed probabiliùs contrarium defendunt Cævall. *Practic. q. 697. à n. 16.* & latè Guttierez *Lib. 3. Practic. q. 74.* cùm; quòd ejusmodi proles *c. cit.* pro legitima habeatur sine exceptione ullius effectus legitimæ nativitatis: tum verò; quòd successio filiorum & parentum sit mutua; ut, quando filius succedit patri, etiam iste capax sit, ut filio succedat.

Neque adversatur; quòd sic pater commodum aliquod reportet ex delicto; quia id consequitur non tam ex proprio facto, quàm ex bona fide alterius contrahentis, & prolis favore, *arg. l. Cùm hæreditate 55. ff. de Adquir. hæred.* & non de-

non desunt aliæ pœnæ, quibus ejus iniquitas plectatur.

ARTICULUS II.

De Legitimatis Matrimoniô Parentum.

SUMMARIUM.

32. *Liberi naturales legitimantur matrimoniô parentum:*
33. *Etiamsi hoc solummodo ratum,*
34. *In mortis articulo,*
35. *Sine denuntiationibus, coram parocho tamen & testibus,*
36. *Cum persona, nobilitate, opibus &c. multùm inæquali, contractum,*
37. *Mediatum,*
38. *Aut putativum tantùm sit.*
39. *Eôdem prolem putativè naturalem legitimari, negantium,*
40. *Et affirmantium DD. benignior ac verior Opinio.*
41. *Eôdem, etiam mortuô patre, legitimantur nepotes:*
42. *Dummodo parentes ad conjugium tempore conceptionis,*
43. *Vel nativitatis prolis fuerint habiles.*
44. *Hanc legitimationem non impedit aliorum liberorum contradictio:*
45. *Ad eámque necessaria non sunt nuptialia instrumenta.*
46. *Eâ legitimati legitimè natorum jura omnia consequuntur,*
47. *Capaces evadunt Ordinum, beneficiorum &c. Ecclesiasticorum,*
48. *Et successionis hæreditariæ:*
49. *Cui non obstat prævia donatio omnium bonorum.*
50. *Iidem gaudent nobilitate parentum, iisque in Principatibus &c. succedunt.*
51. *Eos fratribus antè legitimè natis postponentium,*
52. *Et præferentium Opiniones:*
53. *De iisque sensus Autoris.*

EA legitimè initi fœderis nuptialis vis est; ut eô conjunctorum etiam antè illegitimè genitas proles legitimas constituat: dummodo hæ non fuerint spuriæ, sed naturales, earúmque parentes ad justas nuptias habiles seu Canonicô aliquô obstaculô non impediti, per famigeratum textum *c. Tanta 6.* quô Alexander III. Exoniensi Episcopo rescribens, *Tanta*, inquit, *est vis matrimonii; ut, qui antea sunt geniti, post contractum matrimonium, legitimi habeantur. Si autem vir, vivente uxore sua, aliam cognoverit, & ex ea prolem susceperit, licet post mortem uxoris eandem duxerit, nihilominus spurius erit filius & ab hæreditate repellendus.* 32.

Atque hôc & *c. 1. hâc Rubr.* relatô ejusdem Papæ rescriptô Constantini M. de solis liberis in concubinatu ex ingenua jam natis, non etiam de nascituris, à Zenone Imp. primùm restituta *l. Divi 5.* dein ab Anastasio & Justiniano Impp. *l. Jubemus 6. l. Si quis 10. & l. Nuper 11. C. de Naturalib. liber.* ad naturales, ex quibuscunque fœminis jam susceptas & in posterum suscipiendas, proles protracta Constitutio, Apostolicâ authoritate approbata & amplissimè recepta est adeò; ut inter ejusmodi parentes subsecutus matrimonii contractus ad tempus, quô proles nata aut concepta fuit, Juris fictione retrotrahatur; itáque, sublatâ maculâ & antecedentis turpitudinis vitiô purgatô, proles perinde habeatur, ac si ex matrimonio, inter parentes jam tunc inito, fuisset suscepta, Glossa *in c. Tanta*

Tanta cit. V. Legitimi, ubi Panormit. *n. 4.* Sarmiento *Lib. 1. Select. cap. 5. n. 8.* Pontius *Lib. 11. de Matrim. cap. 1. à n. 3.* & Palao *Tract. 13. disp. 4. p. 1. §. 2. n. 2.* Ratio id statuendi fuit favor liberorum & ipsius matrimonii. Illorum quidem; quia sic alienæ culpæ evadunt pœnam, & legitimè natorum jura consequuntur. Istius verò; quia illegitimè copulati ad legitimam sive matrimonialem conjunctionem amore liberorum alliciuntur.

33. Atque hæc liberorum legitimatio locum habet, quantumvis parentum matrimonium sit Primò solummodo ratum; quia illos legitimandi vis concessa est matrimonio: cujusmodi verè est, quod tantùm est ratum, Pontius *cap. cit. n. 16.* & Barbosa *in c. Tanta cit. n. 12.*

34. Secundò, coram proprio Parocho & testibus contractum à senibus, infirmis & constitutis in articulo seu proximis mortis; cùm enim à talibus inita matrimonia Jure subsistant, veri matrimonii effectus & antè susceptas proles legitimandi vim sortientur, Covarruvias *p. 2. de Sponsal. cap. 8. §. 2. n. 10.* & Pontius *cap. cit. n. 7.*

35. Tertiò, coram iisdem, sed denuntiationibus sine dispensatione & justa causa omissis, contractum à personis non laborantibus impedimento dirimente; cùm enim matrimonii ita initi valorem illarum temeraria omissio non impediat, *c. 1. & c. Tanta citt.* dispositioni locum relinquet, Sanchez *Lib. 3. de Matrim. disp. 44. n. 2.* & *cit.* Barbosa *n. 10.*

36 Quartò, à viro, vg. nobilitate, opibus, aliisque dotibus & qualitatibus præcellente, initum cum plebeia, paupere aut aliunde vili fœmina; cùm enim hujusmodi disparitas conjugii valori non obstet, etiam non impediet, quò minùs eô liberi naturales antè susceptí legitimi evadant, Covarruvias *cit. cap. 8. §. 2. n. 20.* & Fachineus *Controvers. Lib. 3. cap. 57.* & Palao *Tract. 13. disp. 4. p. 1. §. 2. n. 6.*

Neque contra hoc facit; quòd *Novell. 74. pr. V. Sed & aliud*, ex meretrice natus matrimoniô non legitimetur, cùm; quia hac in re sanctioni Imperiali prævalet Ecclesiastica *c. Tanta cit.* parentum nuptiis antè susceptas proles legitimandi vim ampliſſimam conferens, spuriis duntaxat exceptis: tum verò; quia *pr. cit.* textum de prole vulgò concepta & de meretrice, quæ an illam ex eo, cui postea nupsit, vel ex alio viro conjugato aut soluto conceperit, incertum est, exaudit & propter incertitudinem illam matris nuptiis non legitimari, cum Panormit. *in c. Innotuit 20. de Elect. n. 17.* tradit Jason *Vol. 2. Consil. 234. in fine.*

Quintò, mediatum, sive à prolis illegitimæ parentibus initum, mortuo conjuge, cui illorum alter post illam jam susceptam fuit legitimè copulatus, Panormit. *in c. cit. n. 3. citt.* Covarruvias §. *2. n. 14.* Pontius *n. 15.* & Barbosa *n. 7.* Ratio est; quia ad naturalis prolis legitimationem *cc. citt.* aliud non exigitur, quàm; ut ejus pater matrimonium ineat cum matre, quæ susceptæ prolis tempore potuit esse uxor: quod tali casu impletur. Unde ex tribus prolibus eorundem parentum prima & tertia legitima, secunda autem illegitima esse potest: quod contingit, cùm Titius vg. post primam prolem ex Bertha genitam matrimoniô jungitur Caiæ, eóque constante secundam prolem suscipit ex adulterino concubitu cum Bertha: postea verò, Caiâ mortuâ, tertiam ex eadem Bertha sibi legitimè copulatâ procreat. Hæc satis certa 37.

Dubium autem primò est de matri- 38.

monio putativo, in Eccleſiæ facie bona fide contracto; huic enim antè ſuſceptam prolem verè naturalem legitimandi vim cum Panormit. *in c. Tanta cit*, negant *citt.* Covarruvias §. 2. *n.* 20. Sarmiento *cap. 6. n. 2.* Molina *Tract. 2. de I. & I. diſp. 172. n. 11.* & noſtræ Univerſitatis inſigne decus Fachin. *Lib. 3. Controverſ. cap. 55.* eâ perſuaſi ratione; quòd *c. cit. pr.* ea vis non bonæ fidei, ſed ipſi matrimonio adſtruatur: id autem, quod eſt ſolummodo putativum, revera matrimonium non ſit, neque veniat ejus nomine ſimpliciter & propriè accepto. Cùm ergo legum verba accipienda ſint de eo, quod ſimpliciter & propriè denotant, *c. Inter corporalia 2. V. Sed neque, de Translat. Epiſc. & l. Non aliter 69. ff. de Legat. 3.* matrimonii nomine *c. Tanta cit.* veniet, quod ſimpliciter & propriè matrimonium eſt: non quod eſſe erroneò judicio exiſtimatur.

At non benignior duntaxat proli, ſed Juri quoque magis conſentanea eſt Opinio Pontii *cit. cap. 1. n. 13.* Palao *Tract. 13. diſp. 4. p. 1. §. 2. n. 4.* & Gonzalez *in c. Cùm inter cit. n. 6.* ejusmodi conjugio putativo antè genitas proles naturales legitimandi vim adſtruentium cum Ant. de Butrio *in c Tanta cit.* Molina ICTo *Lib. 3. de Primogen. cap. 1. n. 11.* Garcia *p. 7. de Benef. cap. 2. n. 30.* Suarez *diſp. 50. de Cenſur. ſ. 1. n. 30.* & celeberrimo Univerſitatis noſtræ Anteceſſore Caniſio *in c. Tanta cit. n. 2.* Ratio ſatis firma eſt; quòd, cùm ejusmodi matrimonium in Eccleſiæ facie & præviis denuntiationibus initum ea vi polleat; ut prolem legitimam producat, *c. Cùm inter & c. Ex tenore citt.* non ſit ratio, cur non etiam naturalem antè editam legitimam reddat: imò legitimandi vis neceſſariò etiam huic proſit; cùm, ut dictum, ad iſtius ſuſceptæ tempus fictione Juris retrotrahatur, *arg. c. Tanta cit.* ac proinde ſicut, ſi iſtius ſuſceptæ tempore inter parentes initum jam conſtitiſſet, prolem legitimam reddat.

Ex hac ratione planè ſubruitur adverſæ partis fundamentum; quia *c. Tanta cit.* matrimonii nomen largè accipi, eóque legitimandi vim eandem vero & putativo, bona fide in Eccleſiæ facie & præviis denuntiationibus inito, collatam, ex *c. Cùm inter & c. Ex tenore cit* eámque vim ad naturalis prolis ſuſceptæ tempus reduci, ex *c. Tanta cit.* junctâ Gloſsâ *V. Legitimi*, liquet.

Dubium ſecundò & celebris controverſia eſt, an parentum matrimonio legitimetur proles verè, aut etiam tantùm putativè naturalis, ſive nata ex parentibus laborantibus impedimento dirimente, quod uterque aut ſaltem alter ignoravit. Negativam enim tuentur graviſſimi TT. & ICT.i quos *cit.* Covarr. *n. 16.* refert & cum ipſo *citt.* Molina *n. 11.* Sarmiento *l. cit.* Fachineus *cit. cap. 55.* Garcias *n. 33.* & noviſſimè Haunold. *Tom. 1. de I. & I. Tract. 4. n. 13.* ſequuntur, propter generalitatem textûs *c. Tanta cit.* ſine ulla inter bonam & malam fidem diſtinctione legitimari negantis prolem, quæ, marito vivente, ex aliena, ac proinde ex perſonis ad nuptias reipſa inhabilibus eſt nata. Rationem reddunt; quòd, cùm quis dat operam rei illicitæ, non ejus opinio ſive exiſtimatio, ſed rei veritas inſpiciatur, *l. Eum qui 18. §. 3. ff. de Injuriis.* Cùm ergo ſoluta, ſe carnaliter cognoſci patiens, rei illicitæ operam det, rei veritas, ſcilicet quòd impedimentò vg. ligaminis ad matrimonium cum complice ineundum inhabilis ſit, inſpicietur, & quoad effectum legitimationis proles ſpuria cenſebitur, non naturalis: quod validè confirmant ex *c. fin. §. Si quis verò, de Clandeſt. deſponſ.* quò

textu filii ex matrimonio clandestino, inito in gradu prohibito, à parentibus istius ignaris geniti (non eorum opinione; sed, quod matrimonium contra Ecclesiæ prohibitionem clam contrahendô rei illicitæ operam darent, rei veritate inspecta) illegitimi pronuntiantur.

40. Huic tamen ita roboratæ Opinioni Negativæ Affirmativam, tanquam proli & matrimonio favorabiliorem, & magna etiam ratione nixam, cum Glossa *in c. Tanta cit. V. Aliam* & Hostiensi *in c. cit.* præferunt Tholos. *Lib. 10. Syntag. cap. & n. 4.* Sylvester *V. Filius, q. 8.* Canisius *in c. cit. n. 2.* Steph. Gratianus *Discept. cap. 83.* Pontius *cit. cap. 2. n. 8.* Palao *cit. p. 1. §. 3. n. 9.* & alii, hanc suam sententiam fundantes *in c. Cùm inter & c. Ex tenore citt.* ex quorum textuum decisione conjugum, imò eorum unius tantùm cum impedimento dirimente contrahentis, bona fides sufficit; ut ex ipsis nata proles legitima sit. Cur non sufficiat ad prolem per matrimonium postea initum legitimandam? quia copula respectu ejus, qui impedimentum ignoravit, non habet rationem adulterii, incestûs &c. ac proinde respectu ejus proles non est spuria, sed naturalis. Quæ ratio confirmatur; quia, si tempore copulæ matrimonium initum jam fuisset, proles propter bonam illorum fidem legitima fuisset, *c. Cùm inter & c. Ex tenore citt.* Ergo propter eandem bonam fidem legitimabitur per matrimonium postea initum; quia hoc ad susceptæ prolis tempus retrotrahitur, ut *in c. Tanta cit.* plerique notant, & adversarii non inficiantur.

In contrarium allata, licet contemnenda & levia non sint, sine difficultate tamen diluuntur. Textus quidem *c. cit.* quia malæ fidei ideo non meminit; quòd in tali copula mala fides, quando abfuisse non probatur, præsumatur adfuisse, ut notat Palao *cit. n. 9.* Ratio verò; quia in dante operam rei illicitæ veritas inspicitur in iis, quæ ex opere formaliter, non materialiter tantùm illicito oriuntur, *arg. can. Inebriaverunt, 15. q. 1.* quô textu Loth solius ebrietatis, quam formaliter admisit: non incestûs (materialiter duntaxat commissi) culpam dicitur contraxisse, Pontius *l. cit. n. 10.* Confirmatio denique desumpta ex §. *Si quis cit.* quia ignorantia impedimenti in clam contrahentibus vel non præsumitur, vel præsumitur esse tantùm affectata vel crassa & supina, juxta notata à Viviano *in §. cit.* & ipsô Barbosa *n. 10.* quæ scientiæ æquiparatur, *arg. l. Nec supina ff. de I. & F. I. & c. fin. de Constitut. in 6.* Glossa *in can. Turbatur 12. V. Omnis ignorantia 1. q. 4.* & Gaill. *Lib. 2. observat. 48. à n. 15.*

Dubium tertiò est, an, sicut mediatô matrimoniô, sic etiam mediatæ proles legitimentur sive, ut eodem sensu DD. passim loquuntur, an per matrimonium avi legitimentur nepotes ex filio naturali. Non quidem, isto adhuc vivente; quia eô ipsô; quòd ejusmodi matrimoniô legitimus evadat filius, legitimi procul dubiô etiam erunt nepotes ex ejus matrimonio nati: quibus, quò minùs respectu avi legitimorum jura consequerentur, paternorũ tantùm natalium defectus, ejusmodi legitimatione sublatus, obstabat. Sed, eô jam mortuô: quem avi matrimoniô legitimari, cum Baldo *in l. Benignius 18. ff. de LL.* & nonnullis aliis negat Ant. Gabriel. *de Legitimat. concl. 1. n. 52.* eâ ductus ratione; quòd avi matrimonio nepotes legitimentur dependenter à suo parente: per cujus personam, sicut avo conjunguntur, sic etiam ex istius matrimonio proveniens paterna legitimatio ipsis communicatur. 41.

Cùm ergo ipſorum pater jam mortuus avi matrimoniô non legitimetur, etiam non legitimabuntur ejus jam mortui nepotes; quia per medium, quod cum uno extremorum conjungi non poteſt, conjungi non poſſunt extrema, *arg. l. Sella 7. §. 1. ff. de Servit. præd. ruſtic.*

Sed meliùs, matrimoniô avi ex mortuo filio nepotem legitimari, defendunt *citt.* Covarruvias §. 2. *n.* 19. Fachineus *cap.* 56. Molina *diſp.* 172. *n.* 10. & Haunoldus *n.* 133. Rationem ſolidam & claram reddunt; quòd, ut dictum, avi matrimonium fictione Juris retrotrahatur ad tempus, quô ejus filius, nepotis pater, eſt ſuſceptus. Cùm ergo, ſi iſtius ſuſcepti tempore matrimonium inter avum & aviam nepotis jam conſtitiſſet, iſte fuiſſet legitimus, matrimoniô etiam poſt mortem patris ſui initô legitimus nepos non minùs erit, quàm fuiſſet, ſi, patre ſuo adhuc vivente, matrimonium initum fuiſſet. Confirmatur ex *l. Si filium 5. ff. de Grad. & affinib.* ſecundùm quam adoptatus in filium naturalis filii, jam mortui, frater cenſetur. Cur non etiam ob avi matrimonium legitimus evadat nepos, licet matrimonium contractum ſit poſt obitum patris? Ejus certè legitimationi non obſtat inhabilitas medii, ſcilicet patris; quia imprimis ſuppoſita ſui ex iſto procreatione, per quam conjungitur ſuo avo, ab iſtius matrimonio, cum concubina inito, legitimatio nepoti comunicatur immediatè, ut ex communi rectè notat Gonzalez *in c. Tanta cit. n.* 3. Deinde pater legitimationis habilis & particeps fuiſſet, ſi matrimonium ſuæ procreationis tempore, ad quod fictione Juris retrotrahitur, jam extitiſſet, Pontius *cit. cap.* 1. *n.* 25.

42. Dubium quarto eſt de tempore, quô parentes eſſe debent habiles ad contrahendum matrimonium; ut, hôc ſubſecutô, proles legitimetur. Sufficere, ſi tales ſint tempore conceptionis, quantumvis ob ſuperveniens impedimentum, vg. affinitatis, inhabiles ſint tempore nativitatis, communis ſenſus eſt DD. quia proles concepta, cùm de ejus commodo agitur, pro nata habetur, *l. Qui in utero 7. ff. de Statu homin.* ita enim ingenua eſt proles, edita à matre, quæ libera ſaltem fuit tempore conceptionis, *l. Et ſervorum 5. §. 2. ff. Eâdem Rubr. & pr. Inſtit. de Ingenuis.*

An ſufficiat, parentes ad matrimonium habiles fuiſſe tempore nativitatis, controverſia eſt; Baldus enim *in l. Paulus 11. ff. de Statu homin. citt.* Sarmiento *cap.* 5. Garcias *cap.* 2. *n.* 38. & Zacſius *ad hanc Rubr. n.* 18. id ſufficere negant: affirmant autem præter Interpp. & DD. alios *citt.* Covarruvias §. & *n* 2. Molina *diſp.* 172. *n.* 4. Guttierez *de Matrim. cap.* 72. *à n.* 6. Sanchez *Lib.* 8. *de Matrim. diſp.* 7. *n.* 10. & *cit.* Pontius *cap.* 3. *n.* 2. 43

Illi moventur textibus *c. Tanta cit.* ibi, *Si aliam cognoverit, & ex ea prolem ſuſceperit: l. Paulus cit.* quâ ex matrimonio (ob defectum conſensûs avi aut patris, Jure Civili ad valorem requiſiti, *l. Nuptiæ 2. ff. de Ritu nupt.*) irrito ſuſcepta proles pro illegitima habetur, licet, avô jam mortuô, ſit nata, & *l. Ex libera 6. C. de Suis & legit. liber.* quâ conceptus ex ſervo & libera pro ſpurio habetur, quamvis patris libertas ſuperveniat & natalibus reſtituatur.

Iſti verò ſuam & veriorem ſententiam deſumunt ex clariſſimo textu *l. Naper 11. C. de Natural. liberis*, circa cujus finem Imp. generaliter & ſine exceptione ait, *In quæſtionibus, in quibus de ſtatu liberorum eſt dubitatio, inſpiciendum tempus partûs vel conceptionis, prout id exigit favor & utilitas liberorum.* Idem apertiſſi-

apertissimè traditur *Novell. 89. cap 8.* verbis, *Tempus illud* (conceptionis vel partûs vel intermedium) *valere magis præcipimus, quod utilius sit nascenti.* Confirmatur paritate libertatis ; nam, ut proles ingenua sit, sufficit matrem conceptionis vel partûs tempore liberam fuisse, *l. Et servorum & l. Qui in utero citt.* Ergo etiam legitimabitur, si parentes ad matrimonium tempore conceptionis vel nativitatis (aut inter utramque mediô aliquô, *arg. l. Qui in utero cit. & §. 1. Instit. de Ingenuis*) ad matrimonium habiles fuerunt, ut cum *citt.* DD. arguit Palao *cit. disp. 4. p. 4. §. 3. n. 7.*

Neque enim aliud persuadent textus in contrarium allegati ; quia imprimis *c. Tanta cit.* illa solùm proles illegitima habetur, quæ, vivente propria uxore, ex alia non solùm concepta, sed etiam nata est; proles enim suscepta non dicitur ante nativitatem. Unde argumentô à contrario ductô infertur, natam, uxore non amplius vivente, ac proinde ex parentibus, saltem nativitatis tempore habilibus ad matrimonium, istô cum matre subsecutô, legitimari, ut iterum arguit *cit.* Palao *n. 5.* Deinde; quia *l. Paulus cit.* filius post mortem avi pro illegitimo habitus ideo fuit; quod non constaret de vero consensu, quô matrimonium, priùs invalidum, postea fuerit confirmatum, ut probè advertit Fachineus *cap. 50. cit.*

Minùs ad rem facit *l. Ex libera cit.* quia eâ agitur de filio, qui ex libera & servo (ad contrahendum verum matrimonium Jure Civili inhabilibus *l. Cum ancillis 3. C. de Incest. nupt.*) sicut conceptus, sic etiam natus est; quia *l. cit.* verbô *Conceptus* natum significari, ex Cuiacio observat Pontius *l. cit. n. 7.*

44. Dubium quintò est, an proles naturalis parentum matrimoniô etiam legitimetur, si isti & alii eorum liberi contradicant. Et istorum quidem contradictione illorum legitimationem non impediri de Jure Canonico, ex communi DD. sensu docent, *citt.* Covarruvias *n. 12. & 16.* & Molina *n. 5.* quia legitimatio est favor concessus ipsi matrimonio, *c. Tanta cit.* cui privatorum contradictio aut renuntiatio non potest prævalere, *c. Si diligenti 12. de Foro compet.* & *arg. l. Jus Agnationis 34. ff. de Pactis.* Idem spectatô Civili obtinere, aliqui negant ; quòd hôc Jure consensum filiorum ad legitimationem quamcunque requiri; ac proinde, his saltem invitis, eam non procedere, disertè habeatur *Novell. 89. cap. 11.* Huic tamen Juri dispositionem Canonicam prævalere, & in terris Imperii observandam, à DD. receptum, monent *citt.* Pontius *n. 22.* & Palao *§. 2. n. 10.*

Dubium sextò est, an ad talem legiti- 45.
mationem requirantur instrumenta nuptialia, quibus dos aut propter nuptias donatio constituatur. Non quidem iterum de Jure Canonico ; secundùm hoc enim ab illis, sicut valorem matrimonii, sic legitimationem non pendere, patet ex *c. Tanta cit.* istam matrimonio tribuente, nullâ ejusmodi instrumentorum aliarúmve solennitatum factâ mentione. Sed Civili, quô ea exigi, volunt *citt.* Covarruvias *n. 8.* & Fachineus *cap. 51.* eâ moti ratione; quod, licet aliàs hôc etiam Jure nuptiæ contrahentium consensu ineantur, *l. Nuptias 30. ff. de R. J.* cum ea tamen, quacum consuetudo priùs habita fuit, sine dotalibus instrumentis illas non contrahi, pateat ex *§. fin. Instit. de Nuptiis & Novell. 89. cap. 8.* verbis *Si quis igitur dotalia scripserit &c. justas esse nuptias, & filios vel præcedentes vel postea conceptos legitimos esse, scimus.*

Nihilominus, hôc etiam Jure ad legitimationem per matrimonium ejusmodi instrumenta necessaria non esse, defen-

dunt Donell. *Lib. 2. Comment. cap. 21. citt.* Pontius *cap. 1. n. 20.* & Palao, §. 2. *n. 8.* propter relatum *Novell. 89.* textum, quô nuptialia instrumenta, non magis ad legitimationem, quàm ad nuptias necessaria sunt. Cùm ergo necessaria non sint ad substantiam & valorem nuptiarum, *Novell. 74. cap. 4.* ibi, *Quia enim & antiquis promulgatum est legibus, & à nobis ipsis sunt hæc eadem constituta; ut etiam nuptiæ extra dotalia documenta ex solo affectu valeant & rectæ sint,* necessaria etiam non erunt ad valorem legitimationis: sed solummodo ad certiorem, sicut nuptiarum, sic etiam ex his provenientis legitimationis liberorum probationem, juxta *cit. Novellæ* Rubricam, quæ est, *De naturalium filiorum legitimatione,* Haunoldus *cit. Tract. 4. n. 124.*

46. Dubium septimò est, an filii naturales, subsecutô parentum matrimoniô, verè legitimi evadant. Ratio dubitandi oritur ex *c. Tanta cit.* verbis, *Legitimi habeantur*; nam Verbô *Habeantur* fictionem importari, notat Barbosa *Usufreq. dict. 130. n. 4.* Sed hac in re semper mihi placuit doctrina Covarruviæ *cit.* §. 2. *n. 30.* & Gonzalez *in c. Tanta cit. n. 4.* cum Fortunio Garcia in *l. Gallus 29. §. 5. ff. de Lib. & posthum. n. 270.* asserentium, eos à tempore matrimonii parentum verè & propriè: à tempore autem conceptionis vel nativitatis usque ad tempus initi inter illos matrimonii fictè quidem tantùm, sed ita legitimos evadere; ut legitimorum numero & nomine intelligantur, & verè legitimorum jura, specialiter non exceptis, omnia consequantur perinde, ut si ex matrimonio, inter parentes tunc constante, essent procreati, *Novell. 89. cap. 8. & in fine.*

Neque contra hoc facit verbum *Habeantur*; quia ita habentur authoritate Juris, à cujus conditore, utpote habente potestatem, prolata verba, *Legitimi habeantur,* æquivalent verbis, *Legitimi sint;* sic enim statutô expressa verba, *Pro civibus habeantur,* & *Cives sint,* esse paria idémque denotare, in *c. Tanta cit.* observant Panormit. *n. 4.* Alex. de Nevo *n. 4.* & Barbosa *n. 14.*

In specie ergo sic legitimati Primò 47.
capaces sunt sacrorum Ordinum, beneficiorum, officiorum & dignitatum Ecclesiasticarum quarumcunque, obtinendarum sine dispensatione, exceptô solô S. R. E. Cardinalatu, cujus incapaces redditi primùm sunt à Sixto *V. Constitutione,* quæ incipit *Postquam 1590.* publicatâ, Barbosa in *c. cit. n. 24. & 25.*

Secundò, capaces sunt hæreditariæ 48.
successionis respectu majorum suorum, atque etiam cognatorum lineæ transversæ, etiam in feudis, emphyteusi Ecclesiastica, fideicommisso; ut, sicut legitimè nati, excludant substitutum sub conditione, *Si* eô gravatus *sine liberis decedat, citt.* Covarruvias §. 2. *n. 27. & 30.* & Barbosa *à n. 17.*

Tertiò, tali legitimatione revocatur 49.
donatio omnium vel majoris partis bonorum, sicut supervenientibus liberis, juxta *l. Si unquam 8. C. de Revocand. donation.* habéntque sic legitimati querelam inofficiosi & rumpunt testamentum patris perinde, ut si post id jam conditum essent nati: atque etiam admittuntur ad retractum, Barbosa *l. cit. n. 27. & 29.*

Quartò, gaudent Nobilitate paren- 50.
tum, Tiraquell. *de Nobilit. cap. 15. n. 21.* hísque succedunt in Regnis, Principatibus & Majoratibus, qui expressè filiis ex legitimo matrimonio natis deferuntur; ut præferantur filiis postea natis ex iisdem parentibus matrimoniô jam conjunctis, *cit.* Barbosa *n. 22.* multis DD. relatis, excipiens casus, quibus in fundatione per matrimonium legitimati expressè excluduntur,

duntur, aut legitimè natis postponuntur, vel in illa de legitimo matrimonio natos admitti, pluries esset repetitum; ut, fundatorem quomodocunque legitimatos excludere voluisse, dubitari vix possit.

51. An naturalis, per parentum matrimonium legitimatus, in Majoratu & juribus Primogenituræ etiam præferendus sit fratribus, post ipsum quidem, sed ex legitimo matrimonio natis, antequam mortuâ eorum matre inter naturalis parentes matrimonium contraheretur, dubium &, sicut momenti, sic difficultatis minimè levis controversia est inter Tiraquellum *de Primogen. q. 134. n. 3. & 43.* Molinam *cit. disp. 172. n. 7.* Gaill. *Lib. 2. observat. 141. n. 3.* & Gonzalez *in c. 1. n. 9.* Negativam: & *citt.* Covarruviam §. 2. *n. 35.* Canisium in *c. Tanta cit. n. 3.* & Pontium *cap. 11. n. 9.* Affirmativam propugnantes.

Illi præcipuè nituntur geminâ ratione. Una est; quòd legitimè natis, eô ipsô; quòd priùs legitimi sint, jus prælationis in Majoratu absolutè quæsitum sit, antequam naturalis per parentum matrimonium legitimaretur: & jus illud subsecutum illorum conjugium non tollat; quia juri jam quæsito, si non exprimatur, à Principe non derogatur; ac proinde legitimatio in alterius, præsertim conjugii antè initi, præjudicium non retrotrahatur, *arg. Novell. 74. cap. 1. & 2.* Altera; quòd, cùm ad alicujus juris assecutionem requiruntur duo, is potior sit, in cujus persona duo illa priùs conveniunt, *arg. l. Quoties 15. C. de R. V.* eámque ob causam, cùm ad successionem & prælationem requisita nativitas & legitimitas priùs adsit in legitimè nato, quàm in legitimato, de Jure huic ille sit præferendus. Confirmatur à Molina *cit. n. 7. in fine*; quòd, si filius naturalis postea legitimè nato præferretur, uxor priùs ducta graviter decepta esset: &, si id futurum sciviſſet, in matrimonium, ex quo tantum suarum prolium præjudicium timere poterat, sæpe nunquam consensisset.

Istorum unicum & ex hactenus tra- 52.
ditis deductum argumentum est; quòd ex una, matrimonium ob singularem ejus favorem fictione Juris retrotrahatur ad tempus, quô filius natus est vel conceptus, & perinde habeatur, ac si eô tempore jam constitisset, & eô jam tempore iste ex legitimè copulatis natus fuisset: ex altera verò parte, si eô tempore matrimonium jam initum & filius natus fuisset, ex matrimonio postea verè initô procreatis fratribus indubitatè præferretur; & propterea ob matrimonii inter parentes postea contracti retrotractionem fratribus suis in Majoratu & aliis Primogenituræ juribus, specialiter non exceptis, absolutè sit præferendus. Declaratur argumentum & confirmatur; quia copula cum concubina, ex qua filius naturalis est genitus, subsecutô cum ea matrimoniô, fingitur fuisse conjugalis; ac proinde eâ procreatus filius fratres postea natos, sicut nativitate sive origine ex patre, cui est succedendum, sic & legitimitate, altero ad successionem requisito, præcedere Jure censetur.

Ex his Opinionibus in Praxi & tam 53.
judicandô quàm consulendô à priori Palao *Disp. 4. p. 1. §. 2. n. 17.* à posteriori verò Pontius *cit. n. 9.* asserunt, non recedendum. In puncto Juris ego probabilem utramque: posteriorem verò, sicut matrimonii favore, sic & rationis vi censeo potiorem, non obstantibus argumentis allatis pro priori; quia Imprimis legitimè nato non jus absolutum, sed spes solummodo prælationis quæsita est sub conditione, *Nisi priùs natus, initô inter parentes & ad sux conceptionis tempus retrahendô matrimoniô, spem illam elidat & acqui-*

& acquirat jus prælationis, ut *l. citt.* Canisius & Pontius contendunt; quia, cùm actus aliquis ad tempus anterius à Jure retrotrahitur, retrotractio illa cum omnibus qualitatibus fieri solet, *arg. l. Potior 11. ff. Qui potiores in pign.* & propterea retrotractô matrimoniô, etiam vis prolem legitimam reddendi censetur retrotracta. Deinde; quia neque prima uxor decepta, neque ejus filio Injuria illata dici valet, cùm; quòd huic Primogenituræ jura non competant absolutè, sed sub conditione: & auferantur ex dispositione Juris, à quo deceptio & injuria nemini infertur, *arg. l. Sacra 9. §. 3. ff de Divis. rerum:* tum verò; quia uxor sibi imputare debet; quòd Primogenituræ jura suæ proli pactis nuptialibus non confirmârit: quod in re, spectatô Jure & DD. sensu, dubia & controversa, cur fieri non potuerit, non apparet.

Excipiendi tamen sunt duo casus. Unus, quô res non ampliùs esset integra; quòd legitimè natus ex cessione patris ante naturalis priùs nati legitimationem jam sit in possessione Majoratûs aliorúmque jurium Primogenituræ; hôc enim casu locus esset *arg. l. Quoties cit.* ut rectè advertit Prænob. & subtilis D. Collega Dominicus Bassus *Decis. Justin. decis. 41. n. 7. in fine.* Alter, quô, ut jam monui, Majoratûs fundator per subsequens matrimonium legitimatos excluderet, aut eis legitimè natos, vellet præferri; cùm enim in ipsius potestate sit, ad successionem vocare, quos vult, legitimè natos præferre legitimatis, & hos omnino excludere potest, *cit.* Molina *n. 9.*

ARTICULUS III.

De Legitimatis Principis Rescriptô.

SUMMARIUM.

54. *Illegitimos legitimare potest Princeps supremus,*
55. *Ecclesiasticus & Secularis:*
56. *Et speciali Jure aliquando inferiores.*
57. *Princeps legitimat etiam spurios,*
58. *Ad effectus à sua potestate pendentes.*
59. *Non tamen id facit in præjudicium tertij,*
60. *Neque ad feuda & majoratus:*
61. *Nisi absolutâ potestate utatur.*
62. *Papa ad effectus politicos territorij sui temporalis,*
63. *Non etiam extraneos subditos legitimat:*
64. *Nisi in dubio de valore conjugij parentum,*
65. *Vel exigente bono Ecclesiæ spiritualis.*
66. *Papa legitimare potest, dispensandô in radice matrimonij:*
67. *Siquidem aliquod,*
68. *Et non Naturali vel Divinô,*
69. *Sed humanô tantùm Jure irritum præcessit:*
70. *Idque facere etiam potest mortuis parentibus,*
71. *Legem illud irritantem revocandô.*
72. *Ita tamen non facilè legitimat in præjudicium tertij.*
73. *Exprimenda in rescripto; ut legitimatio subreptitia non sit.*

JUstius beneficiô illegitimè genitos consequi jura legitimorum & natalibus restitui, Juris est omnino explorati; cùm id utroque Jure disertè proditum reperiatur, ab Innocentio III. *c. Per venerabilem 13. pr. hâc Rubr.* à Justiniano *Novell. 89. cap 9.* ibi, *Per nostrum rescriptum.* Jure non minùs clara est ratio; cùm enim liberi quidam illegitimi, 54.

timi, hoc est, sacrorum Ordinum, beneficiorum ac dignitatum Ecclesiasticarum, hæreditariæ successionis, officiorum ac munerum publicorum &c. incapaces redditi sint Jure solùm Positivo humano, Principis, istius conditoris, gratiâ etiam legitimari, & sacræ Ordinationis, beneficiorum, dignitatum, munerum & officiorum Civilium & Ecclesiasticorum capaces reddi valebunt, *arg. c. 1. de R. J.* Azor *p. 2. Instit. lib. 2. cap. 14.* & Pontius *Lib. 11. de Matrim. cap. 5. n. 1.*

55. Principis autem nomine hôc locô venit supremus, sive Ecclesiasticus, ut est solus Papa: sive Secularis, ut sunt Imperator, Rex, aut alia potestas in temporalibus non recognoscens superiorem; quia hi soli Jus abrogare eive derogare possunt, efficiendô; ut, qui sacris Canonibus, aut legibus Civilibus ad certos effectus redditi sunt inhabiles, ad eosdem habiles efficiantur, ut cum Baldo, legitimandi potestatem de Principi reservatis esse, monente in *l. 1. pr. C. de Jure aureor. annul.* & Panormit. *in c. Per venerabilem cit. n. 23.* docent *citt.* Azor *cap. 14. q. 5.* & Pontius *n. 1.*

56. Neque obstat; quòd illegitimi ab Episcopis &, sede vacante, à Capitulo habiles reddantur ad Ordines minores & ad beneficia simplicia, *c. 1. de Filiis presbyt. in 6.* eósque legitimandi potestas competat Comitibus Palatinis; quia ab Episcopis ad ejusmodi Ordines habilitantur per viam non legitimationis, eos natalibus restituendô; ut omnia legitimè natorum jura adipiscantur: sed per viam solius dispensationis, relaxandô Jus; ut unius tantùm vel alterius aut certorum quorundam lege vel canone illegitimis negatorum jurium capaces fiant, ut cum Panormit. *cit. num. 23.* monent Molina *Tract. 2. de J. & J. disp. 173. n. 7.* & Palao *Tract. 13. disp. 4. p. 1. §. 5. n. 1.* Comites autem Palatini, sicut & Apostolicæ sedis legati legitimandi potestate gáudent ex privilegio sive commissione supremorum Principum Ecclesiæ vel Imperii, sibi reservatam potestatem per eos exercentium, *arg. Reg. Qui facit 72. in 6.* & quidem non plenam, sed limitatam, juxta tenorem mandati sive rescripti Apostolici vel Imperialis: ultra quod ab ipsis acta nullius sunt momenti, *c. Dilecta 22. de Rescript. & l. Diligenter 5. ff. Mandati* Canisius *in c. Per venerabilem cit. n. 12.* & Pontius *cit. cap. 5. n. 16.*

Porro inter legitimationem, quæ 57.
Principis rescriptô, & eam, quæ parentum matrimoniô fit, bene notanda, eáque non una differentia intercedit.

Primò enim istorum matrimoniô soli naturales, *c. Tanta 6.* illius autem rescriptô etiam spurii & ex damnato, vg. adulterino, incestuoso, sacrilego coitu procreati, legitimantur, Azor *cit. cap. 14. pr.* licet ordinariè etiam à Principe legitimari consueverint soli naturales, *Novell. 74. cap. 1. & Novell. 89. cap. 9.*

Secundò, legitimatio per matrimo- 58.
nium, cùm hoc retrotrahatur & præcedentis copulæ carnalis vitium purget, introductas utroque: ea verò, quæ rescriptô Principis fit, si iste Ecclesiasticus, extra territorium temporale Papæ solo Canonico, sacros Ordines, prælaturas aliásque dignitates & beneficia Ecclesiastica respicientes: si verò Secularis sit, Imperiali tantùm Jure proditas & successionem hæreditariam, honores & munera publica secularia spectantes inhabilitates tollit, Covarruvias *de Sponsal. p. 2. cap. 8. §. 8. n. 15.*

Tertiò, parentum matrimoniô filiis 59.
naturalibus jura legitimorum prorsus omnia, etiam in feudis, majoratibus &c. succedendi (excepta sola habilitate ad Cardinalatum) tribuuntur; rescriptô autem & Ordinariâ potestate Principis legitimati, nisi aliud exprima-

tur, habilitati solummodo censentur ad ea, quæ non cedunt in præjudicium legitimè natorum; ideóque per se his tantùm deficientibus fieri solet, secundùm *Novell. citt.* cùm Principis rescripta generaliter ita exaudienda sint; ut aliorum jura non lædant, *l. Rescripta 7. C. de Precibus Imp. offer. & l. Nec avus 4. C. de Emancip. lib.* Haunoldus *Tom. 1. de J. & J. Tract. 4. n. 138.* Unde

60. Rescriptô & ordinariâ Principis potestate legitimatus, licet in bonis non tantùm parentis sui, sed etiam aliorum consanguineorum, tam ex testamento quàm ab intestato, succedat: atque aliorum legitimorum instar nullum dicere valeat testamentum, quô præteritur, & agere querelâ inofficiosi, §. *Sui autem 2 V. Quibus connumerari, Instit. de Hared. quæ ab intest. & cit. Novell. 89. cap. 3. 8. & 9. citt.* Covarruvias §. *8. n. 2. & 3.* & Molina *disp. 173. n. 24.* non tamen succedunt in feudo, Feud. *Lib. 2. Tit. 26.* §. *Naturales:* neque etiam in majoratu, ab alio antecessore instituto, & similibus juribus aliis, *citt.* Molina *n. 10.* & Pontius *cap. 11. n. 13.*

61. Dixi autem *Potestate Ordinariâ:* non Absolutâ; quia istâ uti volens Princeps legitimationis beneficium, tam spurio quàm naturali, cum incommodo & præjudicio alieno; ac proinde in feudo, majoratu &c. succedendi jus concedere potest, *l. Prætor ait 2. §. 6. ff. Ne quid in loco publico:* quod, licet facere non soleat, *arg. l. Interdum 2. in fine ff. de Natal. restit.* nihilominus, si facere velit, ejus potestatem in dubium vocare & factum improbare, instar sacrilegii habetur in *c. Per venerabilem cit. n. 11.* Quibus accedit Rota Romana, cujus à Farinacio *p. 2.* relata *Decis. 626.* à Gregorio XIII. Robertum Ducem Altempsium perinde, ac si ex vero conjugio natus fuisset, nullâque inter ipsum & ex legitimo thoro natos differentia intercederet, legitimatum habetur *n. 2.* Necessaria tamen hujusmodi legitimationis rescripto, ne subreptitium evadat, est clausula derogatoria, vg. *De gratia speciali:* quam aliásque prægnantes clausulas memoratæ legitimationis Altempsianæ Bullæ insertas, idem refert *cit. n. 2.* vel *De plenitudine potestatis* vel *Non obstantibus quibuscunque juribus*, aut si præjudicium sit grave, *Non obstante expressâ lege*, vg. *Novell. 89.* contrarium statuente &c. *citt.* Covarruvias *§. 9. n. 7.* & Canisius *n. 9. & 11. in fine.* Ubi

62. Dubium movetur, an Papa naturales & spurios legitimare queat ad successionem hæreditariam, ad honores, dignitates & munera merè temporalia. Non quidem in Patrimonio, ut vocant, D. Petri sive territorio, temporali ipsius jurisdictioni immediatè subjecto; cùm enim in hoc Principis, non solùm quoad spiritualia, sed quoad temporalia quoque supremi authoritate utatur, *c. Per venerabilem cit. pr. V. Id autem*, quoad successionem aliosque similes effectus non minùs in eo, quàm Imperator, Rex, aut quilibet alius supremus Princeps in Imperio, Regno vel alio suæ jurisdictioni subjecto territorio, ac proinde illegitimos quoscunque natalibus plenè restitutos habilitare ad successionem & dignitates ac munera etiam merè temporalia potest, *V. cit.* & *arg. l. Quæris 3. ff. de Natal. restit. & cit. Novell. 89. cap. 9.*

63. Sed extra territorium suum temporale, & quoad temporalia Imperatori, Regi, alteríve Principi vel Reipublicæ subjectos: quos, sive naturales sive spurii sint, ad successionem & similes effectus merè temporales à Papa legitimari regulariter non posse, cum Panormit. *in c. cit. n. 15.* Covarruvia *cit. §. 8. n. 43.* & aliis docent laudati Canisius *n. 5.* & Pontius *cap. 5.*

cap. 5. n. 8. suadétque ratio ; quia eorum inhabilitas ad successionem &c. ferè provenit ex dispositione Juris Civilis : quòd, cùm peccatum non nutrit, ejúsque observatio rectæ Ecclesiæ gubernationi & spiritualibus bonis non adversatur, abrogare, mutare, dispensandò relaxare, Papa non potest, *arg. can. Cùm ad verum 5. dist. 96. & c. Per venerabilem cit. §. Nam si, V. Rationibus igitur.*

64. Dixi, *Regulariter*; quia non desunt casus, quibus illos etiam ad hos effectus legitimare Papa potest : idque Imprimis in dubio de valore matrimonii, Ant. de Butrio *in c. cit. n.* 10. Covarruvias *cit. §. 8. n. 41.* & Gonzalez *in c. cit. n. 25.* id desumentes ex *c. Quod nobis 9. & c. Per venerabilem cit.* quò locò Papa ad Regis Franciæ filios natalibus restituendos e-

65. jusmodi dubiò fuit permotus. Deinde casu, quò ejusmodi legitimationem exposcit causa gravis necessitatis alicujus Regni vel provinciæ, vg. Religionis aliàs pervertendæ aut alterius boni spiritualis amittendi periculo exponendæ. Ita Panormit. *in c. cit. n. 25. citt.* Covarruvias *§. 8. n. 45.* & Molina *disp. 173. n. 14.* permoti *c. cit. pr. V. Quod autem* & Ecclesiæ praxi; sic enim Sancii Castellæ Regis filios naturales legitimatos ejúsque legitimationis beneficiò Ferdinandum patri in Regno successisse: idémque Regnum postea, abdicato Rege Petro, ab Henrico Comite spurio ejus fratre, eò fine ab Urbano V. natalibus restitutò obtentum, luculentus testis est Roderic. Sancius *Historiæ Hispan. p. 4. cap. 17.* Ratio est; quia Papa à Deo acceptam jurisdictionem habet ad gubernandam Ecclesiam & Religionis ac Justitiæ Christianæ bonum in ea conservandum & promovendum : cui jurisdictioni per accidens aliquando, cùm scilicet id ad Religionis aliorúmque spiritualium bonorum conservationem promotionémque necessarium est, indirectè etiam temporalia subjiciuntur, ut cum Panormit. *in c. Per venerabilem cit. n. 1. & 15.* Covarruvia *cit. §. 8. n. 45.* Molina *Lib. 3. de Primogen. cap. 20. à n. 10.* Garc. Mastrill. *Lib. 3. de Magistr. cap. 10. à n. 41.* Bellarmin. *Lib. 5. de Summo Pontif. à cap. 6.* Suarez *Lib. 3. Defens. Fidei cap. 16. n. 3.* & aliis id latè stabilientibus docent Sanchez *Lib. 8. de Matrim. disp. 7. n. 1. cit.* Pontius *cap. 5. §. 1. n. 6.* Barbosa *de Offic. Episc. p. 1. tit. 3. cap. 2. à n. 101. & in c. cit.* Vivianus *§. Nisi & §. Vel nisi,* Gonzalez *n. 19.* & Wagnereck *§. Temporalem, not. 1. &c.*

An eosdem illegitimos, temporali 66.
suæ jurisdictioni non subjectos, ad successionem &c. legitimare Papa valeat dispensandò in radice matrimonii, affectu quidem conjugali, sed cum impedimento dirimente & invalidè contracti; ut, impedimentò pro tempore, quò illud celebratum fuit, sublatò, matrimonium pro legitimè inito habeatur, ex eóque susceptæ proles legitimæ evadant, dubium & nominis momentíque maximi controversia est. In qua Affirmativam in *c. Per venerabilem cit.* Panormit. *n. 21.* Joan. Andr. *n. 30.* & Alex. de Nevo *n. 18.* Sylvester *V. Papa, q. 18.* Covarruv. *cit. p. 2. cap. & §. 8. n. 10.* Garcias *p. 7. de Benef. cap. 1. n. 4.* Guttierez *de Matr. cap. 84. à n. 20.* Sanchez *Lib. 8. de Matrim. disp. 7. n. 4.* & Pontius *cit. Lib. 11. cap. 5. n. 9.* Negativam cum Ant. de Butrio *in c. cit. n. 10* & nonnullis aliis defendunt Coninck *disp. 33. dub. & n. 4.* Perez *de Matrim. disp. 44. s. 5. n. 9.* secuti Molinam *Tract. 2. de J. & J. disp. 624. n. 3.* pro se allegantem Navarrum *Consil. 2. Qui filij legit.* ubi ait à Gregorio XIII. ejusmodi legitimationem denegatam cum addito, se dispensare non posse: & meritò, inquiunt *citt.* DD. quia Papa non potest facere, ut

matrimonium, quod fuit nullum, tale non fuerit; & consequenter, ut legitimè nata sit proles, quæ ex reprobato concubitu est procreata, fere sicut facere nequit, ut, quæ nata est ex fornicatione simpliçi, ex conjugio sit nata; quia, matrimonium *Esse nullum*, & *Non esse*, pro eodem reputantur, per ea, quæ *arg. l. Si duo 30. ff. de Testam. tutel.* tradit Flamin. *de Resig. Lib. 21. q. 8. à n. 34.*

Sed ratio ista non persuadet recessum ab Affirmativa: de cujus veritate & sensu, ut luculentiùs constet, multùm conferet distinctio inter tres casus.

67. Et quidem, si inter illegitimæ prolis parentes contractus matrimonialis nunquam intercessit, indubitatè locus non est hujusmodi dispensationi; cùm, deficiente matrimonii contractu, deficiat id, in quo dispensandô proles legitimari à Papa possit, ut cum Panormit. *cit. n. 21.* & Sylvestro *V. Legitimus, q. 8. d. 5.* advertit *cit.* Sanchez *n. 7.*

68. Pari modô, si matrimonium præcedens irritum fuit Jure Naturali aut Divino, vg. propter defectum consensûs, consanguinitatem in primo gradu lineæ rectæ, vel impedimentum Ligaminis, prolem ita legitimari à Papa non posse, cum *citt.* Interpp. & DD. docent *citt.* Sanchez *n. 8. & 10.* & Pontius *n. 8.* quôd, juxta dicta, Naturalis & Divini Juris impedimenta tollere; ac proinde conjugium ad effectum legitimationis cohonestare Papa nequeat.

69. Si verò præcedens matrimonium irritum fuit Jure solùm Ecclesiastico, puta propter affinitatis, consanguinitatis in tertio vel quarto gradu, voti solennis, aut aliud simile impedimentum, ex eo susceptam prolem, etiam ad successionem hæreditariam aliósque effectus temporales, à Papa, in matrimonii propterea nulliter contracti radice dispensante, legitimari posse, cum DD. pro affirmativa allegatis, defendunt Palao *Tract. 13. disp. 4. p. 1. §. 5. n. 8.* Barbosa *Vot. decis. Lib. 2. voto 27. à n. 1.* & Gonzalez *in c. Per venerabilem cit. n. 22.* id firmantes authoritate Curiæ Granat. & Rotæ Romanæ à Farinac. *p. 2. decis. 687. n. 8.* relatæ. Rationem unicam, sed solidam reddunt; quia, quòd proles illegitima sit, provenit ex sola lege Ecclesiastica, consanguinitatis, affinitatis & alia ejusmodi impedimenta introducente, aut veteri lege Divina aut ab humana potestate introducta recipiente & cum iis inita conjugia irritante; ejusmodi enim lege non latâ vel sublatâ, inter consanguineos, affines & similes personas inita conjugia valida, ex iisque susceptæ proles legitimæ forent. Cùm ergo Papa ejusmodi legem Ecclesiasticam revocare, abrogare, vel in ea respectu certarum personarum dispensare, ejúsque effectus non tantùm futuros, sed etiam præteritos tollere valeat perinde, ac si lata nunquam fuisset, ut patet ex *Clement. Unica, de Immunit. Eccles.* quâ à Clemente V. Prædecessoris sui Bonifacii VIII. Constitutio *c. Clericis 3. eâdem Rubr. in 6.* etiam quoad effectus præteritos, revocata est. Cùm, inquam, id Papa possit, etiam poterit, quoad effectum illegitimitatis & inhabilitatis ad sacros Ordines, Ecclesiastica beneficia & successionem, revocare legem, quâ ejusmodi impedimentum aliquod est introductum, vel eam respectu alicujus prolis parentum relaxare perinde, ac si nunquam fuisset lata, aut eos nunquam affecisset: quô factô inter eos initum matrimonium validum, ex eóque procreata proles legitima foret.

70. Atque hôc modô prolem non solùm, si ejus parentes vivant, sed eorum uno vel utróque jam mortuo legitimari posse, ex dictis inferunt *cit.* Sanchez *n. 6.* & Gonza-

& Gonzalez *n.* 23. quòd legitimatio per dispensationem in radice matrimonii, non tam in abolitione impedimenti, ut matrimonium ineatur, quàm in legis Ecclesiasticæ, quoad vim irritandi matrimonium & prolem illegitimam reddendi, revocatione consistat.

Neque obstat supra memorati Gregorii Papæ responsum; quia de eo non satis constat: &, si constaret, accipiendum esset de impotentia, ex causæ ad dispensationem sufficientis potiùs, quàm ex jurisdictionis defectu proveniente, Palao *cit.* §. 5. *n.* 9. & Barbosa *voto cit. n.* 31.

71. Non magis urget ratio; quia sic Papa non facit, ut matrimonium reipsa non fuerit nulliter contractum: sed dispensandò in radice nullitatis matrimonii, scilicet lege Ecclesiastica, revocat & tollit omnia damna ex Jure Ecclesiastico profecta, & prolem restituit in statum, in quo fuisset, si contracti matrimonii tempore lex Ecclesiastica matrimonium irritans non fuisset, Gonzalez *in c. cit. n.* 22. *in fine.* Neque hinc sequitur, ad temporalia legitimari à Papa posse prolem natam ex simplici fornicatione; quia istius ad illa inhabilitas principaliter oritur ex Jure Civili, quod relaxare Papa regulariter non potest, Palao *l. cit. n.* 8.

72. Hanc tamen in radice matrimonii nulliter contracti dispensandi & prolem legitimandi potestatem Papa exercere vix unquam solet in præjudicium tertii, vg. liberorum legitimè natorum, quibus aliàs hæreditas obveniret adeò; ut rescriptum legitimationis ad successionem bonorum subreptitium reputetur, si eô non exprimatur, patrem habere alios liberos, quorum portio per legitimationem diminuatur, Molina *cit. disp.* 173. *n.* 21. & Laiman. *Lib.* 1. *Tract.* 4. *cap.* 23. *n.* 19.

73. Eôdem rescriptô & pro ejus impetratione oblata supplicatione exprimendum est Primò, an legitimandus sit naturalis vel spurius: an ex incestu, sacrilegio, adulterio, eóque simplici vel geminato: ex incestu cum sorore, filia, nuru &c. ex sacrilego concubitu sacerdotis vel Religiosi, cum conjugata vel Moniali sit susceptus, *citt.* Panormit. *n.* 27. & Molina *n.* 28. Secundò, an filius naturalis, cujus legitimatio petitur, sine dedecore patris legitimari non valeat per subsequens matrimonium parentum, juxta *Novell.* 74. *cap.* 4. Azor *p.* 2. *Institut. Lib.* 2. *cap.* 14. *q.* 8. & 9. & Palao *cit. p.* 1. §. 7. *n.* 1.

TITULUS XVIII.

Qui Matrimonium accusare possint, & contra illud testificari.

SUMMARIUM.

1. *Arduitas accusationis matrimonialis.*
2. *De matrimonio:*
3. *Et de sponsalibus judex Ecclesiasticus cognoscit,*

4. *Si causa matrimonialis propriè:*
5. *Non, si talis impropriè sit:*
6. *Nisi in judicium veniat incidenter.*
7. *Propriè dictæ cognitio competit Episcopo,*
8. *Sede vacante, Capitulo,*
9. *Istiúsque & Episcopi Vicario generali:*
10. *Et speciali jure aliquando inferioribus.*
11. *Admatrimonii contractum impediendum quivis:*
12. *Ad divortium & conjugii dissolutionem ex impotentiæ,*
13. *Erroris ac metûs impedimentis solus conjux:*
14. *Ex propinquitatis &c. parentes, cognati &c.*
15. *Ex aliis causis alii agere possunt.*
16. *Quidam tanquam suspecti speciàliter non admittuntur.*
17. *Testes in causa matrimoniali aliquando sunt parentes.*
18. *Et impedimenti denuntiator:*
19. *Non etiam accusator & pecuniâ conductus.*

1. SAtis frequentes sunt conjugum & ipsorum conjugiorum Accusationes, spectantes illorum divortia aut istorum dissolutiones. Quæ, cùm ob præjudicii ex his timendi magnitudinem authoritate publica & circumspectione maxima pertractandæ sint, neque ad accusationes, neque ad perhibendum in iis testimonium indiscriminatim omnes semper admittuntur. Quinam autem Jure admittendi, & in quo etiam Foro ejusmodi causæ discutiendæ sint, præsentis Rubricæ & huic subjectorum textuum explanatio planum reddet.

2. Et causarum quidem Matrimonialium cognitionem definitionémque ad forum & judices Ecclesiasticos pertinere, Regula est, Catholicorum DD. qui ea de re scripserunt, omnium unanimi calculô approbata, Urbis & Orbis Christiani totius generali consuetudine recepta, decisione *c. Tuam 3. de Ord. Cognit. c. Lator 5. c. Causam 7. Qui filii legit.* & S. Synodi Tridentinæ PP. definitione stabilita *Sess. 24.* cujus de Sacramento matrimonii *Canon. XII.* est, *Si quis dixerit, causas matrimoniales non spectare ad judices Ecclesiasticos, Anathema sit.* Ratio clara est; quia matrimonium est res spiritualis; cùm sit unum ex septem legis Evangelicæ Sacramentis, à Christo Domino institutis, ut à memoratæ S. Synodi PP. *eâdem Sess. can. 1.* est definitum: de rebus autem & juribus spiritualibus in judicium deductas controversias pertractare, non Secularis, sed Ecclesiasticæ est potestatis, *c. Decernimus 2. c. Quanto 3. de Judiciis &c. Si judex 12.* ibi. *Ad judicem Ecclesiasticum (quia de re Ecclesiastica & spirituali est) cognitio pertinebit, de Sent. excommunicat. in 6.*

3. Eadem ferè ratio est causarum & quæstionum super sponsalibus ortarum, *arg. l. Oratio 16. ff. de Sponsal.* quia sunt mentio & repromissio, *l. 1. ff. de Sponsal.* sive mutua promissio futurarum nuptiarum, *can. Nostrates, 30. q. 5.* eâmque ob causam, quæ super sponsalibus de futuro moventur, matrimonialibus causis accensentur; cùm tangant matrimonium: quod quoquô modô tangentium causarum idem, quod ipsius, judicium est, *arg. c. Translato 3. de Constitut. & Clement. Dispendiosam 2. de Judiciis*, ubi Glossa *V. Matrimonii*, Anchoran. *n. 5.* Zabarella *n. 30.* & Felician. Oliva *de Foro Eccles. p. 3. q. 37. n. 3.*

4. Nomine autem causarum Matrimonialium propriè veniunt, quibus controversia & quæstio est de matrimonii & sponsalium natura, qualitatibus, contractu

ſtractu & benedictionibus nuptialibus: de conjugum & ſponſorum ex matrimoniali vel ſponſalitio contractu ortis juribus & obligationibus: de ſponſalium & matrimonii valore, & ex iſto orta prolium legitimitate: de ipſorum impedimentis, in his diſpenſationibus, ortáque ex iisdem ſponſalium vel matrimonii nullitate ac diſſolutione: de divortio, iſtiúsque modis, causísque & de matrimonii redintegratione &c. De quibus, iísque ſimilibus cauſis, ſicut condere leges, ſic etiam ortas controverſias definire, Eccleſiaſticæ eſt poteſtatis, per *cc. citt.*

5. Non etiam, quibus de dote & propter nuptias donatione, de hæreditaria ſucceſſione, alimentis & ſimilibus agitur; ſuper his enim motas quæſtiones; cùm de re temporali & politica ſint, ad forum & judices Seculares pertinere, ex communi DD. ſenſu docent Bellarminus *Lib. 1. de Matrim. cap. 32.* & Tannerus
6. *Tom. 4. diſp. 8. n. 166.* Niſi in propriè dictam vg. de matrimonii, propter detectum impedimentum dirimens, diſſolutione, vel divortio propter adulterium motam, & principaliter in judicium deductam matrimonialem cauſam incidant; hôc enim caſu, judicem Eccleſiaſticum, ſicut de matrimoniali principaliter motâ, ſic etiam de dotis, alimentorum &c. cauſis, in illam incidentibus cognoſcere ac pronuntiare de Jure poſſe, patet ex *c. 1. Qui filii legit. c. De prudentia 3. & c. Per veſtras 7. de Donat. inter vir. & uxor.*

7. Quantumvis autem de matrimoniorum impedimentis, ex his orta illorum nullitate, cæteríſque cauſis matrimonialibus propriè dictis cognoſcere & pronuntiare ſolius, non tamen cujuscunque judicis Eccleſiaſtici eſt: ſed, Jure ſaltem communi ſpectatô pertinet ad Epiſcopos, *c. Accedentibus 12. de Exceſſ. Prælat.* & S. Synodi Trident. *Seſſ. 24. cap. 20. V. Adhæc cauſa, de Reformat.* aliósque Prælatos, Epiſcopis non ſubjectos, & jurisdictionem quaſi Epiſcopalem in certo territorio & in ejus populum exercentes, Riccius *Deciſ. Curiæ Neapol. p. 4. deciſ. 184.* & Barboſa *de Offic. Epiſc. alleg. 84. n. 3.* &, ſede vacante, ad Capitulum, juxta *c. Veniens 7.* junctâ inſcriptione, *de Eo, qui duxit in matrim.* quia, illâ vacante, jurisdictio Epiſcopi Ordinaria ad iſtud tranſit, *c. His quæ 11. & c. Cùm olim 14. de Majorit. & Obed.* Pavinus *de Offic. & Poteſt. Capit. &c. p. 1. q. 10. n. 8.* Covarruvias *de Sponſal. p. 2. cap. 8. §. 12. n. 1.* Diana *p. 8. Tract. 4. Reſol. 22.* & Barboſa *alleg. cit. n. 4.* Earundem cau- 8.
ſarum cognitionem etiam Capituli, vacante, & plenâ ſede, Epiſcopi Vicario in ſpiritualibus generali, etiam ſine ſpeciali mandato, competere, ex communi & veriori ſententia dictum eſt *Lib. 1. Tit. 28. n. 45.* & patet ex *c. fin. de Cognat. ſpirituali & c. 1. de Frigid. & malef.*

Ex comiſſione vel privilegio alicubi, 9.
præſertim in amplioribus diœceſibus, de ejusmodi cauſis in prima inſtantia cognoſcit Officialis minùs principalis, & principali ſive Vicario Epiſcopi generali ſubordinatus, Archidiaconi & Vicarii foranei, quos Commiſſarios vocant: & ex alio ſpeciali jure vg. ex conſuetudine 10.
legitimè præſcripta etiam Prælati alii, ſecundùm Gloſſam *fin. in c. Accedentibus cit.* Ratio eſt; quia generaliter ea, quæ non Ordinis, ſed jurisdictionis Epiſcopalis ſunt, ut eſt talium cauſarum pertractatio, ab inferioribus Prælatis acquiri poſſunt, ſicut privilegiô, ſic etiam conſuetudine legitimè præſcriptâ, ut *in c. cit.* notant Ant. de Butrio *n. 2.* Panormit. *n. 3.* & Fagnanus *n. 3.*

Hodie tamen ad ejusmodi cauſarum cognitionem in Archidiaconis, Decanis &c. non

&c. non sufficit quadragenaria, ut quondam, *c. Auditis 15. de Præscript.* sed omnino necessaria est consuetudo vel potiùs præscriptio tanti temporis, cujus initii memoria non existit: quod à Congreg. Cardd. Concilii Trident. Interpp. declaratum, testes sunt Barbosa *in cap. 20. cit. n. 85.* & Fagnanus *in c. cit. n. 6.*

11. A Foro seu judice progredimur ad ipsam conjugum & conjugiorum Accusationem: quæ, juxta dicta, ob arduitatem suam non semper omnibus, aut iisdem est permissa. Quibus autem & quando ea Jure competat, ut planiùs constet, præ oculis habendus est finis, quem illa spectat.

Et imprimis quidem, si ea ad matrimonii nondum initi contractum inter aliquos, propter intercedens inter eos impedimentum, præsertim dirimens, impediendum tendat, ad accusationem vel potiùs denuntiationem impedimenti de populo generaliter omnes, qui ejus notitiam habent & de malitiosa denuntiatione suspecti non sunt, admitti: imò, si id probare valeant, ad illius manifestationem graviter obligari, ostensum est *Tit. 3. n. 14.*

12. Deinde, si agatur ad matrimonii legitimè jam contracti divortium, sive separationem conjugum quoad cohabitationem & thorum, ob alterius adulterium, sævitiam &c. ad agendum sive alterum accusandum solum conjugem innocentem admittunt *ad hanc Rubricam* Innocentius, Panormit. *n. 15.* & Canisius *n. 2.* & alii, id desumentes ex *c. Tuæ 5. de Procurat. c. Quemadmodum 25. §. Illud, de Jurejurando & c. Maritis 4. de Adult. & stupr.* Rationem reddunt; quòd divertendi jus principaliter ipsius favore sit introductum; atque idcirco injuriam sibi illatam conjugi saltem pœnitenti remittere valeat, *c. Si vir 3.* junctâ Glossâ *V. Debet, Rubr. cit. & can. Quod autem 32. q. 1.* Navarrus *Manual. cap. 22. n. 22. in fine* & *cit.* Sanchez *Lib. 10. de Matrim. disp. 13. n. 3.* Aliud esset, si reus non ad divortium, sed ad Canonicam vel Legalem adulterii pœnam infligendam accusaretur; tali enim casu ad adulterum ejus criminis accusandum; quòd crimen sit publicum, *c. Tuæ cit. §. Item lex Julia 4. Instit. de Publ. jud.* quilibet, dummodo mas & viginti quinque annis major sit, admitteretur, *l. Palam 43. §. 10. ff. de Ritu nupt. l. Si maritus 15. §. 6. ff. & l. 1. C. ad L. Jul. de Adult.* Honorius *ad hanc Rubric. n. 13.* & Harprecht *in §. Item lex Julia cit. n. 38.*

Demum, si ad matrimonii omnimodam dissolutionem ex impedimento dirimente agatur, opus est alterâ distinctione inter impedimenta. Primò enim, si id sit impotentia ex alterius conjugis frigiditate, arctatione &c. proveniens, ad matrimonii accusationem iterum soli conjuges admittuntur; quòd matrimonii dissolutio, quam ejusmodi accusatio spectat, ejus ferè solius interest: & conjux, si velit, impotenti cohabitare, saltem ut frater sorori possit, *can. Requisisti, 33. q. 1. c. Consultationi 4. & c. Laudabilem 5. V. Quodsi ambo, de Frigid. & malef.* Canisius *in Rubric. n. 2.* 13. Secundò, si impedimentum, ex quo ad matrimonii, tanquam invalidè contracti, dissolutionem agitur, sit error circa individuum personæ aut ejus conditionem, vel metus, accusationem ipsis tantùm conjugibus permissam, volunt *citt.* Canisius *n. 2.* Honorius *n. 8.* & Gonzalez *in c. fin. n. 3.* quòd, errore metúve cessante, actioni suæ renuntiare, & in matrimonium consentire denuo valeant, *can. Si quis ingenuus, 29. q. 2. c. Proposuit 2. c. fin. de Conjug. serv. & c. Insuper 4. hic.* 14. Tertiò, si impedimentum sit consanguinitas,

nitas, affinitas orta ex copula conjugali, aut publica honeſtas, primò omnium admittuntur parentes, & his deficientibus frater, ſoror & alii conſanguinei propinquiores, *c. Videtur 3. hâc Rubr. can. 1. & can. Notificamus, 35. q. 6.* Ratio eſt; quia genealogiam, ſive conſanguinitatis &, quæ ſecundùm iſtius gradus metimur, affinitatis ac publicæ honeſtatis impedimenta præ aliis parentes & poſt hos propinquiores conſanguinei ſcire ſolent ac poſſunt. Poſt hos demum etiam bonæ famæ, antiquiores & veraciores extranei admittuntur, præſertim è vicinia, utpote quibus ejusmodi propinquitas magis eſt nota, *citt. can. 1. & c. Notificamus*, Panormit. *ad hanc Rubric.* &
15. Caniſius *l. cit.* Quartò, ſi agatur ex alio quodam impedimento, non conjuges tantùm ſed alii etiam veraces & non ſuſpectæ fidei, qui impedimenti notitiam habent, & ab accuſatione aliàs non repelluntur, admitti poſſunt, præſertim ſi eorum interſit, ut colligitur ex *c. 1. de Ju, quæ vi metúsve causâ*, ubi matrimonium tanquam irritum propter impedimentum profeſſionis Religioſæ impugnârunt Monaſterii Prioriſſa & ſorores.

16. Dixi, *Fidei non ſuſpecta:* quales non cenſentur, atque idcirco tanquam ſuſpecti à conjugii accuſatione repelluntur Primò, qui id turpis quæſtûs cauſa accuſant ſive, qui pecuniâ ad accuſandum inducuntur, eámque exigunt; ut ab accuſatione deſiſtant, *c. Significante 5.* quòd falsò & malitiosè accuſare præſumantur, *can Prohibentur 14. pr. V. Alii propter turpem 2. q. 1. & l. Qui accuſare 8. ff. de Accuſat.* Gloſſa *in c. Significante cit V. Sôdem, ubi* Panormit. *n. 4.* & Pirrhing *ad hanc Rubric. n. 4.* Secundò, qui, cùm proclamationes ſive matrimonii denuntiationes publicæ fierent, impedimentum non manifeſtârunt; quòd, ejus manifeſtationem in tempus matrimonii jam contracti differendô, calumniosè accuſare præſumantur: niſi denuntiationes ob abſentiam, infirmitatem vel aliam juſtam cauſam ignorâſſent, vel in impedimenti, eô tempore ignorati, notitiam poſtea primùm ſe perveniſſe, fidem facerent propriô juramentô; hôc enim præſtitô, calumnioſæ accuſationis præſumptio ceſſaret ſaltem, ſi impedimentum per teſtes aut aliô modô verisimiliter probari poſſet, Barboſa *in c. cit. n. 8.* Tertiò, ea, quæ matrimonium ab initio quidem invita & gravi metu coacta contraxit: poſtea tamen carnalem copulam ſponte admiſit, *c. Inſuper 4. ubi* Barboſa *n. 3.* & Gonzalez *cit. n. 3.* quia per talem copulam matrimonium ratificatur, de Jure antiquo, *c. Is, qui fidem 30. de Sponſal. & matrim.* An etiam & quomodo Jure noviſſimo Tridentini *Tit. 3. à n. 33.* eſt explicatum. Quartô, qui id non perſonaliter præſentes, ſed abſentes per literas duntaxat accuſant, *can. Per ſcripta 2. q. 8. & c. Nobis 2. hâc Rubr.* quòd, ſi hoc accuſatoribus liceret (expeditiores forent calumnioſæ delationes: quæ, ut à judicio matrimoniali faciliùs excluderentur, accuſationes) licet earum libellum offerri, aut ſaltem à Notario exceptas in ſcriptis redigi, conveniat) ab abſentibus per ſolas literas fieri, ſummi Pontifices Stephanus & Clemens III. *can. & c. citt.* generaliter vetuerunt.

Teſtes adverſus matrimonium in Eccleſiæ facie contractum præ aliis admittuntur, qui impedimenti, illi ab accuſatore objecti, notitiam habere certiorem, & fidei non ſuſpectæ eſſe, præſumuntur, *c. Licet 47. de Teſt. & atteſt.* cujusmodi, licet pater in aliis filii cauſis fere non eſſe, *can. Si teſtes 2.* ibi, *Teſtis idoneus pater filio & filius patri non eſt*, *4.* 17.

q. 3. & l. Testes 9. ff. de Testibus, esse tamen ipse & cæteri consanguinei præ aliis censentur in causis matrimonialibus, saltem iis, quibus agitur de matrimonio, propter consanguinitatis, affinitatis vel publicæ honestatis impedimentum dissolvendo, *c. Videtur cit. & c. Quoties 5. de Test. & attest.* quòd non solùm, ut dictum, cognationis & affinitatis distantiam præ aliis nôsse, *can. 1. & c. 35. q. 6. & l. Etiam matris 16. ff. de Probat.* sed incestarum nuptiarum probrum in familia sua non toleraturi credantur, ut advertit Engel *ad hanc Rubr. n. 8.*

18. Eôdem modô, licet accusator sive actor in propria causa testis idoneus non sit, *can. Nullus 4. q. 4. l. Nullus 10. ff. & l. Omnibus 10. C. de Testibus*, eum tamen in causa matrimoniali saltem, cùm quæstio est de consanguinitate vel affinitate, admitti, volunt Innocent. & Præpositus *ad Rubr.* Sed probabiliùs istius testimonio locus eô solùm casu est, quô non accusator matrimonii, sed impedimenti solùm denuntiator est; hôc enim casu, si judex ex officio inquirat, ad testificandum de impedimento admittitur, qui id denuntiavit, *arg. c. In omni 4. de Test. & attest. & c. Cùm in tua 27. de Sponsal. & matrim.* ut *in Rubric.* Panormit. *in fine* & Canisius *n. 3.* advertunt.

Specialiter autem, sicut ab accusa- 19.
tione, sic etiam à testimonio contra matrimonium dicendo præter alios aliunde suspectos repelluntur, qui ad id faciendum vel omittendum pecuniâ inducuntur, *c. Sicut 29. de Test. & attest.* uti etiam, qui testimonium non propriâ voce, sed per literas perhibent absentes, *c. Nobis cit. can. Testes 3. q. 9. & l. Testium 3. §. 3. ff. de Test. & attest.* quòd veritatis à præsente obtinendæ spes major sit, quàm ab absente: cujus judex nec vocem audire, nec intueri vultum potest, Panormit. *in c. De testibus 29. de Test. & attest. n. 10.* & Vivianus *in c. Anobii cit.*

In pluribus tamen Germaniæ provinciis ex privilegio vel consuetudine Nobiles & Illustres personas ad testimonium dicendum non personaliter comparere, sed scriptas & obsignatas depositiones ab iis transmitti & admitti consuevisse, Testis est Gaill. *Lib. 1. observat. 101. n. 4.*

TITVLVS XIX.

De Divortiis.

IPsas nunc causas aggredimur, ex quibus Matrimoniales accusationes aliquando instituuntur: & ad conjugii legitimè initi, Rati, Consumatíque dissolutionem quoad ipsum vinculum vel, isto remanente, quoad thorum & cohabitationem pervenitur.

ARTICULUS I.

De Matrimonii Insolubilitate.

SUMMA-

SUMMARIUM.

1. *Matrimonium insolubile est.*
2. *Quô Jure variè sentiunt DD.*
3. *Veriùs insolubilitas Naturali quidem conformis:*
4. *Non tamen eô Jure,*
5. *Sed Divinô, sive à Deo matrimonium instituente,*
6. *In Paradiso constituta,*
7. *Et illi etiam rato collata est.*
8. *Ejus dissolutio aliquô modô est contra Jus Naturale.*
9. *Repudium, olim Judæis licitum.*
10. *Hodie neque ipsis, neque Paganis est permissum.*
11. *Neoterici, conjugia Heterodoxorum solubilia existimantis, Opinio,*
12. *Pro eáque deducta ratio,*
13. *Et illatio matrimonii Sacramento præjudiciosa.*
14. *Conjugii insolubilitati per se non obstat hæresis,*
15. *Neque intentio Sacramentum non conficiendi,*
16. *Neque error circa conjugii insolubilitatem.*
17. *Ei tamen obstat intentio conjugium solubile ineundi,*
18. *Hæretici ante obitum conjugis ad alia vota transire nequeunt.*
19. *Et, insolubilitatem contrahendô excluisse, non præsumuntur.*

1. MAjor vis ac firmitas est nuptialis, quàm contractuum cæterorum; cùm, licet istis inductæ obligationes facilè variéque tollantur, ex illo tamen ortum conjugale vinculum, neque mutuô consensu, sive contrariâ contrahentium voluntate, neque ullâ merè humanâ potestate dissolvi, omnino exploratum sit, ex sententia Æternæ Veritatis, *Quos Deus conjunxit, homo non separet*, Matth. *cap.* 19. *v.* 6. & ipsius matrimonii definitione, quâ id Maris ac fœminæ conjunctio, individuam vitæ consuetudinem retinens esse dicitur ab Alexandro III. *c. Illud* 11. *de Præsumpt.* & ab Imperatore §. 1. *Instit. de Patriâ potestate.* Ubi

2. Dubium & celebris controversia inter DD. primò est de Jure, à quo ea insolubilitas descendit. Quidam enim ex solo Naturali, solôve Divino: alii ex utroque Jure simul eam descendere, operosè satis contendunt. Alii inter matrimonia statuunt discrimen, & Consummati quidem in Naturale vel Divinum, aut utrumque simul: Rati verò insolubilitatem in Ecclesiasticum Jus refundunt apud Sanchez *Lib.* 2. *de Matrim. disp.* 13. *à n.* 4. & Pontium *Lib.* 1. *de Matrim. cap.* 12. *n.* 3. Mihi, quid in re ancipiti magis consonum veritati existimem, solitâ brevitate statuere, quàm singulas Opiniones illas prolixâ discussione persequi, lubet.

3. Censeo itaque primò, connubiorum insolubilitatem aliquô modô fundari in Jure Naturali. Neque, ut opinor, DD. Orthodoxorum quisquam est, qui id inficietur. Ratio est; quia, matrimonium ex sua natura exigit amorem mutuum conjugum, & tendit ad procreationem rectámque educationem prolis istiúsque institutionem Reipublicæ congruentem: ad quæ ipsius perpetuitatem insolubilitatémque plurimùm conferre, omnino est exploratum.

4. Censeo tamen secundò, perpetuitatem & insolubilitatem matrimonio non competere ex solo Jure Naturali, & seclusâ Divinâ ordinatione, ut cum *cit.* Sanchez *n.* 7. docent Coninck *disp.* 24. *à n.* 19. Perez *disp.* 20. *de Matrim. s.* 2. *n.* 4. & Pirrhing *ad hujus Lib.* 4. *Tit.* 1. *n.* 139.

n. 139. Ratio est; quia, si insolubilitas ei competeret ex solo Jure Naturali & ex ipsa sua natura, dissolutio matrimonii intrinsecè mala &, blasphemiæ, odii Dei, ac mendacii instar, nullâ concessione Divinâ licita evadere posset; quia Jus Naturale immutabile est, eóque illiciti actus ullo casu liciti evadere non possunt, *§. Sed & naturalia 11. Instit. de I. N. G. & C.* matrimonii autem dissolutionem omni casu illicitam esse, compertæ veritati repugnat; cùm ex concessione Divina in veteri, scriptô & uxori oblatô Repudii libellô, Deuteron. *cap. 24. v. 1.* in novo Testamento favore Religionis ac fidei Christianæ matrimonium etiam consummatum, 1. Corinth. *cap. 7. v. 15. c. Quanto 7. & c. Gaudemus 8. hâc Rubric.* ratum verò professione Religiosâ, quoad ipsum vinculum, dissolvatur, *c. Verùm 2. & Ex publico 7. de de Convers. conjug.* Accedit; quòd, spectatô præcisè Naturali Jure, non appareat ulla ratio efficax, cur ex gravissima causa vg. sterilitatis uxoris, lepræ aut alterius infirmitatis, debiti redditionem impossibilem aut difficillimam reddentis, illa dimitti à marito non possit. Quæ procul dubio causa est, ob quam sapientiæ rerúmque naturalium ac moralium investigatione cognitionéque clarissimi Gentiles uxorum repudia & divortia conjugiorum variis casibus permissa existimârint, ut de Cretensibus Aristoles *Lib. 2. Politic. cap. 8.* de Athenienſibus Alexander *Genial. dier. Lib. 4. cap. 8.* de Romanis Plutarchus *Problemat. cap. 13.* de Cicerone & Catone SS. Hieronymus *Lib. in Jovinian.* & Augustinus *de Bono Conjug cap. 18.* memoriæ prodidêre & de Platone ex ipsius *Lib. de LL. dialog. 11.* de VV. ICT.is ex *l. 1. l. Divortium 2. & l. fin. ff. de Divortiis & repud.* liquet.

Censeo tertiò, dictam matrimonialis vinculi indissolubilitatem à DD. *citt.* rectè referri in ipsum jus & institutionem Divinam: quâ conjugio per carnis copulam consummato, admirabilem illam unionem, quâ Verbum Incarnatum cum Ecclesia conjunctum est, significandi vis est collata, ex mente S. Augustini *Lib. de Bono Conjug. cap. 7. 15. 18. & 24.* conjugium insolubile esse, asserentis; quia est Sacramentum, id est, quia ex Divina institutione repræsentat unionem indissolubilem Christi cum Ecclesia per humanæ carnis assumptionem. Idem sensus apertè est Innocentii III. *c. Debitum 5. de Bigamis* & Bonifacii VIII. cujus *c. Unio de Voto in 6.* relatum in rem hanc palmare rescriptum est, *Matrimonij vinculum ab ipso Ecclesiæ capite, rerum omnium conditore, ipsum in Paradiso & in statu innocentiæ instituente, Unionem & indissolubilitatem accepit.* Atque hæc S. Ecclesiæ Doctoris & SS. Pontificum sententia fundatur in verbis Apostoli, *Sacramentum hoc magnum est: ego autem dico in Christo & Ecclesia,* Ephes. *cap. 5. v. 32.* & ipsius Servatoris, *Quos Deus conjunxit, homo non separet,* Matth. *cap. 9. v. 6.* quibus conjugii insolubilitas in jus & institutionem Divinam refundi, alter Ecclesiæ Doctor simul & supremus Antistes D. Gregorius ostendit, cùm ait, *Sunt, qui dicunt, Religionis,* id est, Religiosæ professionis, *gratiâ connubia,* consummata, *debere dissolvi. Verùm sciendum est, etsi hoc lex humana concessit, lex tamen Divina prohibet, per se enim veritas dicit, Quos Deus conjunxit, homo non separet, can. Sunt qui, 27. q. 2.* §.

Constituta ergo insolubilitas conjugiorum est in paradiso à Deo, humanorum corporum & membrorum absoluto domino, mari ac fœminæ ad prolis generationem per mutui juris in corpora §. sua trans-

ſua translationem ſe conjungendi facultatem concedente, eorúmque legitimæ conjunctioni inſolubilitatem, & inter Chriſtum atque Eccleſiam contractam inſolubilem Unionem ſignificandi vim tribuente. Quam doctrinam ſummatim complexa eſt ſacra & Oecumenica Synodus Florentina in Decreto unionis §. *Septimum:* ſicut & Tridentina *Seſſ. 24.* cujus principium eſt, *Matrimonij perpetuum indiſſolubilémque nexum primus humani generis parens Divini ſpiritûs inſtinctu pronuntiavit, cùm dixit: Hoc nunc os ex oſſibus meis, & caro de carne meâ, quamobrem relinquet homo patrem ſuum & matrem & adhærebit uxori ſuæ, & erunt duo in carne una*, Geneſ. *cap. 2. v. 23.*

7. Cenſeo quartò, non conſummato duntaxat, ſed rato quoque matrimonio eam, quam habet, inſolubilitatem competere ex Jure & inſtitutione Divina; ut neque mutuo contrahentium conſenſu, neque, ſeclusâ conceſſione Divinâ, ab humana poteſtate valeat diſſolvi, ut iidem DD. tradunt & clarè colligitur ex deciſione Gregorii IX. *c. fin. de Condit. appoſit.* ubi matrimonii ſubſtantiæ adverſari, ac proinde eius etiam contractum, quô à fidelibus legitimè initô matrimonium ratum inducitur, irritum reddere, aſſeritur conditio, *Donec inveniam aliam honore & facultatibus te ditiorem;* quòd coniugii perpetuitati repugnet, manifeſtô indiciô, illi etiam rato duntaxat competere inſolubilitatem. Idem etiam inſinuatur Geneſ. *cap. 2. v. cit.* ubi verbis, *Erunt duo in carne una*, denotantibus inſolubilitatem conſummati, præmittuntur verba, *Quamobrem relinquet homo patrem ſuum & matrem, & adhærebit uxori ſuæ.* Id ipſum liquet ex matrimonii definitione, quâ id eſſe dicitur, *Legitima conjunctio maris & fœminæ, individuam vitæ conſuetudinem continens, c. Illud* 11. *de Præſumpt.* quæ matrimonio prout à DEO inſtitutum eſt, & rato quoque convenit: non ſoli conſummato.

Cenſeo quintò, Divinâ inſtitutione §. ſuppoſitâ, matrimonii, tam Rati quàm Conſummati, diſſolutionem Juri Naturali adverſari, ut rectè aſſeritur à Coninck *disp. 24. dub. 2. n. 24.* & Perez *cit. ſ. 2. n. 6.* Ratio eſt; quia Juri huic utique adverſatur conceſſio uſûs rei alienæ dominô invitô, aut aliô modô, quàm ab illo eſt permiſſum. Cùm ergo corporis ac membrorum dominus & coniugii inſtitutor Deus illorum uſum ad actus ex ſe aptos ad prolis generationem in alterum transferri quidem, ſed non niſi per nexum inſolubilem permiſerit, ii, qui ſuorum corporum ad huiusmodi actus mutuum uſum ſolummodo temporaneum transferunt, illis aliter utuntur, quàm ab eorum domino eſt conceſſum. Unde

Infertur primò, matrimonium ex 9. inſtitutione ſua ita firmum eſſe; ut eius vinculum ſolvi nequeat authoritate alia quàm Divina: quâ eius diſſolutio, ab initio illicita, Judæis per Moyſen ex gravi cauſa permiſſa fuit, Deuteron. *cap. 24. v. 1.* iuxta illud Chriſti, *Quoniam Moyſes ad duritiam cordis veſtri permiſit vobis dimittere uxores veſtras*, ſcriptô hísque oblatô Repudii libellô: *Ab initio autem non fuit ſic*, Matth. *cap. 19. v. 7.* Ea etiam uxores repudiandi facultas, ſi non antè, à Chriſto ſublata & coniugium ad primævæ inſtitutionis ſuæ ſtatum eſt revocatum, *c. Gaudemus 8. §. Quin verò.*

Infertur ſecundò, Paganos &, poſt 10. promulgatam legem Evangelicam Judæos, quando poſt repudiatam uxorem primam aliámque ductam ad fidem converſi Baptismum ſuſcipiunt, hanc dimittere, & repudiatam recipere teneri, quòd cum iſta etiam à Judæo initum matrimonium inſolubile; ac proinde, quod primâ

vivente cum alia initum est, fuerit nullum: nisi tamen ista viro baptizato cohabitare simpliciter vel sine Creatoris iniuria nollet; hôc enim casu, eâ desertâ, cum secunda aliáve muliere aliunde non impedita matrimonium inire posset, *c. Quanto 7. & c. Gaudemus cit. pr. §. Qui autem.*

11. Dubium, momentique & præiudicii maximi controversia secundò est, an insolubilia sint conjugia à nostri temporis Heterodoxis inita inter se & cum Orthodoxis; ea enim rescissioni obnoxia esse, probabilitate non carere, non ita pridem censuit Doctor Orthodoxus apud Gobat *Experient. Tract. 10. n. 703.* & Lohner *Biblioth. Manual. Tit. 141. q.*

12. *40.* eâ ductus ratione; quòd Heterodoxorum conjugia non sint Sacramentum, sed contractus merè humanus; cùm contrahere non intendant matrimonium, nisi quod ipsi eorúmque secta agnoscit: ipsi autem cum secta sua tota matrimonii non Sacramentum, sed solum contractum humanum agnoscant. Rationi huic non leve robur inde accedit; quòd generali intentioni contrahendi matrimonium, prout à Christo Domino, ad Sacramentalem dignitatem id elevante, institutum est, & faciendi, quod in vera Ecclesia fit, prævaleat & contrahentium voluntatem determinet judicium particulare ipsorũ, per errorem existimantium, institutum à Deo & in Ecclesia receptum matrimonii solum & solubilem contractum; cùm tali certè voluntate à particulari suo judicio determinata à modernis Sectariis conjugia iniri, docet praxis Consistoriorũ hæreticorum, ad secundas nuptias transitum permittentium conjugibus, quorum consortes conjugalem thorum polluerunt adulteriô, vel ejuratis erroribus ad Ecclesiæ gremium sunt reducti.

Rationem hanc ita roboratam, & generali illi intentioni absolutam contrahentium voluntatem, particulari & erroneô judiciô determinatam, prævalere, memoratus Doctor confirmat, partim paritate cum aliis actibus voluntatis: quæ, licet intentione generali in bonum tantùm feratur, sæpe tamen & absolutè bono malum præfert, ab erroneo judicio particulari, generali illi intentioni prævalente, determinata. Quô prorsus modô intentioni generali, matrimonium divinæ institutioni & veræ Ecclesiæ doctrinæ conforme ineundi, prævalet à particulari & erroneo judicio de matrimonii solubilitate determinata particularis intentio conjugium solubile ineundi; cùm, si hæc illi non prævaleret, contra communem omnium sensum sequeretur, non dari ullos hæreticos materiales; quòd ex falsis motivis ortus assensus erroneus particularis non prævaleret, sed corrigeretur ab assensu generali & Orthodoxo, præstito omni veritati divinitus revelatæ; partim verò; quòd, si contrarium non probetur, matrimonium iniri præsumatur secundùm morem loci, in quo versantur contrahentes: moderni autem hæretici communiter matrimonium solubile inire intendant. Unde memoratus Doctor

Infert, conjugi hæretico Ecclesiæ 13. reconciliato ad alia vota transitum permitti posse præsertim, postquam consortem in hæresi perseverantem Heterodoxi Consistorii authoritate à nuptiali vinculo absolutum & alteri copulatum constat; quòd matrimonium antè initum invalidum fuerit ob defectum legitimi consensûs; cùm iste conjugii substantiæ seu bono Sacramenti contrarius eô ipsô fuerit; quòd contrahentes non Sacramentum, sed contractum duntaxat, eúmque solubilem ineundi habuerint intentionem, ut locum in eis habeat decisio *c. fin. pr. de Condit. apposit.*

Ut, an

Ut, an sic firmatæ Opinioni singulari pro eáque deductæ rationi aliquid, & quid tribui valeat, planiùs constet, propositam dubitationem non unâ, sed pluribus Resolutionibus expedio, &

14. Censeo primò, hæresin per se non obstare valori & insolubilitati conjugiorum, ut cum D. Thoma *in 4. dist. 31. q. unic. art. 1. ad 6.* sententia TT. constans, adeóque certa est; ut per se ab hæresi conjugium contrahendum dirimi, vel contractum quoad vinculum dissolvi, in Fide erroneum censeat Bellarm. *Lib. 2. de Concil. cap. 4.* Colligitur id ex *c. Quæsivit 2. hâc Rubr. & c. Decrevit 14. de Hæreticis in 6.* quorum locorum posteriori Bonifacius VIII. mulierem, quæ hæretico scienter nupsit, in delicti pœnam dote privat, conjugii valore intactò: priori & *c. Quanto 7. hâc Rubr.* conjugum alterò in infidelitatem vel hæresin lapsò, nuptiale vinculum dissolvi, negatur: idque ex causa hæreseos dissolvi non posse, à S. Synodo Trident. definitum est *Sess. 24. can. 5. de Sacram. matrim.*

15. Censeo secundò, conjugii sicut valori, sic & insolubilitati non obstare defectum expressæ intentionis conficiendi Sacramentum. Ratio est partim; quia, juxta dicta *Tit. 1. n. 161* inter fideles intentio celebrandi verum contractum matrimonialem Sacramentum sibi mutuò administrandi ac suscipiendi intentionem, post contractûs illius elevationem ad dignitatem Sacramentalem, includit: partim verò; quia rati & consummati fidelium matrimonii insolubilitas non provenit ex eo; quòd id sit Sacramentum, cùm; quòd ipsum etiam matrimonium ratum fidelium, quod Sacramentum est, solvatur professione Religiosa, *c. Verum 2. & c. Ex publico 7. de Convers. conjug.* & Apostolica etiam dispensatione, ut dicetur *à n. 39.* tum verò; quòd ab infidelitate conversorum & baptizatorum conjugia consummata omnino insolubilia sint, licet Sacramenta non sint, juxta dicta *Tit. 1. n. 167.* quale in satis probabili complurium magni nominis Doctorum sententia etiam non est matrimonium à fidelibus initum cum intentione non conficiendi Sacramentum: & tamen hoc, si consummatum sit, omnimodam habet insolubilitatem. Sed eorum insolubilitas provenit ex *Sacramento Fidei* seu Baptismi, ut aliis DD. *citt.* tradit Pontius *Lib. 1. de Matrim. cap. 15. à n. 3.* in eam rem allegans *c. Quantò cit.* ubi relatus Innocentius III. *Sacramento Fidei*, seu Baptismi, *ratum effici* ait *conjugij Sacramentum, ut ipsum in conjugibus illo durante perduret*; quia ex illo provenit; quòd matrimonium baptizatorum consummatum significet indissolubile vinculum, sive unionem Christi cum Ecclesia, ob cujus vinculi ex divina institutione acceptam perfectam significationem matrimonium fidelium consummatum omnimodam habet insolubilitatem, *c. Unic. pr. de Voto in 6.*

16. Censeo tertiò, conjugii valori & insolubilitati communiter non obstare errorem unius vel utriusque contrahentium, existimantium id certis casibus solvi posse: dummodo consensum suum ejusmodi errori non alligent, & habeant intentionem generalem contrahendi matrimonium validum, sive secundùm ejus institutionem Divinam veræque Ecclesiæ traditionem, & aptum ad legitimæ sobolis procreationem, Suarez *de Sacram. disp. 13. s. 2. §. Supereſt*, Lugo *de Sacram. disp. 8. n. 132.* Pontius *Appendic. de Matrim. Hæret. cap. & n. 9* Perez *de Matrim. disp. 14. s. 7. n. 5.* & Gobat *Experient. Tract. 10. n. 706.* quæ resolutio apertè fundatur in doctrina Apostoli Pauli, conjugi fideli consulentis; ut perseveret in coniugio

conjugio, inito in infidelitate, ſi infidelis ei cohabitare conſentiat, *1. Corinth. cap. 7. v. 12. & 13.* non obſcurô argumentô valoris & (extra caſum Divino Jure *cap. 7. cit. v. 16.* permiſſum) inſolubilitatis matrimonii, initi ab infidelibus: licet iſti, cùm id inirent, certis caſibus repudium legibus Romanis, *l. 1. l. Julianus 4. ff. de Divort. & l. Ex conſenſu 8. C. de Repud.* quibus Corinthii vivebant, permiſſum & uſu receptum, ſcirent, & ipſi exiſtimarent: quod Apoſtolus conſulere non potuiſſet, niſi matrimonium, privatô errore contrahentium non obſtante, validè initum judicâſſet; quòd contrahentium conſenſus & intentio ei, quô laborabant, errori non fuerit alligata. Eadem fundatur in reſcripto Innocentii III. *c. Gaudemus 8. de Divort.* cujus *V. Qui autem*, Vir, qui in infidelitate ſecundùm ſanctiones legales, primâ uxore repudiatâ, duxit aliam, Baptismô ſuſceptô, ad primam, ſibi abſque creatoris contumelia cohabitare volentem, redire cogitur: quod reſcribens Papa apertè ſupponit, matrimonium in infidelitate initum validum & inſolubile eſſe, licet errore initum ſit ab exiſtimantibus, repudium ſibi permiſſum. Ratio Apoſtolici tam conſilii quàm reſcripti & propoſitæ reſolutionis eſt; quòd ejusmodi erroneum judicium per ſe non impediat, quò minùs contrahentes habeant intentionem ſeu voluntatem generalem & efficacem verum, ſive inſtitutioni divinæ & Eccleſiaſticæ traditioni conforme, & ad legitimæ prolis procreationem habile conjugium ineundi: cujusmodi intentio virtualiter includit vinculi inſolubilitatem, ad veri divinæque inſtitutioni & Eccleſiæ traditioni conformis conjugii ſubſtantiam pertinentem, ex eáve promanantem.

17. Cenſeo quartò, conjugii valori & inſolubilitati obſtare expreſſam intentionem contrahendi matrimonium ſolubile, ſive divortium faciendi in caſibus inter Heterodoxos permiſſis ita; ut ſolubilitas habeat rationem conditionis *ſine qua non*: quod ſolùm evincit ratio deducta pro conjugiorum ab hæreticis inter ſe & cum Orthodoxis initorum ſolubilitate. Atque ita in terminis docent *citt.* Suarez §. *cit.* Lugo *n. 131.* Pontius *n. 10.* Perez *n. 5.* & Gobat *n. 707.* Ratio Reſolutionis per ſpicua eſt; quia talis intentio & conſenſus apertè repugnat ſubſtantiæ matrimonii, ſive ejus bono, quod dicitur Sacramenti: intentio autem & conſenſus repugnans ſubſtantiæ matrimonii iſtius contractum invalidum reddit, *c. fin. de Condit. appoſit.*

18. Cenſeo quintò, coniugibus hæreticis Eccleſiæ reconciliatis ad alia vota tranſitum etiam, poſtquam ipſorum uxores, vel mariti Heterodoxi Conſiſtorii authoritate aliis copulati ſunt, non permittendum: niſi in priùs inito contractu inſolubilitatem à ſe excluſam, vel coniugem hæreticum vitâ functum probent, ut obſervatur generali, tam veteri quàm moderna praxi Curiarum Eccleſiaſticarum, ab hæreticis inter ſe vel cum Catholicis inita & conſummata coniugia pro validis & quoad vinculum inſolubilibus, ex iisque ſuſceptas proles pro legitimis habentium; & propterea hæreticis Eccleſiæ reconciliatis novas nuptias ineundi facultatem ante coniugis in hæreſi relicti obitum nunquam permittentiũ: niſi, coniugiũ, propter dirimens aliquod præſertim naturalis, Juris impedimentũ vel legitimi conſenſûs defectum, irritum fuiſſe, conſtet. Ratio eſt partim; quia, iuxta dicta, 19. cum privato errore ſtare præſumitur generalis & efficax intentio, validum divinæque inſtitutioni veræque Eccleſiæ traditioni conforme, & ad legitimæ prolis ſuſceptionem habile matrimonium contrahendi,

trahendi, atque etiam Sacramentum conficiendi: partim verò; quòd in dubio matrimonio iam contracto favendum, & pro eius valore, & cum hoc coniuncta insolubilitate, pronuntiandum, Regula sit *c. fin. de Sent. & re judic.* ab omnibus recepta, adeóque constans; ut Opinionem unius classici Doctoris singularem, pro coniugii valore militantem, plurium eum impugnantium sententiæ, aperto Juris textui non innixæ, præferendam, cum Panormit. *in c. Si vir 2. de Cognat. Spirit. n. 3.* Alex. de Nevo *in Rubr. de Sponsal. n. 6.* Beroio *in c. 1. de Constitut. n. 27.* & aliis tradant Menoch. *Lib. 1. præsumpt. 71. n. 30.* & Gaill. *Lib. 2. observat. 94. n. 19.* quòd, si in eiusmodi dubio matrimonium dissolveretur, sæpe emergerent gravissima incommoda, & coniugum ad alia vota transeuntium, hísque de novo copulatorum animæ in gravissimum salutis discrimen conjicerentur, perpetuáque injuria inferretur Sacramento, ut eruditè advertit Gobat *cit. Tract. 10. n. 75.*

Pro coniugiorum, ab hæreticis inter se vel cum Orthodoxis initorum, solubilitate deducta speciem maiorem quàm vim habent; quia imprimis insolubilitatem matrimonii fidelium in Sacramentali eius dignitate non fundari: eíque privatum & erroneum iudicium contrahentium non obstare, iam est ostensum. Deinde; quia hæretici hôc ipsô; quòd matrimonium validum divinæque institutioni conforme & ad legitimæ prolis procreationem habile inire intendant, implicitè intendunt omnino insolubile inire, non obstante huic contraria praxi Consistoriorum Hæreticorum; quia ista certis casibus conjugia dissolvunt non tam; quòd contrahentes solubile ineundi habuerint intentionem: quàm quòd, ista inter fideles validè inita certis casibus solvi posse, per errorem existiment. Demum; quia alia ratio & vis est falsæ bonitatis in objecto apprehensæ, quàm erronei judicii de conjugii solubilitate; cùm bonitas illa voluntatem moveat ad appetendum, non etiam erroneum judicium hæreticos ad matrimonium contrahendum; quia hoc, etsi insolubile scirent, nihilominus inirent, tanquam remedium concupiscentiæ & conjunctionem necessariam ad legitimæ sobolis procreationem: &, si matrimonium insolubile inire nollent, id validè non inirent: atque etiam merè materiales hæretici forent, si ejusmodi judicium suum erroneum esse, inculpabiliter ignorarent.

ARTICULUS II.

De Dissolutione Matrimonii Infidelium.

SUMMARIUM.

20. *Infidelium conjugium solvi nequit:*
21. *Nisi conjugum uni converso alter simpliciter,*
22. *Vel sine Creatoris injuria renuat cohabitare:*
23. *Quô casu illud solvi potest favore Religionis.*
24. *Non etiam, si conjugum Apostatarum unus revertatur:*
25. *Quô tamen casu divortio est locus.*
26. *Infidelium conjugium non ipso discessu infidelis:*
27. *Sed, fideli aliud ineunte, dirimitur;*
28. *Ut aliud inire valeat etiam infidelis:*
29. *A quo, sine injuria cohabitante, recessus non permissus,*
30. *Ejúsque cohabitatio non semper periculosa est.*

21. Conversus etiam initiari Sacris, vel Religionem ingredi potest.
22. Matrimonium tamen nec sacri Ordinis assumptione,
23. Nec Religionis professione,
24. Nec Apostolica dispensatione solvitur.

20. INfidelium conjugia, etiam per carnalem copulam nondum consummata, utroque conjuge in infidelitate perseverante, neque mutuô contrahentium consensu, neque ullâ aliâ humanâ potestate solvi posse, ex dictis *n. 9.* certum & ratio perspicua est; quòd solvi nequeant à Papa; cùm istius potestas ad eos, qui Ecclesiam per Baptismi januam ingressi non sunt, non porrigatur; juxta illud S. Gentium Doctoris, *Quid enim mihi de iis, quæ foris sunt judicare!* 1. Corinth. *cap. 5. v. 12.* Neque etiam propriâ ipsorum contrahentium vel publica authoritate Seculari; cùm non constet, Principi aut alteri Magistratui infideli ea solvendi potestatem concessam à Deo, à quo matrimonium institutum, eique insolubilitatem collatam, *n. 5.* est demonstratum.

21. Ad Fidem autem Christianam conjugum unô duntaxat conversô solvi ipsorum conjugium, etiam quoad vinculum, potest duobus casibus. Unus est, quô in errore perseverans à converso ideò solùm, quòd iste Baptismum susceperit, discedit, eique renuit cohabitare, juxta *can. Simili 3. can. Uxor 4. can. Si infidelis 7. &c. 28. q. 1. c. Quantò 7. V. Nos igitur, hâc Rubric.* & hôc textu relatam decisionem Apostolicam, *Si infidelis discedat*, 1. Co-
22. rinth. *cap. 7. v. 15.* Alter est, quô, ille converso cohabitare quidem vult: at non sine contumelia Creatoris, vel directè nomen & fidem Christi Domini despiciendô, ejúsque laudes & domesticorum conversionem prohibendô, *c. Quantò cit. & c. Gaudemus 8. §. Qui autem*, vel saltem indirectè fidelem ad peccatum vg. latrocinii, lenocinii, aut alterius flagitii participationem inducendô, *cc. citt. can. Uxor 4. & can. Idololatria 28. q. 1.*

Neque obstant verba Christi, *Quos Deus conjunxit, homo non separet* Matth. *cap. 19. v. 6.* quorum generalitate etiam infidelium matrimonia consummata comprehendi videntur; quia relatis casibus matrimoniale vinculum non dissolvitur Jure & authoritate humana, sed ex privilegio & dispensatione Divina: cujus, favore fidei & Religionis à Christo concessæ,
23. omni exceptione major testis est Apostolus *cap. 7. cit.* ut cum Abulensi *in Lib. 1. Reg. cap. 8. q. 32.* S. Bonaventura *in 4. dist. 39. q. & art. 2.* Soto *dist. cit. q. unica, art. 4.* Henriquez *Lib. 12. cap. 13. n. 5.* Petr. Ledesma *de Matrim. q. 59. art. 5. concl. 4.* & aliis observant *cit.* Sanchez *disp. 74. n. 4.* Palao *Tract. 28. disp. 7. p. 2. §. 6 n. 3.* & Perez *Disp. 26. de Matrim. §. 4. n. 5.*

Hujus tamen favoris fidei ea vis non est; ut etiam duorum conjugum fidelium,
24. ad Paganismum vel Judaismum transeuntium, unô ad Christianam fidem redeunte, alterô verò in perfidia & errore perseverante, & illi, vel simpliciter, vel sine Dei contumelia cohabitare renuente, converso jus tribuat alterius conjugii cum alio fideli ineundi, per textum & DD. *in §. Si verò alter cit.* cùm enim illorum
25. matrimonium propter susceptionem Baptismi ratum, & carnali copulâ perfectum jam sit; ac proinde insolubilem Unionem Christi cum Ecclesia perfectè significet, *c. Debitum 5. de Bigamis*, nullo etiam Fidei favore dissolvi quoad vinculum ampliùs potest, Barbosa *in c. Quantò cit. num. 5.* & *ibi* Canisius *n. 1.* Dico, *Quoad vinculum*; quia ejusmodi Apostasiâ in fide permanenti causam di-

vortii ju-

vortii justam præberi, patet ex *c. fin. de Convers. conjug. & c. De illa 6. hâc Rubr.* Canisius *in c. Quantò cit. n. 2.* & Barbosa *in c. De illa n. 2.* Hæc satis certa.

26. Dubium autem primò est, an eô ipsô, quòd infidelis fideli, vel simpliciter vel sine Creatoris contumelia, cohabitare renuat, eorum conjugium dirimatur. Ratio dubitandi est; quia tali casu novum conjugium cum fideli iniri à converso validè nequit antè priùs initi dissolutionem: fidelis autem aliud conjugium inire potest à tempore discessûs prioris conjugis infidelis; ut adeò cum isto initum, ipsô ejus discessu, videatur dissolvi, sicut *in c. Quanto cit.* cum Glossa *V. Qui relinquitur*, voluerunt Innocentius, Hostiensis *n. 3.* Panormit. *n. 7.* Goffredus *ad hanc Rubric. n. 7.* & Abulensis *l. cit. quæst. 30.* id desumentes ex *can. fin. 28. q. 2.* ubi relatus S. Ambrosius, ait, Contumeliâ Creatoris solvi jus matrimonii circa eum, qui relinquitur.

27. Sed verius est, cum infideli iniri matrimonii vinculum antè non solvi, quàm conversus matrimonium ineat cum alio fideli ita; ut contractus unius, alterius dissolutio sit: quòd satis clarè traditur *c Gaudemus cit.* cujus §. *Super quô* asseritur, per Sacramentum Baptismi conjugia non solvi: deinde §. *Quod si statuitur*, maritum remanente uxore conversum, si, istâ simpliciter, vel sine Creatoris contumelia, cohabitare renuente, aliam non duxit, ad illam postea conversam recipiendam compellendum, manifestô indiciô prioris vinculi matrimonialis nondum dissoluti, nec dissolvendi antequam conjugium ineatur cum Fideli, ut cum S. Thoma *in 4. dist. 39. q. unic. art 5.* Sylvestro *V. Matrimonium 8. q. 10. d. 6.* Navarro *Manual. cap. 22. n. 49.* &c. docent *cit.* Sanchez *disp. 75. num. 4.* & Valentia *p. 4. disp. 10. q. 1. p. 7.*

Rationis contrariæ vis jam est enervata; sicut enim corruptio generationem, sic etiam prioris conjugii dissolutio naturâ antecedit coalitionem posterioris.

Neque urget *c. cit.* textus aut, quâ iste nititur, doctrina Apostoli *cit. cap. 17. V. 15.* asserentis, *Fidelem ob discessum infidelis servituti*, hoc est, prioris conjugii vinculo, *non esse subjectum*; quia, illius discessu subjectio tolli, & Dei contumeliâ jus matrimonii solvi, dicitur; quòd ab isto recedendi, & aliud ineundi facultas converso fiat: non, quòd matrimoniale vinculum ipsô factô sit dissolutum, ut rem hanc explicat Barbosa *in can. fin. 28. q. 2. n. 5.* si enim hoc statim & ipso discessu solveretur, aliud conjugium inire ab ipso discessu posset uterque: & non solùm is, qui relinquitur seu fidelis; ac proinde, si infidelis statim aliud iniret, hoc validum foret: quod à nemine admitti, testis est *cit.* Sanchez *disp. 75. n. 4.*

28. Quantumvis autem, priusquam aliud conjugium ineat conversus, alii nubere infideli non liceat, argumentô à contrario ductô ex *can. fin. cit.* eô tamen, quô antè ligabatur, per conjugis conversi nuptias dissolutô, ad novas nuptias transitus permissus etiam ipsi est, non solùm, si ad fidem postea etiam ipse convertatur: sed etiam, si in infidelitate perseveret, ut cum Glossa *in can. cit. V. Et in matrimonium* & Abulensi *in cit. cap. 8. q. 127.* contra D. Thomam *cit. art. 5.* defendunt Henriquez *Lib. 11. cap. 8. n. 5.* & Sanchez *cit. disp. 77. n. 6.* cùm; quòd à novo matrimonio prohibitus nullo Jure reperiatur; tum verò; quòd novum conjugium inire, conjuge mortuô possit secundùm omnes alicujus nominis DD. Cur non etiam conjuge converso conjugium aliud cum fideli ineunte; cùm priùs initi cum ipso matrimonii vinculum, sicut morte, sic etiam novis ejusmodi nuptiis dissolvatur.

29. Dubium secundò est, an, alterò converti quidem renuente, sed tamen conversò conjugi sine ulla contumelia Creatoris cohabitare volente, iste nihilominus ab infideli recedere & matrimonium aliud inire valeat cum fideli. Quod cum Gratiano post *can. fin.* §. *Hîc distinguendum*, 28. q. 2. Glossa & Panormit. *in c. Quanto cit. n. 6. & 7.* affirmant *cit.* Sanchez *disp. 74. n. 9.* & Rebellus *de Oblig. Just. Lib. 3. q. 10. s. 2.* id desumentes partim ex Concilii Toletani IV. *can. 62. can. Judæi*, 28. q. 1. relatô, ubi mulieri Judææ ad fidem conversæ cohabitatio cum viro, in Judaismo perseverante, prohibetur: partim verò; quòd, hodie saltem, infidelium animi ita obstinati sint; ut, sicut conversionis ipsorum, sic & cohabitationis sine Creatoris contumelia stabiliendæ, nulla spes, & manifestum periculum sit pervertendi conjugis & huic famulantium domesticorum; ac proinde locus *arg. text. suprà citt.*

Sed meliùs id negat D. Thomas *cit. art. 5.* cum Ant. de Butrio in *c. Gaudemus cit. n. 3.* Hostiensi *ibid. n. 13.* quos Sylvester, Navarrus & Valentia *ll. citt.* sunt secuti. Moventur authoritate Apostoli *cit. cap. 7. v. 12. & 13.* recessum ab infideli tali casu non concedentis; quòd iste *Per conjugem Fidelem quodammodo sanctificetur.* Idem non obscurè supponit Innocentius III. *c. Quanto & c. Gaudemus citt.* recessum ab infideli non permittens: nisi, cùm iste prior discedit, aut ejus cohabitatio conjuncta est cum contumelia Creatoris.

Neque contrarium persuadet authoritas Concilii Toletani; quia hoc non Universale, sed solummodo Provinciale est: neque de omnibus infidelibus, sed de solis Judæis loquitur: imò de istorum duntaxat uxoribus, quibus, ob specialem ejus Sectæ pervicaciam, perversionis majus periculum imminet à maritis, Barbosa *in can. cit. n. 1.*

30. Non major vis est rationis; quia teste Palao *cit. p. 2. §. 3. n. 10.* etiam hodie Æthiopes & Indi neophyti conjugibus infidelibus minori suæ perversionis & ruinæ spiritualis periculô, quàm illorum convertendorum spe solent cohabitare. Et si, ut ferè cum Judæo marito, sic etiam cum aliis infidelibus cohabitatio istorum convertendorum spem exiguam, & fidelis pervertendi morale periculum afferre animadverteretur, fideli ab infideli converti nolente, ad Creatoris injuriam, quæ meritò semper timeretur, avertendam, recessus permittendus esset, ut cum *cit.* Sanchez & aliis, ab isto *n. 9.* relatis, volunt Pontius *Lib. 7. de Matrim. cap. 48. n. 12.* & *cit.* Barbosa *n. 5.*

31. Dubium tertiò est, an conjugum infidelium unô conversô, & alterô propterea ei cohabitare renuente, matrimonium etiam solvatur, Ordine sacro assumpto, vel professione Religionis, editâ à converso.

Certum est, ab isto, de infidelis pertinacia certo, illos licitè assumi, iisque assumptis coniugium non instaurari, quantumvis postea etiam alter convertatur: sicut non instauratur, quando post divortium, ob uxoris adulterium legitimè factum, eiusmodi status assumptus est à marito, ut cum S. Thoma *q. cit. art. 5.* & aliis docet *cit.* Sanchez *disp. 76. n. 6.*

32. An hujusmodi statûs assumptione matrimonii vinculum dissolvatur; ut infidelis aliud matrimonium inire validè possit, controversum est inter DD. illud enim professione, & ipsa etiam sacra Ordinatione dirimi, apertè docent S. Bonaventura *in 4. dist. 39. q. 2. art. 1.* Major *dist. cit. q. unica, V. Ad aliud* & nonnulli alii. Consentit ex parte aliqua, & ex alia dissentit

sentit *cit.* Sanchez, conjugiũ illud Religionis professione, non etiam sacri Ordinis assumptione dirimi defendens *n. 9. & 11.* Rationem reddit de professione; quòd, cùm matrimonium à converso initum & solummodo ratum, matrimoniô infidelium consummatô fortius sit; quia non solùm contractus, sed verum Sacramentum est: & in infidelitate contractum & consummatum dissolvendi vi polleat, vis hæc etiam adstruenda sit professioni Religiosæ, utpote dirimenti matrimonium fidelium Ratum, *c. Verùm 2. & c. Ex publico 7. de Convers. conjug.* juxta tritum illud, *Si vinco vincentem te, multò magis vinco te, l. In accessionibus 14. §. 3. ff. de Divers. temp. præscript.* De sacro Ordine; quòd, huic infidelium conjugia casu aliquo dirimendi vim competere, non exprimatur à Jure, nec ratione evincatur.

33. Sed veriùs ex ratione hac, sicut sacro Ordini, sic & professioni Religionis eam vim competere, cum Abulensi *in 1. Reg. cap. 8. q. 68. & 74.* meritò negant Coninck *disp. 26. dub. 5. n. 65. citt.* Pontius *Lib. 9. cap. 4. n. 19.* Palao *§. 3. n. 12.* & Perez *disp. 36. de Matrim. s. 8. n. 2.* quorum doctrinam à matrimonio infidelis sive ad fidem conversi rato ductum argumentum non infringit: partim; quia huic cum infideli antè initum & consummatum dirimendi vis à Deo collata est; ne infidelis post conversionem suam & susceptum Baptismum, vel à matrimonio abstinere, vel in priùs inito perseverare cogatur cum contumelia Dei & suæ salutis periculo. Quæ ratio in eo, Religionem professo, cessat: partim verò; quòd vis dirimendi matrimonium infidelium consummatum, matrimonio rato collata, sicut & vis dirimendi matrimonium fidelium ratum, indulta professioni Religionis, sint privilegia singularia, & à communibus Regulis exorbitantia: singularium autem & exorbitantium extensio facilè admittenda non sit, nisi fortiter probetur *arg. Reg. Quæ à Jure 28. in 6.* Joan. Andr. *in c. 1. de Temp. Ord.* Accedit; quòd fideli, sicut susceptio Ordinis sacri, sic etiam Religionis ingressus permissus non sit, nisi conjuge infideli priùs monito: &, si infidelis, illô Novitiatum jam ingressô, convertatur, iste nondum professus ad regrediendum & redintegrandum cum illo matrimonium obligetur, ex doctrina *cit.* Sanchez *n. 3. & 7.* ad quorum neutrum obligatur, qui Religionis Novitiatum auspicatur post matrimonium ratum, ut rectè advertit *cit.* Perez *n. 3. in fine.* Unde iste argumento ex *l. De accessionibus cit.* deprompto locum esse negat in iis, quæ proveniunt ex diverso Jure: sicut est vis dissolvendi matrimonium infidelium jam consummatum, quæ fidelis conversi matrimonio rato Divinô: & vis dissolvendi matrimonium fidelium ratum, quæ Religiosæ professioni Ecclesiasticô Jure collata est, juxta dicta *Lib. 3. Tit. 32. n. 14;*

Dubium quartò est, an conjugum infidelium conversorum matrimonium post susceptum Baptismum, & ante huic supervenientem illius novam consummationem dissolvi valeat authoritate Papæ. Affirmat id laudatus Sanchez *Lib. 2. disp. 17. n. 2.* eâ persuasus ratione; quòd dispensatione solvi queat matrimonium fidelium ratum: cujus firmitas major est, quàm matrimonii infidelium consummati. Sed meliori ratione id negant *citt.* Coninck *n. 66.* & Pontius *Lib. 9. cap. 2. n. 8.* quia illorum matrimonium, susceptô Baptismô, jam est matrimonium ratum & consummatum; ac proinde Christi cum Ecclesia conjunctionem indissolubilem jam repræsentat, *c. Debitum 5. de*

Bigamis; ut ullâ potestate humanâ solvi amplius non possit.

Neque aliud evincit ratio allata in contrarium, cùm; quia ex dissolutione rati non oriuntur incommoda, quibus obnoxia est dissolutio consummati: tum verò, quia matrimonium validum semel consummatum insolubilitatem habet à Deo: à quo ejus solvendi potestatem Ecclesiæ concessam, aut ab ista aliquando usurpatam, non constat.

ARTICULUS III.

De Dissolutione Matrimonii Fidelium Rati.

SUMMARIUM.

35. *Matrimonium hoc non est omnino insolubile.*
36. *Solvitur professione Religionis:*
37. *Cui parem vim dispensationi Apostolicæ aliqui negant,*
38. *Nec levibus argumentis persuasi.*
39. *Melius alii concedunt,*
40. *Sive authoritas,*
41. *Sive ratio spectetur.*
42. *Significatio matrimonii Consummati & Rati.*
43. *In isto Papa, justâ causâ poscente,*
44. *Et potestate extraordinaria dispensat.*
45. *Referuntur variæ causæ justæ:*
46. *Quibus deficientibus dispensatio non subsistit.*
47. *Tertius modus matrimonium Ratum solvendi est mors.*

35. MAtrimonium hoc, licet præter vinculum ortum ex contractu, rationem etiam habeat veri ac propriè dicti novæ Legis Sacramenti, secundùm Tridentinum *Sess. 7. & 24. utrobique can. 1.* omnimodam tamen insolubilitatem non habet; quòd ex institutione Divina, non omnino insolubilem, quæ inter Christum & Ecclesiam ex humanæ carnis assumptione orta est: sed eam tantùm conjunctionem sive unionem significet, quæ fundatur in Charitate, atque inter Deum & animam justam intercedit, *c. Debitum 5. de Bigamis.*

36. Et ejus quidem vinculum solenni Religionis professione dissolvi, Catholicorum DD. certa sententia est: patétque ex decisionibus *c. Verùm 2. c. Ex publico 7. de Convers. conjug. Extravag. Antiquæ* Joan. XXII. *de Voto* & definitione S. Synodi Tridentinæ *Sess. 24.* cujus *Canon. VI.* est, *Si quis dixerit, matrimonium ratum, non consummatum, per solennem Religionis professionem alterius conjugis non dirimi, Anathema sit.* Qua de re *Lib. 3. Tit. 32. à n. 1.* est actum.

37. An etiam solvi valeat dispensatione Papæ, dubium & controversia gravissima est; ejus enim vinculum istâ solvi posse, negant Scotus *in 4. dist. 31. q. 1.* & S. Bonaventura *ibid. dist. 27. q. 2. art. 3.* quos Turrecremata *in can. Sicut qui dicunt 27. q. 2. art. 3. n. 5.* Alex. de Nevo *in c. Tuas 5. de Sponsi. duor. n. 14.* Covarr. *p. 2. de Sponsal. cap. 7. §. 4. n. 13.* Guttierez *cit. cap. 17. n. 12.* & præter alios VV. ex RR. secuti sunt Pontius *Lib. 9. de Matrim. cap. 8. n. 3.* & Palao *Tract. 28. disp. 3. p. 8. §. 2. n. 3.*

38. Moventur primò; quòd conjugium Ratũ dissolvendi facultas in ullo Juris textu vel Ecclesiæ traditione non fundetur, eíque perspicuè adversetur *can. Hi qui 32. q. 7. c. Ex parte 14. de Convers. conjug. & c. Licet 3. de Sponsa duorum:* quorum locorum primò Nicolaus Papa conjugia ob furorem, amentiam, aliámve infirmitatem sol-

tem solvi, inficiatur. Alterò consultus Innocentius III. Archiepiscopo Lugdunensi respondit, *Quòd, ex quo matrimonium inter legitimas personas per verba de præsenti contrahitur, illis viventibus, in nullo casu possit dissolvi &c. Nisi fortè secus fieret ex revelatione divina.* Postremò Alexander III. reprobat judicium Prædecessorum, pronuntiantium pro secundo matrimonio, quod post primum, cum una ratum, cum altera initum fuit & per carnalem copulam consummatum.

Secundò exemplis cæterorum Ecclesiæ Universalis Antistitum antiquorum, à quibus conjugii rati vinculum aliquando relaxatum, non constat: imò, ab Innocentio VIII. pro conjugii nondum consummati relaxatione supplicanti, id se non posse, disertè responsum, testis est Panormit. *in c. Ex publico 7. de Convers. conjug. n. 14.*

Tertiò; quia, si Papa in fidelium conjugiis nondum consummatis dispensare posset, in eo cum infidelibus sibi subjectis dispensare etiam valerent Principes Gentiles; cùm circa contractus, cujusmodi eorum matrimonium ante consummationem est, non minùs, quàm circa fidelium contractus Papa, possint.

Quartò; quia etiam ratum matrimonium insolubilitatem suam habet ex Jure Divino; cùm de eo etiam procedant verba, *Quos Deus conjunxit, homo non separet*, Matth. *cap. 19. v. 6.* eámque ob causam matrimonium hoc iis, inter quos contractum est, viventibus, ut alter ad secunda vota transeat, dissolvi sine Divina revelatione non posse, asserat sui ævi Theologorum facilè princeps & saluberrimorum Canonum Ecclesiasticorum conditor Innocentius III. *c. Ex parte cit.* In Divino autem Jure dispensare Papa non potest, *can. Sunt quidam 6. can. Statutum 7. &c. 25. q. 1.*

Quintò; quia propterea Papa dispensare nequit in matrimonio consummato: à quo ratum non nisi accidentaliter differt; cùm commercium carnale ad matrimonii integritatem, non ad essentiam pertineat. Ita isti &, si ratio Jurisque textus solummodo spectentur, satis verisimiliter.

Iis tamen non obstantibus, in matrimonio rato dispensandi potestas firmanda est Papæ: eámque isti cum Innocentio *in c. Ex publico cit. in fine* & *ibi* Ant. de Butrio *n. 16.* Anchorano *n. 9.* Panormit. *n. 14.* S. Antonino *3. p. tit. 11. cap. 21.* Navarro *Manual. cap. 22. n. 21.* Sylvestro *V. Divortium, q. 4.* Brunello *de Sponsal. concl. 1. n. 11.* & aliis antiquioribus adstruunt Bellarminus *Lib. 2. de Monach. cap. 38.* Suarez *Tom. 3. de Relig. Lib. 6. cap. 17. n. 21.* Lessius *Lib. 2. de I. & I. cap. 40. n. 146.* Petr. Barbosa *in Rubr. ff. Soluto matr. p. 2. n. 103.* Sanchez *Lib. 2. de Matr. disp. 14. n. 2.* & ab hoc allegati alii præcipui nominis ac notæ Interpp. ac DD. quibus novissimè accessit Gobat *Experient. Tract. 10. n. 691.* asserens, contrarium sine Sedis Apostolicæ contumelia defendi jam non posse, postquam in ejusmodi conjugiis dispensatum est à Paulo III. & Pio IV. ter quatérve ad instantiam unius Navarri, ut *l. cit.* ipse refert: à Gregorio XIII. una die undecim ejusmodi conjugiorum vincula relaxante, teste Henriquez *Lib. 11. cap. 8. n. 11.* in Glossa *lit. F.* ab Innocentio X. præmissâ accuratâ causæ discussione, cum homine plebeio & absque causa bonum publicum spectante, apud Gobat *l. cit.* & à quatuor aliis summis Ecclesiæ Antistitibus, à Diana *p. 8. Tract. 1. resolut. 62. §. Et tandem* relatis: quos in re tam gravi, erroris & ignorantiæ Juris Divini arguere, temerarium non immeritò censet Valentia *3. p. disp. 10. q. 1. puncto 7.*

39.

40.

Dico, Ju-

Dico, *Juris Divini*; neque enim, si eâ, de qua sermo est, potestate summi Ecclesiæ Antistites careant, istorum illam sibi vendicantium & competere existimantium error esset solius Facti, ut cum *cit.* Palao *n.4.* Neotericorum nonnemo perperam credit; cùm esset de solubilitate vinculi matrimonii rati, de dispensationis in eo concessæ istiúsque vi iniri alterius conjugii honestate valoréque, qui apertè Divini Juris errores sunt, si matrimonium ratum Apostolica authoritate insolubile, dispensatio in eo, istiúsque prætextu celebratæ novæ nuptiæ Divinô Jure illicitæ & invalidæ sunt.

41. Rationem DD. *citt.* reddunt partim; quia potestas Papæ, in iis præsertim, quæ publicum Ecclesiæ & animarum bonum concernunt, extendenda est, quantum potest, hôc ipsô; quòd ipsi Ecclesiæ & animarum gubernationem commissam: &, quæ ad hanc exercendam necessaria aut valde proficua est, potestatem à Christo Domino plenè traditam, constet ex verbis, *Pasce oves meas*, Joan. *cap.* 22. *v.* 17. & *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam: quodcunque ligaveris super terram, erit ligatum & in cœlis: & quodcunque solveris super terram, erit solutum & in cœlis*, Matth. *cap.* 16. *v.* 18. & 19. atque idcirco in votis ac juramentis ex justa causa dispensandi potestatem cum cæteris DD. indubitatè ei tribuant etiam *citt.* Pontius *Lib.* 8. *cap.* 4. *n.* 2. & Palao *Tract.* 15. *disp.* 2. *p.* 11. à *n.* 2. Cùm ergo dissolutione matrimonii solùm rati gravia Ecclesiæ mala impediri, ejúsque & animarum bonum promoveri possint: ex eáque non sequantur absurda, quibus obnoxia esset dissolutio consummati, illud solvendi potestas Papæ non est deneganda: partim verò; quia Papa dispensare valet in Solenni voto Religionis, ut plurimis & præcipuis TT. & ICT.is & hos inter Covarruvia, Gutierez & aliis oppositæ sententiæ assertoribus relatis, docet Sanchez *Lib. & disp.* 8. *n.* 6. variísque ejusmodi dispensationum exemplis illustrat Barbosa *in c. Cùm ad Monasterium 6. de Statu Monach. n.* 13. & ostensum est *Lib.* 3. *t.* 34. à *n.* 49. Ergo etiam, & multò magis in matrimonio rato, arg. Regulæ, *Si vinco vincentem te, à fortiori vincam te*, quam tradit Glossa *in l. In accessionibus* 14. *ff. de Diverf. temp. præscript.* votum enim solenne fortius est matrimoniô ratô; cùm hoc solvat, *c. Verùm & c. Ex publico citt.*

Rationi huic non parùm roboris inde accedit; quòd conjugii rati vinculum dissolvendi vis Religiosæ professionis voto competat ratione solius Solennitatis; cùm votum Simplex matrimonium dirimendi vi destituatur, *c. Consuluit* 4. *c. Rursus* 6. *Qui cleric. & vovent. & c. Unic. in fine, de Voto in* 6. solennitas autem voti ex sola Ecclesiæ Constitutione & authoritate Apostolica habeatur, *c. Unic. cit.* §. *Nos attendentes, & Constitut.* Gregorii XIII. *quæ incipit Ascendente* edita 8. Calend. Jun. 1584.

Neque refert, quòd ejusmodi votum non sit Sacramentum, sicut est matrimonium baptizatorum; quia omnimoda insolubilitas matrimonii non provenit præcisè ex ratione Sacramenti; cùm quatenus Sacramentum est, non habeat effectum indelebilem, scilicet characterem: &, ut dictum est, solvi possit professione Religionis: sed ex institutione Divina & perfecta significatione vinculi insolubilis inter Christum & Ecclesiam, quam baptizatorum matrimonio consummatio affert. Quam ob causam verba Christi, *Quos Deus conjunxit, homo non separet:* sicut & ea quæ de uxore, excepta fornicatio- 42

fornicationis causâ, non dimittenda subiiciuntur, de matrimonio consummato intelligenda, monet Alexand. III. *c. Ex publico cit. in fine.*

43. Neque omnimodam rati insolubilitatem evincunt pro ea allegati textus; quia imprimis *can. Hi, qui cit.* eique consona & *can. Cùm per bellicam, 34. q. 2.* relata Christi verba, *Quod Deus conjunxit, homo non separet*, Matth. *cap. 19. v. 6.* sicut & his subjecta, *Quicunque dimiserit uxorem &c. nisi ob fornicationem, mœchatur*, de matrimonio per carnalem copulam consummato exaudienda, liquet ex Apostolica eorum declaratione *c. Ex publico 7. in fine, de Convers. conjug.* Deinde; quia *c. Ex parte cit.* non fida relatio est; cùm eô, matrimonium ratum, istô conjunctorum utroque vivente, aliter quam Divina revelatione solvi non posse, Papa non asserat, sed solummodo referat, quòd *Id possit videri.* Quô tamen ipse nihil motus ejus vinculô conjunctorum uni, alterô inconsultô, permissum ait ingressum Religionis; qui, cùm tale matrimonium dirimat Jure solùm Ecclesiastico, ut cum Hostiensi *in c. Ex publico cit.* Joan. Andr. *ibidem n. 9.* & aliis ostensum est *Lib. 3. tit. 32. à n. 14.* id à suprema Ecclesiæ Christique in terris Vicaria potestate dissolvi etiam alia ex causa valebit. Demum; quia *c. Licet cit.* solummodo receditur à facto Prædecessorum, pronuntiantium pro valore secundi matrimonii consummati, initi motu propriô, & non petitâ vel obtentâ Apostolicâ dispensatione.

Neque pro eadem faciunt memorata exempla antiquorum; quia, sicut de indulta, sic & de denegata à VV. summis Pontificibus ejusmodi dispensatione non constat: & contra constat de ea à diversis eorum successoribus, ut Gobat *Tract. cit. n. 691.* observat, concessa facilè trigesies, & plerumque præviâ negotii accuratâ discussione & adhibitâ DD. consultatione. Unde Innocentii VIII. & aliorum, ejusmodi dispensationem à se concedi posse negantium, inficiationes non de potestatis absolutæ, sed justæ ac sufficientis causæ defectu accipiendas, monent DD. numerô & nomine potiores; cùm facere id solùm posse dicamur, quod à nobis fieri justè honestéque potest, *can. Faciat, 22. q. 2. & l. Nepos 125.* ibi, *Cùm salvâ dignitate meâ potero, ff. de V. S.* Glossa *in can. cit. V. Quod potest, & Clement. Sæpe 2. V. Poterit, de V. S.* & Gaill. *Lib. 2. observat. 56. n. 9.*

Non magìs urget tertiô locô deducta ratio; quia matrimonium ratum à Papa non Ordinariâ meréque humanâ, qualem duntaxat respectu subditorum suorum obtinent Principes infideles: sed illi superadditâ extraordinariâ potestate & authoritate divinâ, Deique vice dissolvit, *cit.* Diana §. *Nec etiam*, & Perez *disp. 20. s. 6. n. 16.* 44.

Neque quartô locô subjecta; quia, licet matrimonium ratum, perinde ut consummatum, ab ipsis contrahentibus insolubile sit Jure Divino, id tamen solvendi potestatem Papæ, suo in terris Vicario, Joan. *cap. 21. v. 17.* & Matth. *cap. 16. v. 18. & 19.* concessam: & verba, *Quod Deus conjuxit &c.* de consummato intelligenda, ex dictis liquet.

Neque postrema; quia, ut taceam; quòd, si intentum probaret, etiam evinceret, matrimonium ratum solvi non posse professione Religionis, contra expressos textus *c. Ex publico cit. & c. Verum 2. &c. de Convers. conjug.* & licet ratum à consummato non differat essentialiter, ab isto tamen differt, sicut integraliter imperfectum à sic perfecto, Diana *Resol. cit.* §. *Restat:* quâ integrali perfectione

fectione cùm indissolubilis vinculi sive unionis Christi cum Ecclesia significatio perficiatur, mirum non est; quòd consummatum minùs solubile sit, quàm ratum, quô Christi cum anima fideli conjunctio per gratiam & Charitatem; ac proinde non omnino insolubile vinculum significatur, ex decisione Apostolica *c. Debitum 5. de Bigamis*, ubi laudatus Innocentius III. *Profectò*, inquit, *conjugium illud, quod non est commixtione corporum consummatum, non pertinet ad illud conjugium designandum, quod inter Christum & Ecclesiam per Incarnationis mysterium est contractum.*

45. Porro causæ, ad dispensationem in hujusmodi sive rato matrimonio impetrandam, secundùm *citt.* Sanchez *disp. 16. à n. 1.* Perez *s. 7. n. 13.* & Gobat *n. 691.* sufficientes sunt Primò, valde notabilis inæqualitas inter sponsos. Secundò, inter hos eorúmve consanguineos metuendæ graves inimicitiæ, rixæ, cædes, scandala. Tertiò, matrimonio rato superveniens impotentia vel etiam lepra, aut alia infirmitas, matrimonii usum impediens; ideóque textus *can. Hi, qui matrimonium, 32. q. 7.* de matrimonio consummato est intelligendus. Quartò, si contrahentium alter constanter assereret, se non habuisse animum contrahendi. Quintò, si vir electus in Episcopum bono publico valde utilis reputaretur: quibus addere lubet casum, quô sponsæ, præsertim Regiæ, dum ad sponsum deduceretur, ab hostibus interceptæ, liberandæ aut recuperandæ non esset spes. Sed hinc ulteriùs,

46. Dubium est de valore dispensationis, in matrimonio rato à Papa indultæ, sine justa causa. Quam cum Glossa *fin. in c. Ex publico cit.* pro valida habent Goffredus *ibidem* & Beroius *in c. Quæ in Ecclesiarum 7. de Constitut. n. 104.* eâ persuasi ratione; quòd matrimonii rati insolubilitas habeatur ex Jure solùm Humano: quod, etsi cum plerisque aliis neget Henriquez *Lib. 11. cap. 8. n. 11.* Glossæ tamen Opinionem etiam ipse sequitur, movetúrque ea ratione; quòd, etiam justâ causâ deficiente, validè dispensandi potestas Papæ à Christo sit concessa: eámque ipsi ita concedi, ad tollendam rerum & conscientiarum perplexitatem omnino necessarium, aut saltem valde expediens fuerit. Sed etiam hujus rationis vis magna non est; cùm perplexitas ista satìs tollatur; quòd in dubio, justam causam interveniisse, semper possit & debeat præsumi, ut rectè advertit *cit.* Guttierez *cap. 53. n. 3.*

Quare probabiliùs ejusmodi dispensatio sine justa causa concessa invalida est, & pro tali habetur à Doctore *cit.* & Sanchez *Lib. 1. disp. 15. n. 61.* quòd ea, quam matrimonium ratum habet, insolubilitas, juxta communem ferè omnium alicujus nominis DD. sensum, descendat ex Jure Divino: in quo, non pro libitu, sed exigente aut suadente justa causa & cum ratione, dispensandi potestatem Papa à Deo accepit, ut cum S. Thoma *2. 2. q. 88. art. 12.* & Glossa *in c. Non est 5. V. Adimplere, de Voto* passim tradunt TT. & Canonistæ; alias enim ei, sicut ad ædificationem, sic & ad destructionem ac dissipationem concessa fuisset.

47. Extra casum, quô in matrimonio rato dispensatum, aut conjugum alter Religionem ingressus & professus est, ad novas nuptias transire, conjugum neuter potest, antequam inter eos initi conjugii vinculum alterius morte sit dissolutum, *can. Cùm per bellicam, 35. q. 2. c. In præsentia 19. de Sponsal. & c. Dominus 2. de Secundis nupt.*

ARTICU-

ARTICULUS IV.

De Dissolutione Matrimonii Fidelium Consummati quoad Vinculum.

SUMMARIUM.

48. *Istius Conjugii vinculum solvitur morte naturali,*
49. *Non humanâ authoritate quacunque;*
50. *Idque ex Divina institutione:*
51. *Contra quam Mosaicâ,*
52. *Et Romanis legibus uxoris Repudium introductum,*
53. *Et non toleratum tantùm:*
54. *Sed ex justa causa Hebræa,*
55. *Et verisimiliter etiam Gentibus aliis licitum:*
56. *Evangelicâ tamen lege antiquatum fuit.*
57. *Hæreticorum conjugium ob fornicationem solvi, asserentium error,*
58. *Ejúsque fundamenta.*
59. *Veritas Catholica, illud quoad vinculum ex ea causa solvi, negat,*
60. *Et fundatur in præcepto Christi,*
61. *A S. Paulo explicato:*
62. *In matrimonii fidelium consummati significatione,*
63. *Constitutionibus Apostolicis,*
64. *Conciliorum definitionibus,*
65. *Et ratione.*
66. *Christus ex causa fornicationis separationem à thoro & habitatione:*
67. *Non ipsius vinculi dissolutionem permisit.*
68. *Et veterum Repudium ex parte tantùm approbavit.*
69. *Neque plus Canones Ecclesiastici concedunt.*

MAtrimonia Fidelium Consummata quoad ipsum vinculum solvuntur conjugum alterius morte naturali, quæ omnia solvit, *Novell.* 22. *cap.* 20. non etiam sive privatâ eorum, inter quos consistunt, sive publicâ, etiam Apostolica authoritate, & ex quacunque causa, ut à S. Synodo Tridentina definitum est *Sess.* 24. cujus *de Sacramento Matrimonii Canon. V.* est, *Si quis dixerit, propter hæresin, aut molestam cohabitationem, aut affectatam absentiam à conjuge, dissolvi posse matrimonii vinculum, Anathema sit.* Idem de adulterii causa *Canon. VII.* infrâ referendô est expressum. Ratio est; quòd matrimonii consummatione conjuges una caro efficiantur, *can. Agathosa, 27. q. 2. c. Verùm 2. de Convers. conjug. & c. Martinus 4. de Cognat. Spirit.* eique consummatione perfecto ex Divina institutione insit perfecta significatio admirabilis illius unionis, quâ Verbum Caro factum & Ecclesiæ conjunctum est, *c. Debitum 5. de Bigamis*; atque idcirco, sicut unio ista, sic & matrimonium fidelium consummatum ullâ humanâ, etiam Apostolicâ authoritate solubile non sit; cùm, ut Alexander III. *c. Ex publico 7. in fine, de Convers. conjug.* advertit, de ipso propriè procedat illud Christi Domini, *Quod Deus conjunxit, homo non separet*, Matth. *cap.* 19. *v.* 6. Pro cujus Orthodoxi dogmatis ampliori declaratione 48. 49.

Dubium movetur primò, an matrimonii consummati vinculum solvi ante legem Evangelicam potuerit. Et in lege quidem Naturæ illius vinculum indissolubile fuisse, exploratum est ex illo Christi Domini, Pharisæis, de uxoris dimittendæ licentia scisscitantibus, inter alia reponentis, *Ab initio autem non fuit sic*, Matth. *cap.* 19. *v.* 8. sive ex prima eá- 50.

que divina matrimonii institutione uxoris dimissio permissa non fuit.

51. Mosaicâ autem lege eâque promulgata dispensatione Divina Hebrææ Gentis viris uxorum repudium fuisse permissum, liquet ex verbis Deuteronomii, *Si acceperit homo uxorem & habuerit eam, & non invenerit gratiam ante oculos ejus propter aliquam fœditatem, scribet libellum repudii & dabit in manu illius & dimittet eam de domo sua, cap. 24. v. 1.*

52. Simili modò, uxorum dimissionem & diremptionem conjugiorum legibus Romanis permissam, constat ex *Rubr. & text. ff. de Divortiis & repudiis*: inter quos nuptias dirimendi modos, licet non rarò confundantur, illud discriminis intercedit; quòd divortium solam uxorem: Repudium autem sponsam, sive de futuro sive de præsenti, *l. Divortium 2. Rubr. cit. l. Inter stuprum 91. §. 1. & l. Inter divortium 191. ff. de V. S.* & aliquando, largiùs tamen sumptum, ipsam quoque uxorem spectet, §. 1. *cit. & l. Si qua 12. ff. de Ritu nupt.* cujus *pr.* Ulpianus ait, *Si qua mihi uxor fuit, deinde à me repudiata nupsit Seio, quem ego postea arrogavi, non sunt nuptiæ incestæ*, Tholoſan. *Lib. 9. Syntag. cap. 15. n. 9.* & Berchæus *in l. Inter divortium cit. à n. 1.* Unde

53. Dubium secundum nascitur, an repudium Judæis licitum, vel solummodo ad graviora mala excludenda permissum ac toleratum fuerit; illud enim ad hæc præcavenda ipsis solummodo permissum, cum S. Hieronymo *Lib. 3. in Matth. cap. 19.* Lyrano in Deuteron. *cap. 24.* post *pr.* Magister *Sent. in 4. dist. 33.* Scotus *dist. cit. q. & art. 2. concl. 2.* & cum Innocentio *in c. Gaudemus 8. hâc Rubr. n. 1.* Hostiensi *ibid. §. Qui autem*, Alex. de Nevo §. *cit. n. 5.* volunt Tholoſan. *cit. Lib. 9. cap. 16. n. 9.* Tiraquell. *Connub. l. 9. n. 5.* Navarrus *Consil. 3. de Convers. infid. in fine*, Covarruvias *p. 2. de Sponsal. cap. 7. §. 4. n. 4.* & alii, præcipuè ducti verbis Christi, *Quoniam Moyses ad duritiem cordis vestri permisit vobis, dimittere uxores vestras*, Matth. *cap. 19. v. 8.* & authoritate Innocentii III. *c. Gaudemus §. Qui autem cit.* repudium Hebræorum à Christo Domino, reprobatum, disertè asserentis. Unde, id revera illicitum & tanquam minus malum in veteri Testamento permissum seu toleratum, ajunt.

54. Verius tamen, repudium Hebræis ex justa causa verè licitum & à Domino Deo, nuptiale vinculum contra primævam ejus institutionem per modum dispensationis relaxante, concessum fuisse, cum D. Thoma *1. 2. q. 102. art. 5. ad 3.* Panormit. *in c. Gaudemus cit. n. 10.* Gaëta *in can. Ad limina, 30. q. 1. §. 4. n. 203.* Paludano *cit. dist. 33. q. 1. art. 2.* Abulensi *in Matth. cap. 19. q. 46. & 49.* Eckio *de Sacram. homil. 74.* sustinent Bellarmin. *Lib. 1. de Matrim. cap. 17.* Becanus *de Sacram. cap. 47. q. 2. n. 3.* & in suis *Tract. de Matrim.* Petr. Ledesma *q. 68. art. 3. concl. 1. & 2.* Sanchez *Lib. 10. disp. 1. n. 7.* Pontius *Lib. 7. cap. 50. n. 1.* & Perez *disp. 55. s. 1. n. 2.* id desumentes ex relato Deuteron. *cap. 24. v. 1.* & illô Prophetæ de uxore dicentis, *Cùm* eam *odio habuerit, dimitte, dicit Dominus Deus*, Malach. *cap. 2. v. 16.* Eâ autem dimissione factâ, sicut viro aliam ducere, sic & dimissæ alteri viro nubere concessum, etiam supponitur verbis, *Cùmque uxor alterum maritum duxerit, & iste quoque dederit ei libellum repudij, vel certè mortuus fuerit, non poterit prior maritus recipere eam in uxorem*, cit cap. 24. *v. 3.* Accedit; quòd Levitici *cap. 21. v. 13.* specialiter cautum sit; ut Sacerdos *uxorem viduam & repudiatam atque meretricem non accipiat*, argumentô non obscurô,

obscurô, aliis viris, sicut viduãm aut meretricem, sic & repudiatam ducere licuisse; ut quid enim speciali prohibitione opus fuit respectu Sacerdotis, si id indiscriminatim omnibus inhibitum fuit? Accedit; quia repudium & repudiatæ cum alio viro nuptias Divina lege non solùm toleratas, sed concessas licitásque fuisse, inde etiam manifestum est; quòd in veteri lege neque illud, neque istæ reprehensæ aut reprobatæ reperiantur. Unde consectaneum est, uxoris repudiô, secundùm veteris legis præscriptum factô, nuptiale vinculum Divina dispensatione dissolutum: &, sicut mariti cum alia post prioris repudium ducta, sic & repudiatæ uxoris cum alio viro copulationem ab adulterinæ consuetudinis culpa & probro fuisse immunem. Quod, permissô repudiô, omnino conveniens fuit; ne, si repudiata uxor perpetuò se continere & innupta manere cogeretur, adulterii periculis exponeretur. Confirmatur; quia, si repudiô nuptiale vinculum dissolutum non fuisset; ut ea à viro, cui postea nupsit, dimissa, eóve mortuô, à priori viro reciperetur, ad excludendum peccati & ex isto imminens animæ periculum omnino optandum & nullatenus prohibendum fuisset contrà, quàm à Domino Deo factum est Deuteron. *cap. 24.* cujus *V. 4.* dicitur, *Non poterit prior maritus recipere eam in Uxorem.*

Neque, repudii libellum illicitum & tanquam minus malum ad majora vitanda veteri lege permissum, evincunt in eam rem allegata Christi Domini verba; cùm lege illâ promulgatâ Divinâ dispensatione illius libellus tanquam minus bonum introductus & concessus fuerit intuitu fragilitatis & obstinationis Judæorum, ad uxorum, quas oderant, dimissionem valde pronorum. Minùs urget *c. Gaudemus cit.* textus; quia istô libellus ille à Christo Domino pro nova duntaxat sive Gratiæ, veteri & scripta lege multò perfectiore, reprobatus fuit.

55. Dubium tertiò est, an repudium, sicut Hebrææ, sic cæteris quoque Gentibus licitum fuerit, veteri lege durante. Illud enim his illicitum fuisse, cum Soto *cit. dist. 33. q. & art. 2. concl. 1.* existimant *citt.* Sanchez *n. 8.* & Perez *s. 2. n. 2.* quòd repudium repugnet primævæ conjugii institutioni: in qua ad illud cum Hebræa (non etiam cum cæteris gentibus) dispensatum, ex Divinis utriusque Testamenti tabulis constat. Verùm; quia, cum his quoque ad uxorum pluralitatem à Deo humanorum corporum absoluto domino dispensatum, neutrius Testamenti tabulis perhibetur, & tamen Divinam in ea dispensationem ad cæteras gentes porrectam, cùm S. Augustino *Lib. 22. contra Faustum cap. 47.* Bellarmino *cit. Lib. 1. cap. 11.* Valentia *Tom. 4. disp. 10. q. 1. puncto 3.* & aliis *Tit. 4. n. 8.* insinuatum est, Divinam repudii permissionem ab Hebræa ad cæteras gentes extensam, cum Abulensi *in Matth. cap. 19. q. 76.* verisimiliter opinantur Veracrux *Speculi p. 2. art. 13. toto,* & Pontius *cit. cap. 50. n. 2.* quòd istarum quoque moribus, sicut uxorum pluralitas, sic & repudium receptum, ejúsque forma Romanis & aliarum gentium legibus fuerit præscripta, ut ex aliis perhibet Tholosan. *cit. Lib. 9. cap. 15. à n. 9.*

56. Sed, utcunque ista sint, lege Evangelicâ Matth. *cap. 19. v. 6.* repudii libellus & licentia antiquata, & nuptiale fœdus, sicut ad monogamiam, sic etiam ad primævam insolubilitatem à Christo Domino revocatum est adeò; ut neque à Christianis neque Paganis aut Judæis legitimæ uxori viventi, sive retentæ sive dimissæ, alia superinduci queat: & ab infidelibus, si à Paganismo vel Judaismo

ad fidem converſi Baptismi lavacrô regenerentur, ex pluribus, quas ſucceſſivè duxêre, uxoribus prima, eáque ſola retinenda vel recipienda ſit ſaltem, ſi ea ipſis ſine Creatoris contumelia conſentiat cohabitare, ut Tiberiadis Epiſcopo Innocentius III. *c. Gaudemus cit.* §. *Qui autem*, reſcripſit, *citt.* Sanchez *à num. 10.* & Perez *n. 3. & 4.*

57. Dubium quartò & Orthodoxos inter noſtríque temporis Sectarios, Lutheri præſertim & Calvini aſſeclas, agitata percelebris controverſia eſt, an in lege Evangelica matrimonii fidelium conſummati vinculum diſſolvi queat ex cauſa fornicationis, ſive adulterii à conjugum altero

58. perpetrati. Cui occaſionem præbuêre Divina duo Servatoris noſtri Oracula à S. Matthæo Evangeliſta relata. Unum *cap. 5.* cujus *v. 31. & 32.* verba ſunt. *Dictum eſt autem, Quicunque dimiſerit uxorem ſuam, det ei libellum Repudij. Ego autem dico vobis, Quia omnis, qui dimiſerit uxorem ſuam, excepta fornicationis causâ, facit eam mœchari: &, qui dimiſſam duxerit, adulterat.* Alterum *cap. 19. v. 9. Dico autem vobis: quia, quicunque dimiſerit uxorem ſuam, niſi ob fornicationem, & aliam duxerit, & qui dimiſſam duxerit, mœchatur.* Quibus Servatoris noſtri dogmatis inſerta verba, *Excepta fornicationis causâ* & *Niſi ob fornicationem*, id, quod extra caſum & cauſam fornicationis conjugi innocenti permiſſum non eſt, ut ſcilicet uxorem adulteram dimittat & aliam ducat, permiſſum inſinuatur ex cauſa fornicationis ſive eô caſu, quô adulteriô polluta uxor conjugalis thori fidem violavit; ac proinde, hôc caſu vinculum matrimonii fidelium conſummati diremptioni obnoxium eſſe, contendunt; ut vir innocens, dimiſſâ uxore adulterâ, aliam ducere queat; quia exceptio ex natura & ſignificatione ſua ponit oppoſitum antecedentis, cui immediatè adverſatur, per ea, quæ *arg. Reg. Peccatum 4. in 6. & l. Actione 4. C. de Tranſact.* cum aliis, quos congerit, DD. tradit Barboſa *Uſufreq. dict. 217. àn. 2.* Quam illationem ſuam

Confirmant Sectarii primò; quia relata Chriſti Domini verba accipi nequeunt de ſola uxoris dimiſſione quoad thorum & cohabitationem, cùm; quia de hac ſola accepta non congruerent interrogationi Phariſæorum, non de iſta, ſed de omnimoda & quoad ipſum vinculum diſſolutione proponentium quæſtionem: tum verò; quia Chriſtus uxorem ſuam ex alia, quàm fornicationis cauſa dimittentem redarguit mœchiæ ſive criminis adulterii: cujus reus vir non eſt uxoris luæ ex alia quàm fornicationis cauſâ, facta dimiſſione à thoro & cohabitatione: ſed ex eo; quòd eâ dimiſſa alteri copuletur. Ergo, qui, uxore ſuâ ex fornicationis cauſa dimiſſâ, ducit aliam, non mœchatur; ac proinde eô, quod cum adultera conſtitit, quoad vinculum diſſolutô, matrimonium initum cum alia, legitimum erit.

Confirmant ſecundò; quia divortium novæ & Evangelicæ legis à Chriſto Domino ſubrogatum eſt repudio legis antiquæ per Moyſen promulgatæ. Ergo, ſicut repudiô antiquæ, ſic novæ legis divortiô, ex juſta ſcilicet fornicationis cauſa inſtituto; matrimonium quoad ipſum vinculum diſſolvetur.

Confirmant tertiò, authoritate Zachariæ Papæ, cujus *can. Concubuiſti 32. q. 7.* relatum decretum eſt, *Concubuiſti cum ſorore uxoris tuæ? Si feciſti, neutram habeas: &, ſi illa, quæ uxor tua fuerat, conſcia ſceleris non fuit, ſi ſe continere non vult, nubat in Domino, cui velit.* Cui decreto ſimilia ex S. Ambroſio *in Epiſt. 1. ad Corinth. cap. 7. can. Uxor 17. q. cit.* & ex Concilio apud Vermerias celebrato, *can. Si qua mulier 31. q. 1.* referuntur, iiſque

iisque textibus omnibus conjugi innocenti, ex causa fornicationis sui consortis, nuptiæ cum alia alióve permittuntur.

59. Sed ista, quantamcunque veri speciem primo occursu exhibeant, re accuratiori æstimatione discussâ, minimè efficacia & inimica sunt Orthodoxæ Veritati, contrariáq; perpetuæ & ab ipso nascentis Ecclesiæ primordio ad nostra usque tempora propagatæ traditioni Ecclesiæ, divortio ex fornicationis causa instituto nuptiale vinculum dissolvi inficiantis: & conjugi innocenti à communi thoro & habitatione duntaxat, non etiam, quam diu conjux fidei thorique conjugalis violati reus superstes est, ad alia vota transitum permittentis. Quæ Ecclesiæ Traditio & veritas Catholica fundatur

60. Primò, in generalibus & omnino perspicuis assertionibus Christi Domini, *Quicunque dimiserit uxorem suam & aliam duxerit, adulterium committit super eam: &, si uxor dimiserit virum suum & alij nupserit, mœchatur,* Marci *cap. 10. v. 11. & 12.* & *Omnis, qui dimittit uxorem suam & alteram ducit, mœchatur: &, qui dimissam à viro suo ducit, mœchatur,* Lucæ *cap. 16. v. 18.* quarum assertionum generalitate, conjuge suô ex quacunque causa dimissô ac superstite eum, à quo dimissus est, alteri copulari sine adulterii crimine non posse: unáque supra ex Matth. *cap. 5. & 19.* relatis exceptionibus conjugis dimissionem ex causa fornicationis in Evangelica lege quoad thorum duntaxat & cohabitationem permissam, declaratur; nam ut pulchrè S. Augustinus *Lib. 1. de Adult. conjug. cap. 9.* ait *Quicunque uxore sua dimissa alteram ducit, sine dubio ibi sunt ambo, & qui præter & qui propter causam fornicationis dimittit; hoc enim Quicunque, hoc est Omnis, qui dimiserit.*

61. Secundò, conjuge ex quacunque etiam fornicationis causa dimissô & superstite; ei, à quo dimissus est, ad alia vota transitum illicitum, & conjugii fidelium consummati vinculum omnino insolubile esse, desumitur ex *Epist. 1. ad* Corinth. *cap. 7.* cujus *V. 10.* S. Gentium Doctor, *Iis,* inquit, *qui matrimonio juncti sunt, præcipio non ego sed Dominus, uxorem à viro non discedere: quodsi discesserit* (ex quacunque causa licita puta ob fornicationem) *manere innuptam aut viro suo reconciliari.* Quô locô Apostolus etiam declarat verba Christi Matth. *cap. 5. & 9.* nam, ut idem S. Augustinus *cit. Lib. 1. cap. 1. 2. & 21. Lib. 1. de Serm. Domini cap. 26. & alibi* ait, cùm Apostolus dicit de muliere, ut si discesserit, maneat innupta aut viro suo reconcilietur, loquitur de casu, quô integrum est mulieri discedere, nempe ob viri fornicationem; aliàs enim determinatè ei præciperet reditum & reconciliationẽ: non permitteret ejus arbitrio, an manere innupta séque continere, aut viro suo reconciliari velit.

62. Tertiò ejusdem vinculi nuptialis omnimoda insolubilitas desumitur ex significatione matrimonii fidelium consummati, ex Divina institutione perfectè repræsentantis perpetuam & indissolubilem conjunctionem Christi cum Ecclesia per assumptionem carnis humanæ, *c. Debitum 5. de Bigamis,* juxta illud Apostoli, *Sacramentum hoc magnum est. Ego autem dico in Christo & Ecclesia,* Ephes. *cap. 5. v. 32,* in ea enim significatione matrimonium fidelium consummatum deficeret, si ejus vinculum per se perpetuum & indissolubile non esset. Ex qua ejusmodi matrimonii significatione ejus omnimodam insolubilitatem, cum S. Augustino *Lib. de Bono conjug. cap. 7. 18. & 23. Lib. 1. de Nupt. & Concupisc. cap. 10. &c.* desumit S. Thomas *3. p. q. 67. art. 1. ad 4.*

Quartò

63. Quartò, neutri conjugum, altero vivente, aliud matrimonium ex quacunque causa permissum, desumitur ex Apostol. *Can.* 47. quò à communione fidelium segregari jubetur *Laicus, si, cùm suam à se uxorem abjicit, alteram duxit, aut ab alio dimissam:* ex Evaristi, Papæ à D. Petro IV. *Epistola* 2. ubi neque ab Episcopo Ecclesiam neque ab Ecclesia Episcopum debere deseri, ait, *Sicut vir non debet ducere aliam, neque uxor alium, etiamsi vir fornicatus fuerit:* ex Innocentii I. *Epist. 3. ad Exuperium Episcopum*, cuius *cap. 6. Qui interveniente*, inquit, *repudiò, alij se matrimonio copulârunt, in utraque parte adulteros esse, manifestum est:* ex Alexandri III. rescripto relato *c. Ex parte 9. de Sponsal. & matrim.* ubi virum; ut, superinductâ dimissâ, ad uxorem suam redeat, compelli iubet ex ea ratione; *Quia nemini licet uxorem suam sine manifesta fornicatione dimittere: & tunc eam sibi reconciliare debet, aut ipsâ vivente se continere.* Quibus aliisque Apostolicis constitutionibus consonas priscorum Ecclesiæ PP. ac DD. sententias & Synodalia decreta Bellarminus *cit. Lib. 1. cap. 16.* Valentia *cit. q. 10. puncto 7.* & Polemici alii plenâ manu dabunt.

64. Quintò, eadem Veritas definita est ab Oecumenicis Conciliis Florentino ac Tridentino, in quorum illo Eugenius Papa *in Decreto Unionis §. Septimum, Quamvis autem*, inquit, *ex causa fornicationis liceat thori separationem facere, non tamen aliud matrimonium contrahere fas est; cùm matrimonij vinculum legitimè contracti perpetuum sit:* istius autem de coniugii in proposito fornicationis casu insolubilitate *Canon.* VII. est, *Si quis dixerit, Ecclesiam errare, cùm docuit & docet iuxta Evangelicam & Apostolicam doctrinam, propter adulterium alterius conjugum matrimonij vinculum non posse dissolvi, & utrumque vel etiam innocentem, qui causam adulterio non dedit, non posse, altero conjuge vivente, aliud matrimonium contrahere, mœcharique eum, qui, dimissâ adulterâ, aliam duxerit, & eam, quæ, dimissò adulterò, alij nupserit; Anathema sit.*

65. Sextò, eadem firmatur incommodis, quæ coniugii fidelium consummati ex causa fornicationis quoad vinculum dissolutio afferret; quia imprimis eâ via aperiretur innumeris divortiis, ad quæ perveniendi & aliis votis locum faciendi animò adulteria non rarò committerentur; contrà verò ademptio spei alio matrimonio ante coniugis dimissi obitum potiundi, séque factò divortiò continendi vel reconciliandi obligatio excludit. Quâ ratione ad Catholici dogmatis veritatem stabiliendam, & demonstrandam convenientiam utilitatémque omnimodæ insolubilitatis matrimoniorũ consummatorum usi sunt S. Hieronymus *in Matth. cap. 19.* & Innocentius III. *c. Quantò. 7. hâc Rubric. in fine.* Deinde, ex ea commodum reportaret conjux adulter; cùm eò ipsò; quòd, innocente ad alia vota transeunte; matrimonii vinculum dissolveretur, aliud matrimonium inire etiam posset nocens sive adulter dimissus; itáque ipsius conditio melior foret, quàm est conjugis, nullâ suâ culpâ vg. ex causa gravis morbi aut ex odio & per injuriam à thoro & cohabitatione perpetuò exclusi; cùm talis inire nequeat aliud matrimonium: cujus tamen contractus ex adulterii causa dimisso licitus esset, Cornel. à Lapide *in Matth. cap. 19. v. 9. ad finem.* Demum cederet in grave damnum ac præjudicium prolis; cùm ex conjugio ante ejus dissolutionem natis malè consultum foret, si novis conjugiis ab utroque parente initis pro patre vitricum, vel pro pro matre novercam inciperent habere.

Qua

Quâ ratione ductus S. Ambrosius *in Lucæ cap. 16.* propter filios à patre matris culpæ ignoscendum, ait:

66. Ex hactenus deductis facili negotio diluuntur, quæ Catholicæ Veritati ab Heterodoxis objiciuntur; cùm ex S. Matthæo allegata verba Servatoris nostri de uxoris ex causa fornicationis dimissione, non ipsius vinculi nuptialis dissolutionem, sed à thoro duntaxat & cohabitatione separationem importante, exaudienda sint; ut cum ejusdem nostri Servatoris ex Marci *cap. 10. v. 11.* & Lucæ *cap. 16. v. 18.* allegatorum textuum generalitate & à S. Paulo proposito Domini præcepto plenè concilientur. Ex qua etiam ratione verba, *Exceptâ fornicationis causâ* & *Nisi ob fornicationem* referenda sunt ad sola verba antecedentia; ut sensus sit *Omnis* & *Quicunque* dimiserit uxorem suam extra causam fornicationis mœchatur, aut facit eam mœchari; quòd ei sine justa causa dimissæ occasionem fornicandi præbeat; ut dimissæ fornicatio dimittenti imputetur: non ad verba subsequentia; ut argumentô ducto à contrario is, qui, uxore ex fornicationis causa dimissa, aliam duxerit, aut qui ex illa dimissam duxerit, non mœchari intelligatur. Ita certè exceptionem illam cum S. Thoma *in 4. dist. 35. q. unica, art. 5. ad 4.* & S. Bonaventura *ibid. art. Unic. q. 4. ad 2.* melioris notæ Interpp. exponunt ad mentem S. Augustini *Lib. 2. de Adult. conjug. cap. 9.* & S. Gentium Doctoris, uxorem discedentem vel dimissam, ut innupta maneat, aut viro suo reconcilietur, monentis *1. Corinth. cap. 7. v. 10.* Accedit; quòd, etiamsi exceptio illa ad sequentia & antecedentia verba referatur, Catholicæ tamen veritati non adversetur; cùm secundùm Theophylactum & S. Augustinum *Lib. contra Adimantum cap. 3.* tam eum, qui uxorem ob aliam quàm fornicationis causam perpetuò dimittit, quàm illum, qui dimissam ducit, mœchari denotet; quia matrimonii & uxoris suæ insontis jus violat injusta dimissione, eam mœchari faciendô & aliam ducendô, ut *in cap. 19. cit.* ex Hebraica lectione eruditè ostendit Cornel. à Lapide §. *Tertiò.*

Neque cum utroque hoc exceptionis sensu pugnat ei opposita tergemina confirmatio,

Prima partim; quia, etiamsi Christi 67.
Domini responsio Pharisæis reddita de sola uxoris adulteræ dimissione quoad thorum & habitationem accipiatur, congrua tamen fuit & satisfecit illorum interrogationi, de dimissione perfecta & quoad ipsum vinculum formatæ; cùm enim perfecta sive quoad vinculum dimissio includat duo, scilicet uxorem dimittendi & aliam ducendi potestatem, Christus ea sejungens, unum scilicet uxoris dimissionem & hanc ad solam fornicationis causam restrictam concessit: alteram denegavit; itáque repudium ex parte tantùm, silicet quoad uxoris ex sola fornicationis causa dimissionem perpetuam approbavit: ex parte verò, scilicet quoad dimissionem ex alia quam fornicationis causa, & quoad potestatem ducendi aliam improbavit: & conjugium, sicut quoad monogamiam, sic & quoad insolubilitatem vinculi ad Divinæ & primævæ institutionis statum revocavit, *citt.* Bellarmin. *cap. 17. ad 3.* Sanchez *disp. 2. n. 8.* & Becanus *cap. 47. q. 3. n. 9.* partim verò; quia uxorem suam, extra fornicationis causam à Christo approbatam, dimittens, etiamsi aliam non ducat, mœchari tamen rectè dicitur; quòd, ut rem hanc Christus Dominus ipse explicat Matth. *cap. 5. v. 32.* faciat eam mœchari; cùm, sine justa causa factâ dimissione, eam temerè exponat occasioni & periculo fornicationis; ut hæc ei meritò imputetur: &, si

insuper aliam ducat, Mœchiæ criminis ex duplici capite sit reus, *citt.* S. Augustinus *cap. 3.* & Bellarmin. *ad 3.*

68. Secunda; quia, juxta dicta, Repudio veteris in nova & Evangelica lege Divortium subrogatum est quoad solam uxoris dimissionem, sive separationem à communi thoro & habitatione eámque ex unica causa fornicationis: quoad ejus autem dimissionem ex aliis causis & quoad potestatem eâ, quæ ex fornicationis causa dimissa fuit, superstite ducendi aliam, illud antiquatum est, ex mente Abulensis *in Matth. cap. 19. q. 76. ad 5.* ubi inter repudium veteris & novæ legis divortium intercedentes varias differentias refert.

69. Tertia desumpta ex variis textibus decreti Gratianæi, conjugi innocenti, conforte ob fornicationem dimisso, aliud matrimonium permittentibus; quia imprimis *can. Concubuisti cit.* relatum Zachariæ Papæ decretum intelligendum est de nuptiis ob incestuosum viri adulterium uxori permissis post obitum viri: cui, & uxoris sorori ob crimen alterius conjugii, etiam uxore mortua, potiundi spes præcisa fuit, *can. cit. c. Veniens 2. & c. Transmissa 4. de Eo, qui cognovit. &c.* ut *ad hanc Rubr.* dictum *n. 2.* Deinde *can. Uxor cit.* aliqui pro apocrypho & ab Hæreticis supposito habent: &, qui eum S. Ambrosio adscribunt, ab ipso nuptias ob conjugis adulterium innocenti viro duntaxat, non etiam mulieri permissas asseri, aiunt, secundum Legem Juliam Civilem fori usu eô tempore receptam: non secundùm legem Christi Domini Divinam; cùm secundùm hanc, æquam viri & mulieris rationem esse, ipse agnoverit & docuerit *Lib. de Abraham cap. 4. & 7. & in Luca cap. 16.* ut præter alios notat Barbosa *in can. Uxor cit. n. 3.* Demum; quia *can. Si qua mulier cit.* est Concilii particularis, apud Vermerias sive Wormatiam celebrati: eóque viro, in cujus mortem uxor machinata fuisse probatur, aliud conjugium permissum non decernitur, sed solummodo *videri*, asseritur: imò apud S. Jvonem verba, *Potest, si voluerit, aliam ducere*, non reperiuntur, & *c. 1. hâc Rubr.* ei substituta leguntur verba *Potest ipse post mortem uxoris, si voluerit, aliam ducere*, quod, virô mortuô, non permittitur uxori. Quare exile & vanum omnino est præsidium, quô errorem suum adversus veritatem Orthodoxam ex *can. cit.* tuentur.

ARTICULUS V.

De ejusdem Dissolutione quoad thorum & habitationem Perpetua.

SUMMARIUM.

70. *Matrimonium ita solvitur conjugum consensu,*
71. *Eorúmque unius adulteriô,*
72. *Sive copulâ cum quocunque non suo consummatâ:*
73. *Non solummodo attentatâ.*
74. *Ad divortium non sufficit adulterium materiale,*
75. *Aut cujus uterque causa est.*
76. *Liberè diverti potest ob adulterium notorium:*
77. *Non etiam ob notorium & dirimens impedimentum.*
78. *Ratio discriminis.*
79. *Ob adulterium, nec notorium nec probatum, divertere non licet:*
80. *Nisi id innocens certò sciat.*
81. *Imò neque hôc casu in Foro externo:*
82. *Et plerumque etiam in interno.*

83. Inno-

83. *Innocens per se neque ab adultero divertere,*
84. *Neque hunc pœnitentem recipere tenetur:*
85. *Nisi causa gravis id exigat,*
86. *Vel nocenti injuriam remiserit,*
87. *Vel in fornicationem etiam ipse sit lapsus.*
88. *Quo casu, conjugij redintegrationi sententiam divortij obstare, aliqui affirmant.*
89. *Verius alij negant;*
90. *Quòd sententia causa cesset.*

70. VInculò remanente matrimonium Fidelium Consummatum quoad cohabitationem & thorum, sive conjugalis debiti reddendi obligationem, non solùm eò conjunctorum mutuò consensu, vg. amore Castitatis, vel Religiosi aut Clericalis statûs assumendi studiò, *c. Cùm sis 4. c. Conjugatus 5. &c. de Convers. conjug.* sed alterò etiam invitò, dissolvi posse, patet ex præsenti *Rubrica c. Quæsivit 2.* aliisque textibus ei subjectis.

71. Et prmò quidem propter adulterium: quò non solùm ab uxore commissò innocens maritus, *c. Significasti 4. c. Exliteris 5. c. Gaudemus 8. &c.* sed etiam à marito perpetratò, uxor innocens perpetui divortii jus habet, ut contra Cajetanum in illud, *Quicunque dimiserit uxorem suam, nisi ob fornicationem*, Matth. *cap. 19. v. 9.* cum S. Thoma *in 4. dist. 35. q. unica* & S. Bonaventura *ibid. q. 3.* TT. cum Hostiensi & Panorm. *in c. Intelleximus 5. de Adult. n. 3.* Interpp. & cum Sylvestro *V. Matrimonium 9. q. 6.* & Covarruvia *p. 2. de Sponsal. cap. 7. §. 5. n. 8.* Canonistarum & aliorum DD. fere omnium doctrina constans & fundata est Imprimis *in can. Idololatria, 28. q. 1. can. Si quis uxorem 32, q. 1. can. Præcepit 10. & can. fin. ibid. q. 5. &c.* Deinde in *c. Quæsivit & c. Exliteris citt.* iisque facta mariti & uxoris æquiparatione Demum in Apostolo *1.* Corinth. *cap. 7. v. 12.* uxorem, si à viro (ob iustam, scilicet fornicationis causam) discesserit, manere innuptam aut viro suo reconciliari, ex præcepto Domini jubentis. Id ipsum suadet ratio, quia, sicut uxoris sic etiam mariti adulterium violatio est fidei & thori conjugalis, in qua divortii jus ex adulterio ortum præcipuè fundatur, Sanchez *Lib. 10. de Matrim. disp. 3. n. 6.*

Nomine autem *Adulterij* hôc locô venit quæcunque copula carnalis consummata cum non suo vel non sua: nec solùm naturalis, sed etiam Sodomitica & bestialis, ut cum *citt.* S. Thoma *q. unica, art. 1.* Panormit. *in c. Maritis 4. de Adult. n. 3.* & Covarruvia §. *cit. n. 6.* aliisque Interpp. ac DD. plurimis docent *cit.* Sanchez *disp. 4. n. 3.* & Pontius *Lib. 9. de Matrim. cap. 16. n. 5.* quòd per has copulas omnes conjux contra fidem matrimonii dividatur in carnem alienam. 72.

Dixi, *Consummata*; quia ad divortium non sufficit solummodo attentata: multò minùs amplexus, oscula, tactus vel alii actus turpes cum proprii vel alieni corporis pollutione, ut cum Covarruvia *cap. 7. cit. §. 6. n. 3.* & aliis docet *cit.* Sanchez *n. 9. 10. & 12.* neque etiam adulterium solùm materiale, sed requiritur formale: cujusmodi non est, quòd committit vg. uxor, credens maritum mortuum & cum alio soluto peccans, *can. Cùm per bellicam, 34. q. 1.* aut, ad se accedentem adulterum conjugem suum non esse, invincibiliter ignorans, *can. Lectum, 34. q. 2.* vel, quod ab ipsa omnino invita per violentiam extorquetur, *can. Itane 3. & can. Propositò, 32. q. 5.* quia adulterium non committitur sine dolo, *l. Si ex lege 43. ff. ad L. Jul. de Adult.* qui cùm his 73. 74.

casibus absit, iis matrimonio & conjugi injuria ab ipsa inferri, non videtur, *citt.* Sanchez *disp. 5. à n. 12.* Pontius *Lib. 9. cap. 17. n. 8.* & Palao *Tract. 28. disp. 3. p. 6. §. 1. n. 3.*

75. Passim tamen hîc DD. excipiunt casum, quô conjugũ unus alterius adulterii author fuit, vg. marit⁹ uxorẽ prostituendô, *c. Discretionẽ 6.* junctâ Glossâ *V. Exceptionem, de Eo, qui cogn. consang.* vel in eius fornicationem consentiendô expresse, vel saltem tacitè, eam, cùm sciret & facilè posset, non prohibendô; cùm enim huiusmodi maritus tanquam leno puniatur, *l. Ex lege 2. §. 2. ff. & l. Crimen 2. C. ad L. Jul. de adult.* meritò ei, tanquam lenoni uxorem suam prostituenti, jus divortii negatur; scienti enim & consentienti non fit iniuria, *Regula est 27. in 6.* quæ fundamentum & causa est divortii permissi. Ita cum Sylvestro *V. Divortium, n. 12.* & aliis *citt.* Sanchez *disp. 5. n. 4. & 5.* Pontius *n. 7.* & Palao §. 2. *n. 20.* Alia ratio est uxoris; quamvis enim etiam ipsa, quando in mariti adulterium consensit, ab eo divertere non valeat, hoc tamen ei permittitur, quando mariti delictum sciens non prohibet; quia eius scientis taciturnitas pro consensu non habetur; quòd fœminæ, præsertim bonæ, hoc ipso; quòd viris inferiores sint, eos reprehendere & à delictis abstrahere facilè non posse, censeantur; ut cum Castro *de Lege Pœnali Lib. 2. cap. 4.* advertunt *citt.* Sanchez *n. 5.* & Palao *n. 2.*

Casu etiam, quô maritus causa tantùm remota fuit adulterii uxoris; quòd exigenti debitum coniugale vel alimenta negârit, aut ei domo sua ejectæ non cohabitârit, divortio locum esse, ex *c. Significasti cit.* & Glossa *ibi V. Materiam* constat; quia mulier nullâ ratione ad fornicandum adduci, & potiùs omnia mala pati debet, quàm in corpus suum peccare aut malo tanto consentire, *can. Itaque, 32. q. 5. & c. Sacris 5. de his, qua vi metusve causâ; Neque enim ignoscendum est ei, qua obtentu paupertatis turpissimam vitam agit,* inquit Ulpianus *l. Palam 43. ff. de Ritu nupt.* Hæc satis certa.

Dubium autem primò est, an, coniugum unô in adulterium lapsô, innocens 76. divertere ab eo valeat propriâ authoritate. Qua de re variè admodum sentiunt DD. Ego inter tres casus existimo distinguendum.

Primus est, quô unius coniugis adulterium per eius confessionem factam in iudicio etiam Seculari, aut evidentiam ipsius facti, quòd vg. maritus aliam imprægnârit, aut ex ea prolem procreârit, vel uxor, marito diu absente, prolem ex alio susceperit, vel ab isto sit imprægnata: quô casu divortium innocenti, iudiciô Ecclesiæ non expectatô, permissum, clarè desumitur ex *c. Significâsti 4.* quô textu ab Alexandro III. coniugum unius ab altero recessus ob adulterium notorium propria authoritate factus ratihabetur, ibi, *Si notorium est, mulierem adulterium commisisse, ad eam recipiendam præfatus vir,* qui eam proprio motu expulerat, *cogi non debet.* Huic affine est Pelagii eius Prædecessoris rescriptum *can. De Benedicto, 32. q. 1.* & decisio *c. De illa 6. hâc Rubr.* ubi mulier ad maritum, à quo propter hæresin propria authoritate recesserat, redire non compellitur, antequam iste, abiuratâ hæresi, ad Ecclesiæ gremium fuerit reversus. Idem minimè obscurè colligitur ex *c. Ex parte 9. de Sponsal. & matrim.* verbis, *Nemini licet, uxorem suam sine manifesta causa fornicationis dimittere.* Unde à contrario, eam ob manifestam fornicationem dimitti posse, legitimè infertur, ut Panormit. in *c. Plerumque 4. de Donat. inter vir. & uxor.* Sylvester *V. Divortium, n. 11.* Co-

n. 11. Covárruvias *cit. §. 5. n. 11.* &, aliis DD. relatis, observant duo Barbosæ, Petr. *in Rubr. ff. Soluto matr. p. 2. n. 26.* Augustin. *in c. Ex parte cit. n. 6.*

77. Cum hac, *in cc. citt.* decisionibus fundata doctrina apertè pugnare videtur textus *c. Porro 3.* quô conjugum separationem, etiam cum parentela sive consanguinitas (eadem aliorum impedimentorum ratio est) publica & notoria est, absque Ecclesiæ judicio fieri posse, diserte negatur. Cujus & antè *citt.* textuum decisiones, ut ab Antinomiæ vitio absolverent, Interpretes, variis expositionibus excogitatis, eas in concordiam reducere laborârunt: ex quibus celebriores & verisimiliores sunt duæ.

78. Una Sylvestri *V. Divortium, q. 8.* Petri Barbosæ *cit. p. 2. n. 26.* & Farinac. *Prax. Criminal. q. 143. n. 52.* asserentium, *c. Porro cit.* decisionem procedere de consanguinitate notoria, quæ tamen, ut ferè solet, aliquô modô celari poterat: posterioribus verò, & præsertim *c. Significâsti cit.* locum esse in adulterio ita notorio; ut nulla inficiatione vel tergiversatione celari valeat vel excusari; quòd vg. uxor ex alio viro prolem susceperit, publicè illi cohabitet, aut cum eo vagetur, vel adulteriũ in judicio, etiam Seculari, sit confessa: quam textuum conciliationem, cùm; quòd frequentiori DD. calculô approbata: tum verò; quôd consanguinitatis notorietas, præsertim in gradibus secundô remotioribus, rara & ferè non multùm urgens sit, aliis præferendam, censet August. Barbosa *in c. Porro cit. n. 4.*

Altera, quam post cæteras latè discussas præfert Sanchez *cit. Lib. 10. disp. 12. n. 38. cc. citt.* decisiones pro diversis potiùs, quam contrariis habens; quantumvis enim, cùm adulterium per uxoris propriam confessionem aut facti evidentiam notorium est, viro innocenti divortium, judiciô Ecclesiæ non expectatô, permissum sit, per *c. Significâsti cit.* textum & argumentum à contrario ductum ex *c. Ex parte 9. de Sponsal. & matrim.* verbis, *Nemini licet, uxorem suam sine manifesta causa fornicationis dimittere:* recessus tamen à conjugio, istiúsque omnimoda dissolutio sine Ecclesiæ judicio ferè permissa non est: quantumvis notoria sit consanguinitas vel aliud ejusmodi impedimentum, inter personas intercedens, juxta *c. Porro cit.* Discriminis rationem reddit; quòd, divortio ob adulteriũ instituto, conjux sola possessione, sive communis thori usu, cohabitationis & obsequiorum conjugalium commodis: recessu autem & dissolutione vinculi matrimonialis, ipsa etiam proprietate privetur; cùm, istâ legitimè factâ, personarum conjunctarum utraque ab altera tanquam à non sua perpetuò & sine redintegrationis ulla spe recedat, & aliud conjugium inire cum aliâ possit. Quòd, cùm multò majoris præjudicii sit, ad conjugii in facie Ecclesiæ contracti dissolutionem propter impedimentum dirimens meritò exigitur judicium sive authoritas Ecclesiæ: quantumvis hæc ad divortium, propter adulterium instituendum, non semper requiratur. Ita cum *cit.* Sanchez, ejus aliàs ex professo adversarius, Pontius *Lib. 9. cap. 18. n. 3.* Coninck *disp. 35. dub. 1. n. 3.* Palao *Tract. 28. disp. 3. p. 6. §. 4. n. 3.* & Pirrhing *ad hanc Rubr. n. 25.* hanc *cc. citt.* conciliationem vocans communem.

Alter casus est, quô de unius adulterio dubium aut probabilis suspicio habetur: quô propria authoritate divertere conjugi innocenti non licere, perspicuè desumitur ex *cit.* decisione Alexandri III. uxoris dimissionẽ *Sine manifesta* fornicatione nemini permissã, asserentis. Un- 79.

de, cùm *can. Dixit, 22. q. 1.* uxor ob fornicationis suspicionem permittitur dimitti, id de suspicione, sive præsumptione violenta & orta ex circumstantiis cum fornicationis actu ferè semper conjunctis, cujusmodi *c. Literis 12. de Præsumptionibus* referuntur, moralémque certitudinem fundantibus, exaudiendum, *in c. cit. n. 2. & in can. Dixit n. 1.* notat Barbosa, & colligitur ex sententia Christi, à S. Ambrosio *can. cit.* relata: uxorem ob fornicationem, hoc est, quando de ea moraliter certò constat, & non solùm qualiscunque suspicio habetur, dimitti permittente, ut observat *cit.* Sanchez *n. 42.*

80. Tertius est, quò adulterium occultum, de quo tamen ab uno perpetrato alteri certò constat, non potest probari: quò casu, spectatâ naturâ matrimonii, adulteri dimissionem, ab eóve recessum innocenti permissum, cum Panormit. *in c. fin. de Adult. n. 6.* Petr. Barbosa *cit. n. 26.* aliísque verisimiliter sustinet Sanchez *cit. disp. 12. n. 5. & 31.* eâ permotus ratione; quòd matrimonium ex natura sua conjuges ad debiti redditionem & cohabitationem obliget: dummodo fidem conjugalem, carnem suam in alienam non dividendò, conjux servet, Matth. *cap. 19. v. 9.* ac proinde hujus in aliam divisione fideíque illius violatione obligationes illæ cessent. Unde, cessante aliorum scandalò, tali casu innocens in conscientia tutus esset non solùm, si adultero negaret debitum, sed etiam, si ab eo clam aliò discedens sacros Ordines susciperet vel ingrederetur Religionem.

Neque obstat decretum Concilii Carthaginensis, *can. Seculares, 33. q. 2.* relati, & excommunicari jubentis viros, qui uxores suas sine judicio Ecclesiæ dimittunt; quòd ab earum consortio ita recedentes sibi jus dicant in propria causa, contra *l. Unic. C. Ne quis in sua causa & can. Inter querelas 27.* junctâ Glos. sâ *V. Propria, 23. q. 4.* Non, inquam, hæc propositi casûs Resolutioni obstant, Textus quidem; quia eò non agitur de earum dimissione ex causa adulterii & Religionem ingrediendi vel sacri Ordinis assumendi animò facta ab eo, qui notitiam criminis certam habet; sed de eo, qui uxorem dimittit sine ulla graviori culpa aut probabili causa, animò ad illicita consortia accedendi, ut ex textu constat. Ratio verò; quia innocens discessu illo non tam sibi jus dicit, quàm utitur jure, sibi ex natura matrimonii certò competente & nulla lege adempto: imò apertè firmato *can. Dixit cit.* quò locò uxor ob fornicationem, cùm de ea constat, dimitti permittitur *Liberè*, hoc est, nullâ aliâ licentiâ vel sententiâ expectatâ; cùm dictione illâ sententia jam lata denotetur, secundùm Tiraquell. *in l. Si unquam 8. C. de Revocand. donat. V. Revertatur, n. 134.* Quod confirmatur factò S. Josephi, sanctissimam Virginum Virginem sibi desponsatam occultè dimittere cogitantis propter adulterii suspicionem; quòd inventa esset habens in utero, Matth. *cap. 1. v. 15.* ut locum illum exponunt Maldonatus & Suarez *3. p. q. 29. art. 1. s. 2.*

81. Dixi tamen, *In conscientia & Seclusò scandalò.* Prius; quia in foro externo ex causa adulterii, nec notorii nec legitimè probati, uxorem dimittens, eam recipere compellendus est; ne hominum malitiæ præbeatur ansa conjugem innocentem ejusmodi dimissione vel recessu injustè vexandi. Posterius; quia ad gra- 82.
vis scandali periculum vitandum liberæ dimissioni aut recessui etiam in foro Conscientiæ interno vix locus est extra casum, quò conjugium est occultum, Sanchez *n. 34.*

Dubium secundò est, an conjugem 83.
adulte-

adulterum dimittere innocens teneatur. Ratio dubitandi oritur ex *can. Sicut crudelis, 32. q. 1. & c. Si vir 3. de Adult. & stupr.* quorum textuum priori uxorem meretricem retinens fatuus & patronus turpitudinis: posteriori cum ea in adulterio permanente vivens reus & criminis particeps habetur.

Nihilominus, per se & ratione adulterii conjugem dimittendi obligationem dari, cum Navarro *in can. Divortium 21. dist. 1. de Pœnit. n. 8.* & *cit.* Sanchez *disp. 13. n. 6.* rectè negant Laiman. *Lib. 5. tract. 19. p. 3. cap. 2. n. 15.* & Pontius *l. cit. cap. 17. n. 2.* partim propter textus *can. De benedicto 5. can. Si quis uxorem 6. &c. 32. q. 1. & c. Quemadmodum 25.* §. *Illud*, ibi, *Tutius est adulterum non accusare, de Jurejurando:* partim; quòd adulteræ dimissio à Christo Matth. *cap. 19. v. 9.* non præcipiatur, sed solummodo permittatur, teste S. Augustino *Lib. 1. de Sermon. Dom. cap. 27.* relatô *can. Idololatria, 28. q. 1.* favore innocentis: qui illatam sibi injuriam condonare, & ex ea quæsito divertendi juri renuntiare non prohibetur *cc. citt.* quia imprimis istorum textus exaudiendi sunt de marito, retinente adulteram sine correctione; talem enim sustinendô in turpitudinem consentire, ejúsque patronus ac particeps meritò censetur. Deinde; quia dixi, *Per se & ex vi matrimonii*; quia per accidens & ratione scandali ac sinistræ suspicionis, cujus de se concipiendæ ansam aliis præbet, post correctionem in adulterio persistentem uxorem dimittere aliquando, licet rarò admodum, tenetur: & rariùs, imò vix unquam uxor; cùm ad viri correctionem subdita non obligetur, & ex ejus retentione scandalum aut consensûs suspicio non facilè oriatur.

84. Dubium tertiò est, an adulterum resipiscentem recipere, & cum eo conjugium redintegrare innocens teneatur. Posse, si velit, Orthodoxorum nemo est, qui inficias eat contra S. Augustinum *can. Quòd autem &c. 32. q. 1.* relatum. Teneri saltem, si non sæpe relabatur, suadent *c. Si vir 3. cit.* verba, *Si mulier pœnitentiam egerit, debet sed non sæpe recipere pœnitentem.* Verùm 85. textum hunc de honestatis & cujusdam æquitatis, non de necessitatis & legali debito cum Glossa, Hostiensi *V. Debet* accipiendum, notat Pontius *cit. Lib. 9. cap. 19. n. 6,* Unde ipse & DD. alii, adulterum legitimè dimissum recipiendi obligationem dari, meritò negant: & *can. Dixit, can. Quod autem citt. &c.* consilia, non præcepta contineri, ajunt, extra nonnullos casus, Primò quidem, quô resipiscentis receptione magnum aliquod malum averti aut bonum promoveri potest. Secundò, quô adulteriô sibi illatam in- 86. juriam innocens remisisset, vel expressè *l. Si maritus 15. §. 5. ff. ad L. Jul. de Adult.* vel tacitè, ei liberè ac sponte se copulandô, vel domi retentæ exhibendô solita obsequia & signa affectûs conjugalis; talia enim conjugi adultero exhibentem ad divortium in foro externo non admitti, à Rota decisum, testis est Farinacius *Vol. 2. Consil. 193. n. 34.* Tertiò, quô 87. in adulterium, qui prius erat innocens, prolapsus etiam ipse fuisset; hôc enim casu ab isto, saltem si propria authoritate divertisset, ob adulterium ante dimissum conjugem recipiendum, patet ex *c. Significâsti 4. in fine & c. Ex literis 5.* Ratio est partim; quòd periniquum videatur; ut ab uxore pudicitiam vir exigat, quam ipse non exhibet, *l. Si uxor 13. §. ff. ad L. Jul. de Adult.* junctô *can. Nihil iniquius, 32. q. 6.* & omnino æquum; ut eâ lege, quam ambo contempserint, neuter vindicetur, *l. Si duo 36. ff. de Dolo & l. Si ambo 10. ff. de Compensat.* partim verò; quòd, ut

c. In-

c. Intelleximus 6. & fin. de Adult. dicitur, paria delicta mutuâ compensatione tollantur, quando agitur Civiliter sive ad utilitatem privatam: sicut contingit, cùm ob adulterium agitur ad thori separationem, ut *in c. Intelleximus cit.* notat Panormit. *n. 5.* & *in c. fin. cit.* Gonzalez *n. 14.*

Neque refert; quòd adulterium uxoris sit gravius quàm mariti; atque idcirco etiam cùm Civiliter & ad divortium agitur, compensationi locus non esse videatur; quia, licet non quoad omnia, paria tamen delicta sunt quoad violationem thori & fidei conjugalis: quam præcipuè in adulterio considerant Jura, divortium permittentia innocenti, ut cum Gaëta *in can. Ad limina, 30. q. 1. §. 4. n. 217.* & aliis probè advertit *cit.* Sanchez *disp. 4. n. 5.* ubi ob eandem rationem delicta compensari ait etiam, quando conjugum unus Sodomiæ, alter adulterii est reus.

88 Dubium quartò & momenti minimè levis controversia est, an ob adulterium dimissus authoritate sententiæ judicialis, quæ transiit in rem judicatam, alterô in idem delictum postea lapsô, agere valeat ad conjugii restaurationem. Negant id cum S. Thoma *in 4. dist. 35. q. unica, art. 6.* Panormit *in c. fin. cit. n. 5.* Sylvestro *V. Divortium 27.* & aliis TT. ac ICT.is magno numero congestis *cit.* Sanchez *disp. 9. n. 30.* & Laiman. *Lib. 5. tract. 10. p. 3. cap. 7. n. 14.* Moventur; quia, quod semel bene est definitum, minimè retractandum est, *can. Quod bene, 6. q. 4.* Dein; quia conjugem repetenti obstat exceptio rei judicatæ: quam abolendi vim non habet adulterium commissum post sententiæ transitum in rem judicatam. Demum; quia per sententiam divortii conjux innocens absolvitur à debito societatis conjugalis: &, licet non ipsum vinculum matrimonii, ejus tamen contractus quoad jus communis thori & habitationis dissolvitur. Unde innocentis adulteriô nulla injuria infertur conjugi, utpote jus ad thorum & in corpus alterius non amplius habenti.

Sed veriùs, ad matrimonii redintegrationem agi etiam tali casu posse, cum Glossa *in c. Ex literis cit. V. Ad invicè*, Hostiensi *ibid. n. 2.* Gaëta *cit. §. 4. n. 228.* & aliis præsertim Interpp. defendunt Covarruvias *p. 2. de Sponsal. cap. 7. §. 6. n. 5.* Molina *Tract. 3. disp. 95. n. 5.* Pontius *cit. Lib. 9. cap. 19. n. 6.* duo Barbosæ Petrus *in l. Viro 36. ff. Soluto matr. n. 4.* Augustinus autem *in c. fin. cit. n. 4.* & Fagnanus *in c. Ex literis cit. n. 9.* Ratio est; quia sententia divortii ob unius conjugis adulterium divertendi jus non ipsa concedit: sed id solummodo innocenti ex adulterio quæsitum declarat, ut eô uti publicè possit, ut colligitur ex eo; quòd, ubi adulteriû publicum & notoriû est, divertere possit propria authoritate, *c. Significâsti & c. Ex parte citt.* at jus innocenti ex adulterio quæsitum solummodo est ad divertendum, dum ipse innocens est; quia aliàs post unius adulterium divertendi jus alter etiam haberet, quando adulterium ipse comitteret: & matrimoniû instaurare non teneretur, si adulterium post divortiû propria authoritate institutum comisisset. Eô ipsô ergo; quòd comisisô adulterio innocens esse desinat, jus ex adulterio & divortii sententia quæsitum cessat. Quare in sententia divortii subauditur conditio, *Si actor servaverit continentiam:* quâ proin cessante reus agere poterit ad matrimonii redintegrationem. Confirmatur; quia, quando 90
causa sententiæ venit ad non causam, sive quando cessat causa, ob quam sententia lata est, agenti non obstat exceptio rei judicatæ, Barthol. *in l. Si fullo 2. ff. de Condict. sine causa n. 1.* Cùm ergo adulteriô ab altero commissô causa sen-

tentiæ

tentiæ divortii cesset, ad matrimonii instaurationem agenti dicta exceptio non obstabit.

Neque contrarium persuadent allata argumenta. Primum; quia, si vim haberet, neque officiò judicis cogi conjuges possent ad reconciliationem, ut vult *cit* Sanchez *n. 31.* Unde *cit. can.* intelligendus est de retractatione ex iisdem causis: non de ea, quæ fit ex causa nova, juris, quod ad divortium habuit innocens, novam declarationem exigente. Unde etiam corruit alterum; quia, licet rei judicatæ exceptio agenti obstet, quò minùs sententiam in dubium valeat revocare: non tamen obstat agere volenti ob novam causam, & exigenti novam declarationem juris ex adulterio quæsiti.

Postremum; quia etiam adulterium posterius injuriosum est conjugi dimisso; cùm sententia divortii tantùm eximat ab obligatione reddendi debiti & cohabitationis: non autem, ne aliis copuletur; secus enim matrimonii instauratio peti non posset contra eum, qui ob notorium conjugis adulterium divertit propriâ authoritate; cùm enim sententia declaratoria tantùm sit juris, innocenti conjugi ex alterius adulterio competentis, non plus licebit contra eum, qui propriâ, quàm contra eum, qui judicialis sententiæ authoritate divertit.

ARTICULUS VI.

De Matrimonii quoad thorum & habitationem Dissolutione Temporanea.

SUMMARIUM.

91. *Conjugis fornicatio causa Divortii perpetui est,*
92. *Per se & ex natura matrimonii:*
93. *Temporanei causa sunt I. illius hæresis:*
94. *Quæ neque cum alterius conjugis hæresi,*
95. *Neque cum ejus fornicatione compensatur.*
96. *II. Periculum grave peccandi:*
97. *Quamdiu id durat.*
98. *III. Conjugis sævitia.*
99. *IV. Valde molesta cum eo habitatio.*
100. *Non etiam verberatio mariti:*
101. *Nisi ea excessiva,*
102. *Et in futurum timenda sit.*
103. *Viro ob uxoris sævitiam divortium aliqui negant:*
104. *Alii & melius concedunt.*
105. *Divortium exigit judicis Ecclesiastici sententiam:*
106. *Quâ latâ neque conjugi sævo,*
107. *Neque etiam innocenti licitus est ingressus Religionis:*
108. *Nisi sententia absoluta & perpetua sit,*
109. *Post eam, cessante sævitia, matrimonii redintegratio non semper fit:*
110. *Nisi sævitia vacârit culpâ.*
111. *V. Lepra aliúsve morbus contagiosus.*

91. PErcelebris inter DD. Orthodoxos & nostri temporis Sectarios controversia est, an præter fornicationem sive adulterium conjugis aliæ quoque justæ causæ Divortii sint: cui ansam præbuit sententia Servatoris nostri, mæchari asserentis eum, qui dimiserit uxorem suam, exceptâ causâ fornicationis, Matth. *cap. 5. v. 32. & cap. 19. v. 9.* ex quibus, conjuges ob unius lepram aliámve infirmitatem quoad thorum & cohabitationem non separandos, desumpsit & Bajonensi Episcopo rescripsit Alexander III.

c. Quoniam 2. de Conjugio leprof.

Sed Catholica & à S. Synodo Tridentina *Seff. 24.* definita Veritas eft, divortii cauſam unicam non eſſe, ut patet ejus S. Synodi *Canone VIII.* cujus tenor eſt, *Si quis dixerit, Eccleſiam errare, cùm ob multas cauſas ſeparationem inter conjuges, quoad thorum ſeu quoad cohabitationem, ad certum incertúmve tempus fieri poſſe, decernit, Anathema ſit*, cujus definitionis cum *c. Quoniam cit.* & recitatis Chriſti verbis plures conciliationes afferunt DD.

92. Mihi præ aliis placent duæ. Una Bellarmini *Lib. 1. de Matr. cap. 14.* Maldonati *in Matth. cap. 5. v. 32.* & Valentiæ *Controverſ. Lib. unicô, de Indiſſolubilitate Matrim. cap. 6.* aſſerentium, cauſam divortii, quæ ex ipſa natura conjugii oriatur, unicam eſſe fornicationem; quia ex omnibus cauſis, ob quas divortium permitti ſolet, fidei conjugali & matrimonii ſubſtantiæ ipſa ſola adverſatur; aliæ enim cauſæ vg. ſævitia aut periculum animæ, aliunde quàm ex natura conjugii oriuntur, & perſonas etiam non conjugatas ſeparandi juſtam cauſam præbent. Altera eorundem Bellarmini §. *Secunda*, Maldonati *l. cit.* & Petr. Ledeſma *de Matrim. q. 62. art. 5.* dicentium, adulterum per ſe eſſe unicam cauſam divortii perpetui & abſoluti; tale enim & verum divortium Jure duntaxat eſt, quod perpetuæ diſſenſionis conſtituendæ animô ſit, *l. Divortium 3. ff. de Divortiis*; ob reliquas enim cauſas merè per accidens, & non perpetuò atque abſolutè, ſed tantùm, quamdiu earum aliqua vg. ſævitia aut lepra durat, divortium Eccleſia permittit: quæ expoſitio valde conformis eſt Tridentini *can. cit.* ob plures cauſas divortium, *Ad certum incertúmve tempus*, non perpetuò permiſſum, definientis.

In ſpecie autem hujusmodi divortii cauſæ ſunt Primò Hæreſis, multóque magis Apoſtaſia à Fide, *c. De illa 6. c. Quantò 7. in fine*: imò hæc, tanquam ſpiritualis fornicatio, *arg. can. Idolatria 5. can. Non ſolùm 6. &c. 28. q. 1.* aliquando juſta cauſa divortii perpetui eſt, juxta *c. De illa cit. V. fin. & c. fin. de Converſ. conjug. ad quam Rubr.* hac de re eſt actum *à n. 34.* 91.

Dubium tamen hôc locô eſt, an, ſicut adulterii carnalis, ſic & ſpiritualis ſive hæreſeos crimina quoad divortium compenſentur. Ratio dubitandi eſt; quòd utriusque conjugis in hæreſin lapſi delicta paria ſint: paria autē delicta mutuâ compenſatione tollantur, *l. fin. C. de Compenſat.* præſertim in matrimoniis ac divortiis, *c. Intelleximus 6. c. fin. de Adult. & ſtupr. & l. Viro atque uxore 36. ff. Soluto matrim.* Verùm hoc ſolummodo procedit, quatenus pecuniariter intereſt, *l. Si ambo 10. §. 2. ff. de Compenſat. & l. Si duo 36. ff. de Dolo*, ubi duo, dolô malô ſe invicem decipientes, de dolo invicem non agunt: &, cùm delicti pœna directè & principaliter impoſita eſt in favorem alterius, Petr. Barboſa *in l. Poſſ dotem 40. ff. Soluto matrim. n. 5.* Gonzalez *in c. Intelleximus cit. n. 1.* & Bruneman. *in l. Si ambo cit. n. 4.* pœna autem divortii & privationis juris exigendi debitum conjugale, *c. De illâ & c. Quantò citt.* hæreſi impoſita directè & principaliter non conjugis innocentis, ſed publicum Eccleſiæ & Religionis Catholicæ favorem ſpectat; cùm ob injuriam & violationem fidei, non conjugi, ſed Deo datæ, illatam Jure propoſita ſit. 94.

Quare, compenſatione omnino excluſâ, propoſita dubitatio cum Sanchez *Lib. 10. de Matr. diſp. 16. n. 4.* Pontio *Lib. 9 de Matrim. cap. 21. n. 6.* Palao *Tract. 28. diſp. 3. p. 6. §. & n. 8.* & Perez *Diſp. 57. de*

57. de Matrim. f. 3. à n. 1. resolvenda est ope distinctionis; vel enim Ecclesiæ judiciô hæreseos criminis uterque, vel alter solus est condemnatus? Si priùs: ab altero divertere uterque, alterô invitô, potest: donec mutuo consensu pristinum conjugii statum & amicitiam uterque restauret; quia perpetui divortii causa ex parte utriusque reperitur, cùm; quia conjux à debito fidelitatis & obsequii conjugalis exhibendi hæretico condemnato omnino est absolutus, *c. fin. de Hæretic. in 6.* tum verò; quia hæreseos sententiâ Ecclesiæ judiciô latâ ei, qui in hæresin nondum lapsus est, libera facultas conceditur transeundi ad Religionem, *c. fin. de Conversi. conjug.* manifestô argumentô, hæreticum condemnatum jure conjugali perpetuò privatum; ut id quocunque casu, ac proinde etiam alterô in hæresin lapsô, non recuperet; quòd id recuperari ullo Jure expressum non reperiatur: & jus semel extinctum non revivi-scat, *l. In tantum 6. §. 3. ff. de Rer. divis. & l. Inter stipulantem 83. §. 5. ff. de V. O.* Anchoran. *Consil. 494. n. 13.* & Tuschus *Practic. V. Actio, concl. 116. n. 3.* Si posterius: is, qui Ecclesiæ judiciô condemnatus non est, à condemnato divertere potest, eique reconciliari non tenetur, ob allatam rationem. Contrà condemnatus etiam, postquàm resipuit, ab eo, qui hæreseos condemnatus non est, divertere non potest, nisi ad tempus, quô in hæresi perseverat: ei verò resipiscenti reconciliari tenetur. Ratio est; quia hæresis, cujus quis Ecclesiæ judiciô condemnatus nondum est, divortii ad tempus tantùm, quô is, in hæresi perseverat, non perpetui sufficiens causa est, *c. Quantò cit.* Cujus discriminis ea ratio est; quòd hæresis ante sententiam divortii causa tantùm sit ratione periculi perversionis: quod cùm, hæreticô resipiscente, cesset, etiam divortium cessabit: post sententiam autem est pœna, ei propter hæresin perpetuò inflicta, *cc. fin. citt.* Castro *Lib 2. de Hæret. punit. cap. 7.* Henriquez *Lib. 11. cap. 17. n. 6.* & Valentia *cit. cap. 6.*

Dubium secundò est, an quoad divortium adulterii carnalis & spiritualis sive hæresis crimina compensentur. Non quidem, antequam alter Ecclesiæ judiciô hæresis est condemnatus; quia, ut quoad divortium crimina compensentur, utrumque crimen ex se divortii perpetui sufficientem causam esse, est necesse, per tradita à *cit.* Sanchez *disp. 6. n. 3.* tali autem casu perpetui divortii causa sufficiens solùm adulterium, non etiam hæresis est; cum ista divortio causam ante sententiam solùm præbeat ratione periculi perversionis; atque idcirco, hæreticô emendatô cesset. Sed, si hæresis sententia in ejus reum conjugem sit lata; hôc enim casu an hæresis cum adulterio carnali compensetur, dubitandi ratio est; quòd utrumque delictum fornicationis, unum carnalis, alterum spiritualis: & utrumque perpetui divortii sufficiens causa sit. Sed esto, adulterium & hæresis quoad hoc paria sint, disparia tamen & rationis omnino diversæ delicta sunt quoad alia; quia imprimis adulteriô fides data homini violata & caro in aliam divisa est: hæresi autem violata est fides data Deo & vera ejus Religio contempta. Deinde hæresis crimen, licet multô gravius adulteriô, minùs tamen, quàm istud, injurioſa est conjugi & matrimonio, quorum favore divortium ex adulterii causa est permissum. Demum; quia divortium ex causa adulterii concessum directè & principaliter spectat favorem conjugis innocentis: concessum autem ex causa hæresis post condemnationem pœna est, principaliter vindictam 95.

publicam & Ecclesiæ atque Religionis Catholicæ favorem spectans.

Quare adversus conjugem Catholicum adulterum, ex crimine hæresis ad divortium agentem, conjugi istius criminis condemnato ulli præsidio non est exceptio adulterii illi objecta. Hæretici etiam condemnati & Ecclesiæ jam reconciliati ex causa adulterii carnalis ad divortium agentis intentio excludi non potest ipsi oppositâ hæresis exceptione, ut cum *citt.* Sanchez *disp. 16. n. 3.* rectè docent *citt.* Palao *n. 8.* & Perez *n. 3.* Ratio est; quia ratio divortii ex utroque delicto concessi diversa, & ipsius divortii ex utroque concessi finis diversus est; cùm principaliter, unum privatum, alterum publicum favorem spectet.

Neque has utriusque dubitationis resolutiones convellit, & adulterii atque hæreseos crimina quoad divortium compensari persuadet; quòd in materia Justitiæ duo ejusdem rationis debita sæpe compensentur: licet injuriæ, ex quibus debita orta sunt, diversæ, & compensationi obnoxiæ non sint; sic enim, si Titius Caio centum debeat ratione furti, & totidem Caius Titio debeat ratione illatæ ei atrocis injuriæ, debita compensantur: quantumvis iniuriæ, ab utroque alteri illatæ, rationis sint diversæ. Non, inquam, ista compensationem quoad jus divortii persuadent; quia, re accuratiùs ponderatâ, inter duo ex diversis criminibus orta debita, & divortia ex diversis criminibus permissa, latum est discrimen, cùm; quia ex adulterii & hæresis criminibus orta divertendi jura rationis sunt diversæ, finésque & favores juxta dicta spectant diversos: tum verò; quia in debitis ex furto & injuria ortis aliquid tradendum est creditori; ac proinde casu, quô duo ejusdem quantitatis debitores & creditores sibi mutuò sunt, debita meritò compensantur; ne creditores, si petant, quod statim reddituri sunt, dolô agere videantur, *l. Dolo 8. pr. ff. de Doli except. & Reg. Dolô 59. in 6.* in divortio autem nihil alteri ab altero tradendum est, sed solummodo amittitur jus respiciens debitum & cohabitationem conjugalem, illæsô manente jure innocentis, reum sibi reconciliare etiam invitum valentis, si velit: &, si nolit ad reconciliationem &, cum uterque ex diversa causa nocens est, etiam ad compensationem admittendam nullo Jure obligati fe-
re, sicut duo sponsi de futuro: quorum si à sponsalibus resiliendi justam causam uterque habeat; quòd vg. alter fornicatus, alter lepræ morbô percussus sit, sine ulla compensatione à sponsalibus recedere uterque potest; quòd ex diversæ rationis causis à sponsalibus recessus Jure permissus utrique sit, *c. Quemadmodum 25. pr. de Jurejurando.*

Secundò, periculum gravis peccati, vg. si maritus uxorem velit prostituere, latrocinii, veneficii &c. participem facere, *arg. can. Idolatria, 28. q. 1.* quia Jure Naturali & Divino cuivis permissum est, perversionis animæ suæ & peccati periculum vitare, juxta illud Christi, *Si oculus tuus scandalizat te &c.* Matth. *cap. 18. v. 9.* quô locô ab Interpp. nomine *Oculi* quicunque nobis conjuncti, ut parentes, uxor, liberi, quando sunt causa ruinæ animæ, intelliguntur. Ita cum S. Thoma *in 4. dist. 39. q. unic. art. 6.* Innocentio & Panormit. *in c. Quæsivit cit. n. 2.* & aliis observat *cit.* Sanchez *disp. 17. n. 5.* 96.

Neque obstat, quòd *c. Quæsivit 2.* uxori divortium propter furtum vel aliud crimen viri negetur: & disertè permittatur ob perversionem Fidei & periculum illius, ibi, *Nisi fidei suæ religionem corrumpere velit*; quia hoc regulare, non perpetuum

perpetuum est; cùm enim periculum pertractionis in peccatum à coniuge in hæresin vel Apostasiam prolapso regulariter: à latrone autem & aliis criminibus inquinato rarò impendeat, ab hæretico & Apostata regulariter: ab eo autem, qui aliis flagitiis deditus est, divertere non licebit, nisi casu, quò probabile est periculum perversionis, ut cum Gaëta *in can. Ad limina, 30. q. 1. §. 4. n. 235.* & aliis rem hanc explicat Sanchez *disp. cit. n. 5.*

97. Dubium est, an gravis peccati periculum, ex cohabitatione cum coniuge imminens, divortii perpetui iusta causa sit; id enim affirmat Innocentius *in c. De illa 6. in fine*, ductus paritate cum hæresi: quam perpetui divortii causam esse, dictum planúmque est ex *c. cit. & c. fin. de Conversf. conjug.* Consentit ex parte Veracrux *Speculi p. 3. art. 1. in fine, concl. 4.* probabile esse, asserens, ob inductionem, sicut in hæresin, sic & in alia crimina perpetuò divertere coniugi licitum Jure Naturæ & Divino: illicitum autem esse ob Ecclesiastici Juris prohibitionem, *c. Quæsivit cit.* Sed malè, cùm; quia divertendi iuri, Naturali Divinóve Jure concesso, Ecclesiam derogare voluisse: &, si divortium Naturale aut Divinum Jus permissum esse, voluit, potuisse, verisimile non est, ut *arg. can. Inferior 4. dist. 21.* cum Soto *in 4. dist. 36. q. unic. art. 1.* rectè observat *cit.* Sanchez *disp. 5. n. 23.* tum verò; quia Ecclesiasticus canon, quò periculum inductionis in peccatum perpetui divortii iustam causam esse, asseratur, non extat: & divortium, quod ex hæresis tanquam spiritualis adulterii causâ, *c. De illa & c. fin. citt.* permittitur, perpetuum non est, antequam in coniugem eius criminis sententia sit lata.

Quare eum, qui propter inductionem in peccatum à coniuge divertit, ad hunc resipiscentem serióque conversum, ut peccandi periculum ab eo nullum amplius sit, recipiendum, redeundúmve ad eum & matrimonium redintegrandum, cum Zabarella *in c. De illa cit. in fine*, Sylvestro *V. Matrimonium 9. n. 12.* & aliis meritò obligant Petr. Ledesma *de Matrim. q. 62. art. 5. ad 1.* Bellarmin. *Lib. 1. de Matrim. cap. 14. causa 2.* & *cit.* Sanchez *disp. 17. n. 14.*

Tertiò, sævitia aut furor mariti, vg. consortem suam capitali odiò persequentis, eiúsque vitæ ferrò, venenò &c. insidiantis, mortem vel mutilationem seriò minitantis, aut aliis modis crudeliter tractantis, ut colligitur ex *c. Extransmissa 8. & c. Literas 13. de Restit. Spoliat.* & latè explicat *cit.* Sanchez *disp. 18. tota.* 98.

Quartò sævitiæ affinis & iusta divortii causa aliquando est valde molesta cohabitatio ex frequentia iurgiorum & rixarum, quas coniugum alterius inveterata & indomita improbitas solet excitare; quòd huiusmodi incommodorum metus sit gravis & in constantis animi hominem cadens, ut cum Henriquez *Lib. 11. cap. 17. n. 7.* observat Sanchez *disp. cit. n. 11.* 99.

Dubium est, an divortio justam causam uxori præbeant verbera, inflicta vel timenda à marito. Sunt enim Doctores, qui absolutè id asserant &, qui inficientur extra casum, quò ex verberationis atrocitate mortis periculum timetur. Alii & meliùs dubitationem resolvunt ope distinctionis inter verberum inflictionem; vel enim ea levis ac moderata, vel gravis & excessiva est? 100.

Si prius, divortii causa justa nullatenus est; quòd, cùm hujusmodi verberatio correctionem potiùs quàm punitionem spectet; atque idcirco ex justa causa viro respectu uxoris permissa sit, *can. Sicut 39.* junctâ Glossâ *V. Judicari, 7. q. 1.* non appareat, quâ ratione justam divortii causam præbeat uxori, ut cum Tholosano

Lib. 9. Syntagmat. cap. 15. Petro Barbosa *in Rubr. ff. Soluto matrim. p. 2. n. 31.* & aliis advertit *cit.* Sanchez *disp. 18. n. 16.* idem asserens, etiamsi levi ac moderatâ verberatione vir sine justa causa sit usus; quòd ea neque virum arguat sævitiæ, neque justi & in constantem animum cadentis metûs causam præbeat uxori.

101. Si posterius, & verberatio gravis atque excessiva est, altera distinctione opus est inter præteritam ac futuram; cùm præteritam etiam atrocem verberationem, si ex insolitæ iræ & inopinatæ perturbationis motu processit, ejúsque in posterum exercendæ probabilis timor non sit, justam divortii causam esse, cum *cit.* Barbosa *n. 32.* & aliis rectè negent Guttierez *Lib. 1. Q. Q. Canon. cap. 24. n. 9.* Sanchez *cit. n. 16.* Laiman *Lib. 5. tract 10. p. 3. cap. 7. n. 17.* & Palao *Tract. 28. disp. 3. p. 6. §. 9. n. 7.* quia ex unica & inopinata, etiam multùm excessiva verberatione, sævitia legitimè non probatur, ex mente Rolandi à Valle *Tom. 3. Consil. 27. n. 12.* & Riminaldi *Vol. 2. consil. 147. n. 31.* quòd ea assiduitatem, aut saltem ad grave malum inferendum propensionem & proclivitatem quandam exposcere videatur.

102. Futurâ autè, sive in posterum verisimiliter inferendâ ac timendâ gravi & præsertim atroci verberatione justam divortii causam uxori præberi, cum Tiraquello *Connub. l. 1. gloss. 1. n. 24.* Covarruvia *cit. cap. 7. §. 5. n. 1.* & aliis, quos refert, laudatus Sanchez *l. cit.* defendit contra *cit.* Barbosam *n. 34.* verberationem, quæ probabile mortis periculum afferat, exposcentem. Sed malè, partim; quia verberatio gravis generatim justa causa repudii habetur Jure Civili, *l. Consensu 8. §. 2. in fine, C. de Repud. & Novell. 22. cap. 15. §. 1.* ibi, *Aut, si flagellis super ea utatur;* nam, ut *cit. §. 2.* dicitur, hujusmodi verbera *Ab ingenuis aliena sunt*, & propria servorum, Glossa *in can. Sicut & V. Judicari cit.* partim verò; quia gravis & excessivæ verberationis metus in constantis animi hominem cadit.

Dubium secundò est, an ob sævitiam 103.
uxoris divertere etiam valeat maritus; huic enim ob illius etiam in mortem machinantis sævitiam divortium non permissum, cum Glossa *in c. Quæsivit 1. V. Vel alio* volunt Hostiens. *in c. Quemadmodum 25. de Jurejurando in fine,* & Ant. de Butrio *in c. cit. §. Illud autem, in fine,* eâ præcipuè persuasi ratione; quòd Ecclesiastici canones, *c. 1. Ut lite non contest. c. Ex transmissa 8. & c. Literas 13. de Restitut. Spoliat.* qui divortii ex sævitiæ causa meminêre, de sola uxore, à viro sibi timente, loquantur: imò *can. Quidquid, 32. q. 5.* relatum Nicolai I. ad Consul. Bulgar. *cap. 96.* responsum sit, *Quidquid mulier tua contra te cogitaverit aut fecerit, non est, exceptâ fornicationis causâ, rejicienda.* Neque, ob sævitiem eam quoque rejiciendam, viróque divortium permissum, evincitur ex eo; quod maritus & uxor sint correlativa; ac proinde de illo dispositum ad istam, & vicissim porrigatur, *arg. l. Unica C. de Indicta Vid.* quia istius legis argumento locus non est contra apertam Juris definitionem: &, cùm non eadem ratio est correlativi utriusque, per tradita ab Everardo *Legal. arg. locô à Correlativis n. 8.* non eadem autem ratio est mariti & uxoris; cùm vir uxorẽ, cujus est caput, *can. Hæc imago 13. & can. Cùm caput 33. q. 5.* non etiam ista virum coërcere ac punire possit; quòd viri potestati sit subjecta, *can. Fœmina 30. q. 5. & can. Est ordo 12. &c. 33. q. 5.*

Sed meliori ratione etiam marito ab 104.
uxore, vitæ suæ insidias struente, si ab ea aliter se tueri nequeat, divortium cum Panormit. *in c. 1. hâc Rubr. n. 4.* Joan. Andr. *ibid. n. 3.* Alex. de Nevo *n. 4.* Præposito

posito *in fine*, Gaëta *in can. Ad limina, 30. q. 1. §. 4. n. 235.* & VV. aliis permittunt Covarruvias *cit. §. 5. n. 2.* Petr. Barbosa *in Rubr. ff. Soluto matrim. p. 2. n. 23. citt.* Ledesma *q. 62. art. 1. dub. 4.* Sanchez *disp. 18. n 8.* & Palao *Tract. 28. disp. 3. p. 6. §. 9. n. 6. ad finem.* Ratio perspicua est, quia Jus naturale cuivis concedit facultatem adversus vim injustam se tuendi, & mortis inferendæ periculum quovis modo declinandi adeò; ut ipse etiam contractus matrimonialis ad cohabitationem cum vitæ discrimine ex illa, præsertim à malitiosa uxoris machinatione proveniente, conjunctam non obliget; quòd, ad eam aliter quàm salva proprii individui incolumitate se obligare voluisse, neuter conjux præsumatur, per tradita *ad Rubr. de Conjug. Leprof. n. 6.* Quæ ratio cùm æquè militet pro conjuge utroque, sicut uxor, cùm maritus, sic etiam iste, cùm illa vitæ suæ insidias struit, & hæ aliter evitari non facilè possunt, factô divortiô suæ incolumitati prospicere valebit; ut adeò hôc quoque casu uxoris & mariti, tanquam correlativorum, æquiparatio procedat.

Neque hanc excludunt & resolutionem ullatenus infringunt allegati Juris textus, cum; quia solius uxoris ideo meminêre; quòd viri in eam sævitia frequentior sit, quàm ejus in virum: verba autem legis, posita gratiâ frequentioris usûs, ejus dispositionem non restringunt, secundùm Glossam *in Clement. 1. V. Præsidentes, de Rescript.* Rebuffum *de Nominat. q. 5. à n. 3.* & Acostam *in c. 1. de Testament. in 6. V. Si absque liberis, n. 20.* tum verò; quia *can. Quidquid cit.* relatum Nicolai Papæ responsum non comprehendit casum, quô cohabitatio cum uxore conjuncta est cum probabili periculo vitæ; cùm hanc adversus insidias quovis modo tueri permittat Jus Naturale, *l. Ut vim 3. ff. de J. & J. & l. Itaque 4. pr. ff. ad L. Aquil.* cui derogare cùm Papa nec voluerit, nec potuerit, *can. cit.* insertâ exceptione causæ fornicationis ex aliis causis divortium duntaxat perpetuum excludetur: non, quod ad certum incertúmve vg. gravis peculi durantis tempus fit, & permissum, liquet ex definitione S. Synodi Trident. *can. 8. cit.*

Dubium est tertiò, an ob sævitiam sive affine incommodum conjugi divertere liceat propriâ authoritate. **105.** Non licere, sed Ecclesiasticæ authoritatis interventum necessarium esse, cum Covarr. *cit. cap. 7. §. 6. n. 10.* Pontio *Lib. 9. de Matrim. cap. 23. n. 7.* & aliis rectè monet Palao *cit. p. 6. §. 9. arg. c. 1. c. Ex transmissa c. Literas citt. c. Porro 3. & c. Significâsti 4. hâc Rubr.* Ratio est; quia eô agitur de dissolutione juris & obligationis Sacramenti matrimonii, cujus tanquam Spiritualis causæ tractatio propria est judicis Ecclesiastici, juxta dicta *ad Rubr. præced. à n. 2.* qui, si ejus causam esse legitimam, & uxori adversus viri sævitiam pignoratitiâ, fidejussoriâ aut, his deficientibus, juratoriâ cautione satis prospici non posse, perspexerit, ad divortii sententiam proceder. Unde

Dubium quartum oritur, an divortii sententiâ ob sævitiam latâ, conjugi divertenti licitus sit ingressus Religionis. **106.** Nocenti, à quo innocens divertit, sine istius consensu Religionis ingressû aut sacri Ordinis susceptionem non permissam, res est satis explorata; cùm, is sævitiam deponere, eáque depositâ ad innocentis petitionem matrimonium redintegrare teneatur; quòd divortii sententia lata sit in ipsius odium & favorem innocentis, per tradita à Sanchez *cit. n. 49. in fine*, junctâ *disp. 10. n. 3. & 10.* Innocenti etiam, qui ex divortii sententia à sævo conjuge divertit, ad Religionem transitum Jure non permissum,

missum, inde evinci videtur; quòd Juris textus transitum illum coniugi, eius thori consorte invitô, solùm permittant ex causa fornicationis, *can. Sunt qui 10. can. Agathosa 21. in fine, 27. q. 2. c. Constitutus 15. & c. Veniens 16. de Convers. conjug.* &; quòd transitus ille & susceptio Ordinis sacri inducat ac supponat divortium perpetuum: cuius iusta causa sola coniugis fornicatio, *can. Quidquid cit. c. Ex parte 9. de Sponsal. & matrim* & Matth. *cap. 19. v. 9.* non etiam sævitia est; cùm, ista cessante, vel etiam sufficiente cautione de incolumitate à coniuge sæviente præstita, matrimonium sit redintegrandum, *citt. c. Ex transmissa & l. Literas, in fine.*

107. At, licet hæc ratio admodum urgeat, locus tamen imò opus est distinctione; vel enim divortii sententia solùm temporanea & ad certum incertúmve tempus lata, vel omnino absoluta & perpetua est? Si prius &, quòd sævitiæ ac furoris remittendi spes sit, sententia solùm temporanea est, Religionis ingressus uti & sacri Ordinis assumptio divertenti procul dubiô permissa non est; cùm propter rationem in eam rem deductam: tum verò; quia hujusmodi sententiâ conjugale jus non extinctum & omnino amissum, sed ejus tantùm executio ad tempus suspensa est, Petr. Barbosa *cit. p. 2. n. 25.* Sanchez *cit. n. 49.* & Perez *disp. 57. de Matrim. s. 5.*

108. *n. 9.* Si posterius &, quòd sævum conjugem non corrigendum & innocentis incolumitati ulla cautione satis prospici non posse, judex arbitratus sit, divortii sententia absoluta & perpetua ab eo lata est, conjugi, ab eo divertenti, transitum ad Religionem omnino licitum, cum Navarro Manual. *cap. 22. v. 22. §. Quintò*, & Barbosa *p. cit. n. 26.* sustinent Henriquez *Lib. 12. cap. 5. n. 10. citt.* Sanchez *n. 49.* Palao *§. 9. n. 12.* & Perez *n. 9.* Ratio est; quia jus conjugale, quod unicum ingressui obstat, tali casu cessat; quòd ratione sævitiæ, ullam correctionem istiúsque spem non admittentis, cohabitatio cum perpetuo vitæ periculo conjuncta judicetur; ut adeò hujusmodi divortium per accidens imitetur id, quod ex carnalis vel spiritualis fornicationis causa Ecclesiastici judicis authoritate fuit institutum.

Neque posteriori huic resolutionis parti adversantur Divini atque Ecclesiastici Juris textus allegati; quia fornicatio perpetui divortii causa unica est per se & ex natura ipsius contractûs matrimonialis; quòd sola ea fidei conjugali & matrimonii substantiæ repugnet: sævitia autem illius causa merè per accidens est ratione perpetui periculi, ex conjugum junius sævitia alteri imminentis, & divortii sententiæ in ejus pœnam latæ; ut adeò, sicut fornicatio per se, ita sævitia per accidens tantùm, & quod perpetua fore judicata sit, extinguat jus conjugale fere, sicut contingit, quando conjugum unus ad conjugales actus perpetuò inhabilis redditur, ut rem hanc cum *citt.* Bellarmino *cap. 14. §. Dicendum*, Maldonat. *in Matth. cap. 5. v. 32.* & Valentia *cap. 6.* explicat *cit.* Sanchez *disp. 15. n. 2.*

Dubium quintò est, an ergo si, per- 109.
petuâ divortii sententiâ ob sævitiam & in istius pœnam latâ & innocente conjuge Religionem jam ingressô, sævitia ex eâque imminens periculum ita cesset, ut ei, qui judiciô Ecclesiæ divertit, ex cohabitatione nihil mali timendum sit, matrimonium non sit redintegrandum. Qua in re redintegrationi locum non esse, tradunt Sanchez & Perez *citt. n. 9. & 49.* quia Religionis ingressus fuit legitimus & divortii sententia hôc ipsô; quòd sævi conjugis corrigendi spes non appareret, absolutè lata; ut prospiceretur saluti innocentis, cui aliter consuli non posse videbatur.

Unde,

Unde, sicut cùm ex causa hæresis & in istius pœnam, sic etiam cùm ob sævitiâ & in istius pœnam lata divortii perpetui sententia est, locus non est matrimonii redintegrationi: quantumvis ille hæresin ejuret & ista sævitiam præter spem deponat.

110. Excipiendus tamen est casus, quô conjugis sævitia caruit culpâ; quòd provenerit ex furore, qui Medicorum aliorúmque peritorum judiciô nunquam remissurus & perpetuus fore credebatur; cùm enim jure conjugali quis perpetuò privandus sine sua culpa non sit, divortii perpetui sententiæ locus vix est: &, si talis lata, ejúsque vigore Religionis professio edita jam fuisset, à conjuge furioso ad sanam mentem & tranquillitatem redeunte, is, qui judiciô Ecclesiæ divertit, repeti posset, religionis ingressu & sacri Ordinis susceptione non obstante; quòd, cùm Ecclesiam appareat fuisse deceptam, ejus sententia retractanda sit: sicut de sententia divortii, ex fornicationis causa lata, dictum est *Lib. 2. tit. 27. à n. 74.*

Quartò demum lepra vel alius mor- 111.
bus contagiosus & periculosus, juxta *c. 1. V. Si verò, de Conjug. Leprof.* & *ibi* dicta *à n. 6.* Ratio est; quia, hôc ipsô; quòd cuivis à natura concessum sit, grave malum corporis declinare, conjugii lex non obligat ad cohabitationem, cum gravi vitæ & salutis etiam corporalis periculo conjunctam, Laiman. *Lib. 5. Tract. 10. p. 3. cap. 7. n. 16.*

TITVLVS XX.

De Donationibus inter Virum & Uxorem, & de Dote post Divortium restituenda.

IN Divortiorum causas in judicium deductas incidere plerumque solent quæstiones de Dotis & propter nuptias Donationis restitutione, solutô matrimoniô, facienda: quarum proinde & Donationum, quæ inter conjuges fiunt, Jus ad hanc Rubricam declaratur.

SUMMARIUM.

1. *Donatio alia fit Ob causam, alia negrè Liberaliter:*
2. *Quarum hæc inter conjuges infirma est,*
3. *Jure saltem communi,*
4. *Eam, si donantem pauperiorem,*
5. *Et donatarium locupletiorem reddat, infirmante:*
6. *Idque etiam, cùm donatio per personas intermedias,*
7. *Vel debitum remittendô,*
8. *Aut ante matrimonium initum, sit:*

ARTICULUS 1.

De Valore & Firmitate Donationum inter Conjuges.

9. *Nisi in istius soluti,*
10. *Vel nondum constantis tempus conferatur:*
11. *Subsistunt donationes inter conjuges Principes,*
12. *Et inter alios pro adipiscendo honore &c.*
13. *Vel ex justa commiseratione,*
14. *Aut metu confiscationis bonorum factæ.*
15. *Uti & donationes mutuæ*
16. *Et remuneratoriæ.*
17. *Firma etiam est renuntiatio lucrorum futurorum, facta ante nuptias:*
18. *Post quas nec quæsitorum,*
19. *Nec quærendorum lucrorum renuntiatio valet.*
20. *Non valet donatio conjugum ante matrimonij consummationem.*
21. *Valet facta inter conjuges putatitios, conscios nullitatis matrimonij:*
22. *Non etiam cum hanc uterque,*
23. *Aut solus donans ignorat.*
24. *Solô donatariô ignorante facta, Jure subsistit.*

1. DOnationes inter conjuges quædam Ob causam aliquam, ut ea, quæ *Ante* vel *Propter nuptias* vocatur, & à marito uxori affertur contemplatione dotis, sive ad istius securitatem, *l. fin. pr. & §. 1. C. de Donat. ante nupt.* aliæ Gratis & ex mera Liberalitate fiunt, *l. 1. pr. ff. de Donation.* & Simplices vocari solent: quarum donationum prior per nuptias confirmatur: &, sicut dos, sine iis consistere, non potest, *§. Est & aliud 3. Instit. de Donat. & l. fin. pr. C. de Donat inter vir. & uxor.* De posteriori & ad propositam Rubricam declaranda

2. Juris communis Regula est, infirmam inter conjuges esse donationem, quæ fit ex mera liberalitate, & donantem pauperiorem, donatarium verò sive recipientem efficit locupletiorem, *c. fin. & l. 1. ff. hâc Rubr.* ubi ratio ea redditur; ne conjuges mutuô amore se invicem spoliarent, dum donationibus non temperantes profusâ erga se liberalitate uterentur; itaque melior in paupertatem incideret & deterior locupletaretur, *l. Hac ratio 3. pr. ff. Rubr. cit.* Aliam rationem reddit Paulus JCT.[9]; ne conjugalis concordia & conjugia ipsa venalia, aut pretiô conciliata videantur, & occasio præbeatur divortiis, si non donet is, qui posset, *l. Nec esset 2. ff. ibid. Concordiam enim* (& societatem atque affectum conjugalem) *non pretiô, sed obsequiô*, virtute & industriâ comparandam sapientes & meritò censuerunt cum Cicerone *Lib. 2. de Officiis.* Cujus Regulæ argumentô à contrario ductô de Jure subsistit conjugi à conjuge facta donatio, quâ vel donans pauperior, vel recipiens sive donatarius locupletior non evadit, *l. Si sponsus cit. §. 16.*

Dixi, *Juris communis*, propter Pro- 3
vinciale Bavariæ nostræ, in qua inter conjuges liberè factæ donationes, nullis extantibus aut supervenientibus liberis, valent: his autem supervenientibus evanescunt, Landrecht *Tit. 1. art. 15. pr.*

Pauperior autem donans fieri cen- 4
setur, cùm ejus patrimonium actu habitum diminuitur: non etiam, cùm maritus vg. in gratiam uxoris, quod posset, non acquirit, repudiandô vg. hæreditatem aut legatum in gratiam uxoris: qui illam aut hoc, ipsô non adeunte vel acceptante, ex substitutione aut institutione vel legitima successione sive ab intestato scit obventurum; quia sic non diminuitur substantia patrimonii actu habiti; ac proinde etiam pauperior non evadit, *l. Si sponsus 5. §. 13. & 14. ff. hâc Rubr.*

Neque

Neque obstat, quòd *l. Hæc ratio 3. §. fin. & l. Idémque 4. ff. ibid.* actus, quô maritus sibi donaturum uxori dare jusserit, nullius momenti, & perinde esse dicatur, acsi maritus rem acceptatam & suam factam uxori dedisset; quia *ll.* istæ accipiendæ sunt de marito, qui uxori dare jussit post donationem jam acceptatam, ut colligitur ex *V. Jusserit*, importante necessitatem, *l. 1. ff. Quod jussu.* Quô casu factâ donandi jussione utique patrimonium jam habitum diminuitur, Gomez *Lib. 2. Var. cap. 4. n. 24.* Sanchez *Lib. 6. de Matrim. disp. 4. n. 2.* Bruneman *in l. Si sponsus cit. n. 10.* & Salgado *Labyrinth. Credit. Lib. 2. cap. 14. n. 41.* asserens, in *ll. citt.* casibus virtualiter duos actus intervenire: unum, quô donatio tacitè acceptatur: alterum, quô donatio transfertur in uxorem.

5. Locupletior contrà fieri donatarius non censetur, quando donatur eâ lege; ut res donata in tertium transferatur, aut in istius bonum convertatur. Unde valet donatio conjugi facta ad fundationem Capellæ aut lampadis in ea arsuræ, aut ad pauperem alendum in studiis; quia hujusmodi donatione, licet donans pauperior, donatarius tamen locupletior non evadit, *l. Si sponsa cit. §. 16.* Aliud esset, si rem sibi donatam ex sua, non donantis voluntate prodigè & inutiliter absumpsisset; hôc enim casu repetitioni locum esse, contra *cit.* Sanchez *disp. 3. n. 3.* verisimilius censent Molina *Tract. 2. de J. & J. disp. 289. n. 16.* & Haunold. *Tom. 3. de J. & J. Tract. 9. n. 220.* ubi uterque monet, donatarium teneri rem donatam conservare, & non nisi in gratiam donantis & ex ejus voluntate expendere.

6. Atque sic declaratæ Regulæ locus est Primò, in donatione facta per interpositas personas, vg. si Titius det Cajo; ut donet suæ uxori, *l. Si sponsa cit. Qui enim per alium facit, perinde est, acsi faciat per se ipsum*, Regula est *72. in 6.* Zæsius *in ff. hâc Rubr. n. 4.*

Secundò, in remissione debiti vel pretii rei venditæ: imò, quantumvis aliàs venditio & alii contractus inter conjuges liciti sint, invalida tamen est venditio, quam donandi animô factâ, constat, *l. cit. §. 5.* quia palliata donatio est, Gaill. *Lib. 2. observat. 90. n. 8.* & Zæsius *l. cit. n. 5.* 7.

Tertiò, in donatione ante matrimonium initum facta, si ejus effectus sive translatio dominii conferatur in tempus matrimonii, *l. Cùm hic status 32. §. 22. ff. hâc Rubr. & l. Quod sponsa 4. C. de Donat. ante nupt.* Ratio est; quia idem est, aliquid fieri tempore inhabili &, in tempus inhabile conferri, *l. In tempus 62. ff. de Hæred. instit.* sicut contrà valida est donatio, relata in tempus matrimonii, per mortem soluti, *l. Si eum 9. §. fin. ff. hîc*, quâ pro validis habentur donationes mortis causâ inter conjuges; quia in hoc tempus excrescit donationis eventus, quô vir & uxor esse desinunt, *l. Quia in hoc 10. ff.* etsi mortis causâ donatæ rei dominium ante donantis mortem non transferatur, *l. Sed interim 11. pr. ff. Rubr. cit.* Eodem modô valere legatum, colligitur ex *c. 1. de Testament. in 6.* quia, licet quædam donatio sit, *l. Legatũ 2. ff. de Legat. 2.* tamen refertur in tempus matrimonii soluti, quô donatio inter conjuges valet, Zæsius *ibid. n. 2.* & aliis DD. *citt.* Barbosa *in l. Quod sponsa cit. n. 4.* 8. 9.

Obstare quidem videtur; quòd ante nuptias facta inter sponsos donatio Jure subsistat: quantumvis inter eos eodem die nuptiæ consequantur, per expressum textum *l. Inter eos 27. ff. hîc.* Sed revera non obstat; quia, licet hoc verum sit de donatione absoluta, & dominium statim transferente, tamen non procedit de ea, quâ istius translatio confertur in tem- 10.

pus nuptiarum jam initarum, Glossa *in l. Quod sponsæ cit. V. Sine effectu.* Rationem, cur hæc nulla sit, eam reddit; quòd ante nuptias dominium non transferat; quia donans noluit: post eas verò; quia non potuit, Jure donationem infirmante, *cit.* Sanchez *disp.* 1. *n.* 7.

11. Præterea casus tamen donationis, in matrimonii soluti tempus collatæ, aut ex donantis voluntate in alterũ conferendæ, à dicta Regula excipiuntur & de Jure subsistunt Primò, Donationes inter supremum Principem ejúsque conjugem, vg. Imperatorem & Imperatricem, *l. Donationes 26. C. hâc Rubr.* quòd, ut ibi dicitur, Imperiales contractus legis vicem obtineant, Molina *disp. cit. n.* 17.

12. Secundò, marito ab uxore factæ pro adipiscendo honore, vg. Dignitate, Nobilitate, Gradu literario Licentiæ vel Doctoratûs, *l. Quod adipiscendæ 40. &c. ff. & l. Si propriis* 21. *C.* aut ab illo factæ uxori, ut comptior & ornatior incedat, *l. Fœminæ 8. ff. Rubr. cit.* quòd mariti dignitas, honor & splendor etiam uxori accedat: & istius ornatus cedat in honorem mariti; eámque ob causam uterque suâ potiùs quàm alterius causa dedisse intelligatur, *l. Si ut certò 5. §. 10. ff. Commodati,* Corvinus *in Enarrat. Cod. hâc Rubric. §. Donans.*

13. Tertiò, datum ex quadam commiseratione vel pietate, vg. ad conjugis valetudinem recuperandam, *l. Quod in uxorem 13. C. de Negot. gest.* in alimenta, si congruam sustentationem & dotis fructus non excedat, *l. Ex annuo 15. ff.* quòd non tam donatio, quàm alimentorum debita solutio esse videatur: ad refectionem ædium incendiò exustarum, in tantum, quantum exstructio postulat, *l. Quod si 14. ff. hîc:* causâ sepulturæ vel ad eleemosynam, *l. Si sponsus cit. §. 8.* ubi ratio redditur; quòd locupletior fieri non censeatur ex re, quam dicavit Religioni; ad servi manumissionem, *l. Quod autem 7. §. fin.* quòd præter nudum ministerium nihil accepisse videatur, *l. Sulpitius 49. ff. eâdem Rubr.*

Quartò, gratuita concessio habita- 14.
tionis in ædibus suis, & usus servorum, animalium, vestimentorum ac similium, *l. Si vir uxori 18. & l. Si id §. 2. ff. ibidem.*

Quintò, à conjuge, quòd exiliò aliáve pœnâ, bonorum confiscationem annexam habente, damnari timeret, conjugi donatum; id enim exiliò subsecutò confirmatur, *l. Si mors 13. §. 1. & l. Inter virum 43. ff. Rubr. cit.*

Sextò, uxori à viro facta promissæ dotis vel alicujus istius partis & usurarum illius non solutæ remissio, ut ex *l. Si constante 19. V. Sed etsi, C. de Donat. ante nupt.* & ex *l. Si vir usuras 55. ff. hîc* desumitur: quod tamen ex his textibus rectè colligi, negat Haunoldus *Tract. 18. n. 111.* contra *citt.* Sanchez *n.* 10. & Barbosam *in c. fin. n. 12.*

Dubium hôc locô movetur primò 15.
de donationibus mutuis & remuneratoriis. Et mutuas quidem, cùm se non excedunt, valere desumitur ex *l. Quod autem 7. §. 2.* ibi, *Si vir & uxor quina sibi invicem donaverint, placuit compensationem fieri donationum, ff. hâc Rubr.* ut in *l. hanc* notat Bruneman. *n.* 2. & Panormit. *in c. fin. cit. n.* 7. quòd hôc casu neuter pauperior aut locupletior evadat.

Remuneratorias, nisi confirmentur, 16.
valere, negat Pinellus *de Bonis Matern. Lib. 1. p. 3. n.* 61. suadétque ratione; quòd omnia uxoris obsequia marito debita sint titulô subjectionis conjugalis. At non persuadet; quia, licet uxor quoad legem conjugii subjecta sit marito, præstare tamen ei valet multa obsequia indebita: cujusmodi censentur omnia, quæ præstat ultra id, quod aliæ ejusdem conditio-

conditionis uxores in iisdem circumstantiis solent, ut rectè advertunt Tiraquellus *in l. Si unquam 8. C. de Revocand. Donat. V. Largitus, n. 108.* & Joan. Garcias *de Donat. Remunerat. n. 28.* Quare cum DD. istis Panormit. *l. cit.* Menoch. *de Arbitr. Jud. Lib. 2. casu 132. n. 4.* &, aliis congestis, laudatus Sanchez *disp. 6. n. 11.* hujusmodi donationes remuneratorias etiam inter conjuges valere, meritò defendit. Ratio est; quia hujusmodi donatio, hoc ipso; quòd supponat præcedentia merita & obsequia, pro quibus remuneratio ex honestate & gratitudine debetur, deficit à propriè dicta donatione, *l. 1. & l. Aquilius 27. ff. de Donat.* quibus propriè dicta donatio ea duntaxat reputatur, ad quam faciendam donator nullâ aliâ præcedente causâ, nisi, ut magnificentiam & liberalitatem exerceat, movetur. Cùm ergo verba legum, præsertim irritantium, aut actum aliàs valiturum infirmantium, simpliciter prolata secundùm propriam significationem accipienda sint, *l. Non aliter 69. ff. de Legat. 3.* lex, donationem inter conjuges infirmans, de propriè dicta sive merè liberali donatione est intelligenda. Confirmat ista Haunoldus *Tract. cit. n. 206.* quòd, hujusmodi donationes non omnino infirmari, expediens fuerit ad stimulum & excitandum in conjugibus studium bene merendi & exhibendi sibi mutuò obsequia indebita, quibus amor conjugalis conservatur & augetur.

17 Dubium secundò est de renuntiatione lucrorum, constante matrimonio quæsitorum & quærendorum, ab uno in favorem alterius conjugis facta Quam, saltem, ab uxore in viri, Guttierez *Lib. 2. Pract. q. 126. n. 5.* & Sanchez *disp. 8 n. 5.* Covarruvias autem *p. 2. de Sponsal. cap. 7. §. 1. n. 11.* pro valida habet etiam, si à viro in favorem uxoris fiat, Contrà, ab utroque in alterius favorem factam, pro invalida seu infirma habent Menhaca *Lib. 1. Controvers. Usufreq. cap. 13. n. 6.* & *cit.* Molina *disp. 445. n. 4.* Quorum mentem plenius aperiet distinctio.

Primò enim, si ejusmodi lucris omnino vel ex parte renuntietur ante matrimonium, renuntiationem valere, *citt.* DD. omnes consentiunt; quòd non tam donatio sit, quàm contractus onerosus; cùm integrum cuique sit, matrimonium non nisi certis conditionibus, futura lucra spectantibus, inire: neque appareat iniquitas in contractu, à viro vg. opulento cum fœmina paupere inito sub conditione; *Ut, sua dote vel insuper certa quantitate contenta, cæteris lucris renuntiet.*

Secundò, post matrimonium jam initum, lucris saltem jam quæsitis, validè renuntiare nequit vir, ut contra Covarruviam docent reliqui DD. *citt.* Ratio est; quia medietatis vel partis lucri jam quæsiti, quæ ex contractu ipsi obvenit, verè dominus est; ac proinde ejus renuntiatione ipse verè pauperior & uxor locupletior evaderet. 18.

Tertiò, ejusmodi lucri jam quæsiti parti sibi competenti, in favorem mariti renuntiare etiam nequit uxor, ut ex *citt.* DD. contra reliquos docent Menhaca & Molina & cum ipsis Palao *p. cit. §. 6. n. 12.* Ratio est partim; quia, sicut suæ maritus, sic alterius medietatis vel partis lucri jam quæsiti, dominium habet uxor: & quidem vi contractûs & absque ulla acceptatione; ideoque solutô matrimoniô transit ad ejus hæredes; atque idcirco ejus cessione in favorem mariti iste locupletior, ipsa verò pauperior evadit: partim verò; quia in hujusmodi cessione locum habent omnes rationes, propter quas inter conjuges factas donationes à Jure irritatas, *n. 2.* est dictum. Verisimi- 19.

risimiliùs tamen invalida etiam est renuntiatio lucrorum, primùm quærendorum, tam ab uxore in viri, quàm ab isto in uxoris favorem facta, matrimoniô inter ipsos jam constante, ut contra eosdem iidem docent. Ratio est; quia etiam his renuntians cedit juri, sibi ex contractu quæsito & respiciente futura lucra, sine omni acceptatione obventura, & cum aliis bonis transmittenda ad hæredes: quod jus, cùm pretiô æstimabile & in bonis uxoris sit, ejus cessio hanc reddit pauperiorem & cessionarium locupletiorem, obnoxiáque est omnibus argumentis & incommodis, quibus cæteræ conjugum donationes.

Neque, ut Adversarii existimant, cum dictis pugnat; quòd lucrorũ quæsitorum omnium administratio, durante matrimonio, sit penes maritum; quia hoc non impedit, quò minùs medietatis aut partis, vi contractûs sibi competentis, dominium sit penes uxorem.

Neque etiam; quòd maritus in uxoris, & viciſſim ista in mariti favorem repudiare valeat legatum aut hæreditatem; quia dominium medietatis lucrorum, quod habet uxor, firmius & strictius est, quàm dominium rei hæreditariæ aut legatæ, quod habet legatarius aut hæres; cùm istorum dominium pendeat ab acceptatione: à qua non pendet dominium lucrorum, constante matrimoniô quæsitorum aut quærendorum, ut rectè advertunt *citt.* Molina *n. 5.* & Palao *n. 13.*

20. Dubium tertiò est, an valida sit donatio inter sponsos de præsenti, facta ante matrimonii consummationem. Ratio dubitandi est; quòd ante consummationem propriè vocentur *Sponsi*, non *Vir* & *Uxor*, inter quos donatio irritatur, *c. fin. & l. 1. ff. hic.*

Verùm; quia veros conjuges non concubitus, sed consensus per verba de præsenti expressus facit, *l. Nuptias 30. ff. de R. I. & can. Nostrates, 30. q. 5.* & ad valorem Donationis *l. Seria 66. pr. ff. hâc Rubr.* disertè exigitur; ut facta sit *Ante matrimonium contractum*, quæcunque donatio inter sponsos de præsenti etiam ante consummationem facta pro irrita habenda est, & habetur à Navarro *Manual. cap. 17. n. 149.* & Molina *cit. disp. 289. n. 3.* Neque id immeritò; cùm inter tales personas non rarò ardentior amor esse soleat, quàm inter eas, quæ se cognoverunt. Confirmatur; quia inter ejusmodi sponsos locum habet successio, *Rubric. & l. 1. C. Unde vir & uxor*, *Baldus in l. fin. C. Unde legitimi n. 12.*

Dubium quartò est de valore dona- 21.
tionis inter conjuges, ob intercedens impedimentum dirimens, solummodo existimatos. Qua in re distinguendi sunt quatuor casus.

Et primò quidem casu, quô impedimenti & ex isto ortæ nullitatis matrimonii conscius est uterque, donationem in foro Conscientiæ subsistere, cum Sylvestro *V. Donatio 2. q. 1.* non malè volunt *citt.* Molina *disp. 200. n. 9.* & San. chez *disp. 2. n. 2.* Ratio est; quia hôc ipsô; quòd uterque, se revera conjugem non esse, nôrit, vera & nullo Jure irritata voluntas est ex parte donantis, & ex parte donatarii capacitas datum recipiendi. *In foro*, inquam, *Conscientiæ*; quia in externo sive judiciali foro inter eos donata in pœnam initi ejusmodi conjugii fisco vendicantur, *l. Cùm hic status 32. §. fin. ff. hâc Rubr.* ex quo tamen non sequitur, donatarium non fieri dominum rei donatæ; quia in pœnam auferri potest, quod est in dominio delinquentis.

Secundò, casu, quô matrimonii nul- 22.
litatem uterque ignorat, probabiliùs donationem

nationem esse invalidam, cum Panormit. *in c. fin. n. 14.* defendunt Sanchez *cit. disp. 2. n. 9.* & Haunold. *Tract. cit. n. 179.* non quidem ex legis aut canonis resistentia; quia his irritatæ sunt solæ donationes inter virum & uxorem, quales isti non sunt: sed ex defectu intentionis in donante: qui, quia erravit circa causam finalem, excludentem consensum, *l. Si per errorem 15 ff. de Jurisdict.* & *donationem* non *quasi in extraneam* personam, *sed quasi in uxorem fecit*, ut dicitur *l. Cùm hic status cit. §. 27. in fine*, in donationem legitimè non consensit. Neque, ut cum Sylvestro *q. 1. cit.* aliqui opinantur, his adversantur, *l. Si ex voluntate 6. C. hâc Rubr.* verba, *Si matrimonium non valuit, licet ipso Jure donatio tenuerit; quia tamen donatarius non potest dici maritus, utiles actiones super revocandis his sibi competunt*; quia, ut *l. cit.* Barbosa *n. 2.* & Bruneman. *n. 4.* explicant, eâ nihil statuitur de valore donationis, sed tantùm asseritur, licet ista, quòd donans & donatarius conjuges non sint, de rigore Juris, solas donationes inter conjuges irritantis, videatur valere, nihilominus, quia tanquam in conjugem, ac proin ex errore circa causam finalem profecta est, eam non valere, & obnoxiam esse revocationi.

23. Tertiò, pari modò nulla est donatio casu, quô impedimenti & nullitatis matrimonii conscius fuit solus donatarius; ut adeò res donata donanti aut post istius mortem hæredibus sit restituenda: non fisco; quia donans utpote impedimenti & nullitatis ignarus, vacat omni culpâ, ob quam re sua debeat privari, Covarruvias *cit. §. 1. n. 8.* & Molina *cit. disp. 200. n. 12.*

24. Quartò demum, casu, quô nullitatis conscius fuit solus donans, donationē invalidam aliqui censent & desumunt ex *l. Qui contra 4. C. De incest. nupt.* à tali donata fisco addicente. Sed meliùs cum Emanuele à Costa *in c. Si Pater 1. de Testament. in 6. V. Uxorem, p. 1. n. 6. citt.* Covarruvias §. 1. *n. 8.* & Molina *disp. cit. in fine*, ejusmodi donationem tanquam validam defendunt, eâ permoti ratione; quòd valeant à tali relicta per ultimam voluntatem, *l. Præfectus 63 ff de Ritu nupt. & l. fin. ff. de Legatis 1.* Cùm ergo argumentum ab ultimis voluntatibus ad contractus, & contrà, valeat, quoties contrarium non expressum Jure, neque ratione evincitur, ut ex *textu Instit. de L. Fus. Canin. toll. & l. Servum 44. §. 5. ff. de Legat. 1.* Everard. *Legal. arg. locô 36.* ostendit, à tali sicut legata, sic etiam donata valebunt. Cujus ratio ulterior est; quia nullitatis conscius non quasi conjugi, sed quasi extraneo donat, & verè consentit in donationem, *arg. l. Cujus per errorem 53. ff. de R. I.*

Neque aliud eruitur ex *l. Qui contra cit.* præterquam enim, quòd eâ sermo sit de matrimonio solo Jure Civili, non, ut nobis, de eo à Jure Canonico irritato, exaudienda est de casu, quô impedimenti conscius & in mala fide est uterque, & non solus donans, ut *ibi* notant Glossa *V. Fisco*, & aliis relatis Barbosa *à n. 4.*

ARTICULUS II.

De ejusmodi Donationis Confirmatione.

SUMMARIUM.

25. *Donatio inter conjuges confirmari potest,*
26. *I. Morte donantis,*
27. *Post*

27. *Post res donatas verè aut fictè traditas,*
28. *Et illius ante donatarium decedentis:*
29. *Nisi ei factam donationem antè revocâsset,*
30. *Vel ea non insinuata excederet quingentes solidos:*
31. *Quos quatenus excedit, non confirmatur.*
32. *II. Aliquando, si donans fiat servus pœnæ,*
33. *III. Vel in exilium mittatur,*
34. *IV. Si is profiteatur Religionem incapacem successionis.*
35. *Cujus capacem professi donatio confirmatur morte:*
36. *Si à vivente revocata non fuit.*
37. *Juramentô verisimiliùs non confirmatur.*

25. HActenus declaratæ donationes inter conjuges, licet Jure utroque, non tamen simpliciter; ut nullum unquam habeant effectum: sed eatenus duntaxat prohibitæ & irritatæ sunt; ut firmitate & effectu careant, quamdiu matrimonium inter illos constat. Unde etiam donans rei donatæ dominium retinet: &, sicut legatum & eam, quæ mortis causâ fit, sic etiam hujusmodi donationem, dum vivit, revocare pro libitu
26. potest. Quodsi eam non revocet, instar legati & mortis causâ donationis morte confirmatur, *c. fin. l. Cùm hic status 32. §. 1. ff. & l. Donationes 25. C. hâc Rubricâ.* Cujus ratio est partim; quòd, matrimoniô per mortem solutô, cesset ratio mutuæ spoliationis, ex affectûs conjugalis vehementia meritò timendæ: partim verò; quod donationem in vita, cùm posset, non revocans in eadem voluntate perseverâsse, *c. Majores 3. §. fin. de Baptismo & l. Sanctimus 27. C. de Testament.* ac proinde per ultimam voluntatem relinquere & legare videatur.

Porro, ut conjugis in conjugem donatio ita confirmetur, quatuor conditiones à DD. exiguntur.

Prima est; ut res ante donantis mor- 27.
tem sit tradita, ut desumitur ex *l. Papinianus 23. ff.* ubi, solâ stipulatione promissum non deberi, asseritur, & *l. Res uxoriæ 24.* ibi, *Quæ largitione viri in eam*, uxorem, *antè pervenerat, C. hâc Rubr.* cùm enim talis donatio infirma sit, apud donatarium aliquid esse oportet, quod confirmetur, Clarus §. *Donatio, q. 9. n. 6.* & Covarruvias *in Rubric. de Testament. p. & n. 3.* Necessaria tamen non est traditio vera, sed sufficit ficta, vg. per clausulam constituti, si nimirum donans nomine donatarii se possidere constituat; sic enim traditur ficta possessio, *l. Quod meo 18 pr. ff. de Adquir. possess.* per confessionem dotis receptæ, constante matrimonio factam à marito: per concessionem instrumentorum rei donatæ: per debiti remissionem animô donandi factam: per translationem sibi vg. marito debiti factam in uxorem, ejusque in rationum libro descriptionem &c. de quibus latè Sanchez *Lib. 6. de Matrim. disp. 14. n. 12.*

Secunda; ut donans ante donatâ- 28.
rium decedat, *citt. c. fin. & l. Cùm hic status*, §. 12. *in fine*; cùm enim donatio donatario acquirenda sit ex morte conjugis, istô non superstite, evanescit. In dubio autem, uter mortuus sit, præsumendum est, donantem priùs obiisse, ejúsque morte donationem confirmatam, ut *l. cit.* §. 14. habetur & *arg. Regg. in pari 171. ff. & 65. in 6.* tradunt Covarruvias *Lib. 2. Var. cap. 7. n. 5.* & Molina *Tract. 2. de I. & I. disp. 289. n. 11.*

Tertia; ut donatio non sit revo- 29.
cata, *citt. c. fin. & l. Cùm hic status 32. §. 2. & 3.* Re-

& 2. Revocatio autem fieri potest vel expressè, per verba, scripturam &c. vel tacitè, exercendô actum, ex quo voluntatis mutatio præsumatur : cujusmodi sunt Primò, divortium ex displicentia factum, & matrimonii redintegratione non sublatum, *l. cit.* §. *10.* & 11. Secundò, si res antè conjugi donata donetur alteri : si ea vendatur, permutetur, legetur, aut hypothecæ speciali subiiciatur; tali enim actu, si aliud non exprimatur, revocata censetur, *l. cit.* §. *5.* & *15.* & *l. Si maritus* 12. *C. hâc Rubr.* Tertiò, si donatarius vg. uxor mores mutet in præjudicium donantis, committendô vg. adulterium, aut illi ingratum se exhibendô, *arg. c. fin. de Donation.* & *l. fin. C. de Revocand. donat.* Quartò, si graves inimicitiæ inter eos oriantur, *arg.* §. *10. cit. &c.* Molina *cit. n.* 11. *in fine*, & *cit.* Sanchez *disp.* 15. *tota*, cujus *n.* 1. probè monet, in dubio prioris voluntatis mutationem & donationis revocationem in donatario non præsumi, ut colligitur *l. cit.* §. 4. verbis, *Si appareat, defunctum evidenter revocâsse.*

30. Quarta; ut, si donatio quingentos solidos excedat, ejus insinuatio facta sit judici; sine hac enim quantitatis, illos excedentis, donatio quoad excessum donantis morte non confirmatur, *l. Donationes 25. C. hâc Rubr.* Clarus §. *Donatio, q. 17. n. 3.* & *cit.* Molina *n. 7. Quoad excessum*, inquam, iuxta *l. cit.* ibi, *Amplioris quantitatis donationem, minimè insinuatam, con-*

31. *firmari non concedimus.* Quoad summam autem legibus permissam ita confirmatur; ne utile per inutile vitietur, cùm ab isto potest separari, contra *Reg. Utile 37. in 6.* ut eam cum Dyno *n. 4.* explicat *cit.* Sanchez *disp. 14. n. 25.* Ex dictis

32. Dubium oritur primò, an inter conjuges donatio etiam confirmetur morte Civili : quæ contingit per servitutem, vel per exilium ac deportationem, vel per Religionis professionem. Quorum modorum

Primô, si civiliter conjux moriatur, opus est distinctione; vel enim sit servus hominis, vel pœnæ : ut si damnetur in metallum? Si priori, donatio evanescit, *l. Cùm hic status cit.* §. *6.* Si posteriori modo servus fiat, eam respectu fisci confirmari; ut donatum non iste, sed donatarius capiat, si à donante non revocetur, desumitur ex *l. Res uxoris 24.* junctâ Glosâ *V. Deducto, C. hâc Rubric.* Ratio discriminis est; quia servus hominis transit in dominium alterius, non etiam servus pœnæ. Unde ab illo ante servitutem facta donatio, ab eo, cuius potestati subiicitur, revocari potest, Sylvester *V. Donatio 2. q. 4.* & Haunoldus *Tom. 3. de l. & I. Tract. 9. n. 194.*

Alterô modô, sive cùm maritus 33.
donans in exilium mittitur & deportatur, ab eo in uxorem factam donationem respectu Fisci confirmari, desumitur à paritate donationis causâ mortis, quæ Civili morte confirmatnr, *l. Sed si mors 13.* §. 1. *ff. hâc Rubr. Respectu fisci*, inquam : non respectu viri donantis; quia ab isto ea revocari potest, eâque revocatâ res donatæ, hoc ipso; quod in bonorum publicatione non fuerint contentæ, non cedunt fisco : sed ad ipsum donantem revertuntur, ut ex *l. Res uxoris cit.* colligunt iidem, Molina *n. 6.* & Sanchez *disp. 17. n. 3.* Dixi etiam, *A marito in uxorem*; quia ab hac in illum còllata donatio morte donantis Civili non confirmatur, sed evanescit; quia *l. cit.* continet speciale privilegium uxoris, cuius pudicitiæ præmio cessit, ut iterum advertunt Molina & Sanchez *l. citt.*

Tertiô modô, sive professione Re- 34.

ligionis, si coniux civiliter moriatur, necessaria est distinctio inter Religiones; vel enim, quam donans profitetur, possessionis bonorum in communi & successionis incapax est, ut est Ordo FF. Minorum S. Francisci & Capucinorum? & conjugis donantis professione donatio ita confirmatur; ut neque ipsa valeat revocari, neque donantis mors naturalis debeat expectari, ut cum *cit.* Sanchez *n. 9.* rectè docet Palao *Tract. 32. disp. 2. p. 25. §. & n. 3.* Ratio est; quia mors Naturalis & Civilis æquiparantur, quando utraque eundem effectum habet quoad bona, Glossa *in Clement. 2. V. Moriente, de Electione*, Panormit. *in c. Nisi essent 21. de Prabend. n. 11.* & Baldus *in l. fin. C. de Episc. & Cleric. pr.* Mors autem Civilis per professionem Religionis, bonorum incapacis, eundem, quem Naturalis, effectum habet quoad bona; cùm hæc à Religionis professo neque in communi neque in particulari valeant possideri. Confirmatur; quia professione illa matrimonium, licet quoad vinculum perseveret, quoad effectum tamen & communem habitationem solvitur, si-
35. cut per mortem naturalem. Vel Religio successionis est capax? & donatio confirmatur non professione, sed naturali morte illam professi: qui proinde accedente voluntate superiorum antè factam donationem revocare non minùs valet, quàm eam, quæ facta est causâ mor-
36 tis. Si verò non revocetur, donante ante donatarium mortuô, omnino confirmatur, ut cum *citt.* DD. tradit Haunold. *n. 193.*

Neque obstat; quòd professus revocare nequeat testamentum; quia latum discrimen inter hoc, & à conjuge in conjugem, aut mortis causâ factam donationem intercedit; ad illius enim revocationem Jure requiritur potentia condendi aliud testamentum, §. *Posteriore 2. &* §. *Ex eo 7. Instit. Quibus modis testam. inf.* Cùm ergo Testamentum condere professus nequeat, *can. Quia ingredientibus, 19. q. 3. c. Quia 2. de Testament.* etiam ante professionem conditum non poterit revocare, ut cum Panormit. *in c. In præsentia 8. de Probat. n. 61.* docent Covarruvias *in c. Quia cit. n. 9.* & Guttierez *QQ. Canon. Lib. 2. cap. 1. à n. 37.* & Fachineus *Controvers. Lib. 6. cap. 15.*

Dubium secundò est, an eadem con- 37.
firmetur juramentô, præstitô de ea non revocanda? Cujus Resolutio pendet à traditis *Lib. 2. Tit. à n. 76.* ubi actus Jure Civili invalidos, ita ut obligationem Justitiæ & actionem Civilem pariant, non confirmari, est dictum. Cui doctrinæ inhæreo & censeo, propositô juramentô donationis revocationem illicitam quidem reddi, hôc ipsô; quòd illi adjectum juramentum non vergat in dispendium salutis æternæ neque in tertii privati aut boni publici præjudicium cedat, ac proinde observandum sit juxta Regulam *c. Cùm contingat 28. de Jurejurand. & c. Quamvis 2. de Pactis in 6.* nihilominus contra juramenti Religionem factam validam esse, sicut valida est revocatio testamenti vel procuratoris.

ARTICULUS III.

De Dotis & propter nuptias Donationis Restitutione facienda Matrimoniô solutô.

SUMMARIUM.

38. Bona uxoris alia Dotalia,
39. Alia Paraphernalia vel Receptitia sunt. *40. Con-*

40. *Conjugiô invalidô solutô dos ad uxorem,*
41. *Et propter nuptias donatio ad maritum redit:*
42. *Si illius nullitatem conjuges ignorârunt.*
43. *Secus dos & donatio illa fisco cedit.*
44. *Restituenda est dos integrè,*
45. *Etiam cum matrimonium ratum vg. Professione,*
46. *Et consummatum morte naturali:*
47. *Vel quoad solam cohabitationem sine culpa solvitur.*
48. *Etiam bona constante matrimonio quæsita dividenda, asserentium,*
49. *Et negantium Opinio verior,*
50. *Secluso jure speciali.*
51. *Conjux adulter amittit dotem & donationem illam,*
52. *Quæ cedit lucro innocentis:*
53. *Nisi iste acceptam injuriam remiserit,*
54. *Vel in adulterium consenserit,*
55. *Vel nocens liberos habeat,*
56. *Vel adulterium commiserit uterque.*
57. *Uxor adultera non amittit bona Paraphernalia:*
58. *Neque Dotalia ante judicis sententiam.*
59. *Quâ etiam ablata recuperat reconciliatione,*
60. *Factâ sine reservatione juris, ex adulterio quæsiti.*

38 BOna Uxoris triplicis generis sunt, Dotalia, Paraphernalia & Receptitia.

Dotalia, das Heurath-Gut/ dicuntur pecunia & res quæcunque mobilis aut immobilis, ab uxore vel ejus nomine ab alio data marito; ut ex ejus fructibus alat uxorem aliáque matrimonii onera sustineat, *c. Salubriter 6. de Usuris & l. Si quis 21. §. 1. ff. hâc Rubr. l. Dotis 7. pr. ff. l. Pro oneribus 20. C. de Jure dotium & l. Si cùm dotem 22. §. 8. ff. Soluto matrim.* in cujus sibi datæ compensationem sive securitatem maritus uxori affert donationem, quæ olim *Ante* hodie *Post nuptias* Germanicè die Widerlag vocatur, §. *Est & aliud 3. Instit. de Donat. ante nupt.* & Jure communi dotis nomine accepta æquare; eámque ob causam dote, sive ante sive jam constante matrimonio auctâ, juxta ejus incrementum augeri etiam ipsa debet, §. *Est & aliud cit. l. Si constante 19. & auth. Sed jam necesse, C. Rubr. cit. & Novel. 93. cap. 1. & 2.*

Paraphernalia, Germanicè das zugebrachte Gut sunt, quæ uxor ultra dotem marito affert, *l. Hâc lege 8. C. de Pacta convent.* quæ, licet, ut conveniens est, marito tradantur, nullô tamen modô istius fiunt: sed eorum solam custodiam atque administrationem ab uxoris voluntate pendentem & ad libitum revocabilem habet. Eorum etiam fructus non facit suos: sed tantùm ad communem, hoc est, suam & uxoris utilitatem vg. in alimenta aliásque res utrique promiscuè necessarias expendere potest, *l. fin. C. ibid.* Petr. Barbosa *in l. 1. ff. Soluto matrim. p. 1. n. 29. & 30.* & Bruneman. *in l. Hâc lege cit. à n. 1.* 39.

Receptitia demum vocantur, quæ ex suis bonis uxor per pacta dotalia sibi suæque dispositioni reservavit, neque voluit esse in potestate mariti, Honorius *ad hanc Rubr. n. 24.* Brunemannus *in l. Maritus 21. C. de Procurat. n. 11.* Hîc præcipuè sermo est de primo genere bonorum scilicet Dotalium, de quibus

Regulæ instar tradi solet, dotem, sicut sine matrimonio consistere nequit, *l. fin. C. de Donat. ante nupt.* ideóque nuptiis non secutis non debetur, *l. Item quia 4. §. 2. ff. de Pactis & l. In prohibendo* 40. 41.

do 41. §. 1. ff. de Jure dotium: &, si soluta sit, repeti valet, *l. Si tutor 7. C. de Interdicto matrim. inter pupill.* ita soluto matrimonio restituendam, *l. Soluto 2.*
41. *pr. ff. & l. Filia 7. C. Solutô matrim.* Eadem ratio est donationis propter nuptias; nam sicut dos non secutô matrimoniô, ita sine isto, aut etiam non numeratâ dote, ipsa exigi nequit, *Auth. Sed quæ C. de Pact. convent.* &, sicut cessantibus pactis dotalibus, hac in re observandis, *l. Ex morte 9. C. de Pact. dotal.* solutô matrimoniô dos, sic etiam ipsa jam constituta repeti potest, *c. fin. hâc Rubric. l. fin. C. de Donat, ante nupt. & Novell. 98. cap.* 10. cùm; quòd, cessante causâ, cessare debeat effectus, *c. Cùm cessante 60. de Appellat.* tum verò; quòd dos & donatio propter nuptias pari passu ambulent, *l. Ex morte cit.* Glossa *in c. fin. cit. V. Sicut dos*, Vivianus *in c. cit. §. 3.* & Zœsius *ad hanc Rubr. n. 3.* Hæc tamen Regula suas patitur exceptiones: quibus, vel Regulæ quando locus sit, præ oculis habendæ sunt causæ, ex quibus matrimonii dissolutio contingit.

42. Primò enim, si matrimonium inter duos initum propter detectum, quod antè ignorabatur, impedimentum dirimens declaretur nullum; & propterea conjuges separentur, uxori dotem & donationem propter nuptias viro restituendam, liquet ex *c.* 1. ut ejus textum cum Glossa *in casu*, Joan. Andr. & Panormit. *n.* 1. intelligit Campegius *de Dote p. 3. q. 238.* Ratio est; quia, cùm inter eos legitimum matrimonium, ac proinde illa uxor & iste maritus verè non fuerint, dos & donatio propter nuptias inter eos locum non habuit, *l. Dotis 3. ff. de Jure dotium & §. Si adversus 12. Instit. de Nuptiis*, & utriusque nomine accepta integrè sunt restituenda; quia datum ob causam, causâ non secutâ revocatur, *l. 1. ff. de Condict. causâ datâ.*

Dixi imprimis, *Quod ignorabatur*, 43.
ignorantia vel errore probabili; quia, si nuptiæ cum impedimento dirimente initæ fuissent scienter, vel cum ignorantia supina & crassa, qualis in matrimonio clam inito præsumitur, *c. fin. §. Si quis, de Clandest. desponsat.* dos & donatio propter nuptias amitterentur & fisco applicarentur: nisi illegitimè contrahentes minor ætas excusaret, *l. Qui contra 4. C. de Incest. nupt.* Petr. Barbosa *in l. Sì cùm dotem 22. §. fin. ff. Solutô matrim. n. 24.* & Farinac. *Prax. Criminal. q. 149. à n. 134.* cujus textûs dispositio in nuptiis non solùm Civili, ut existimant Peregrinus *de Jure Fisci Lib. 5. Tit. 1. n. 15.* & Palao *Tract. 32. disp. 2. p 25. §. 1. in fine*, sed Canonico etiam Jure reprobatis locum habet; quia ante Impp. Valentin. Theodos. & Arcadium, *l. Qui contra cit.* conditores, à Calixto, Fabiano & Julio summis Ecclesiæ Antistitibus inter consanguineos, affines &c. inita conjugia sunt reprobata; ideóque *l. cit.* eos, qui *Contra legum præcepta, mandata, constitutionésque Principum nuptias contrahunt*, dotis & propter nuptias donationis &c. amissione plectentis, dispositionem de nuptiis, per Imperiales & Ecclesiasticas constitutiones reprobatis, exaudiendam, cum Zabarella *in c. Et si necesse 5. hâc Rubr.* §. *Quæro*, & Panormit. *in c. cit. n. 10. &c.* eruditè advertit Covarruvias *p. 2. de Sponsal. cap. 6, §. 8. à n. 30.*

Dein dixi, dotem restituendam *In-* 44.
tegrè, juxta *c. 1. cit.* ibi, *Totam dotem præcipimus reddi*; quantumvis enim maritus habeat beneficium Competentiæ, & uxori restituere regulariter non teneatur, nisi quatenus ejus facultates patiuntur, *§. Item si de Dote 37. Instit. de Actionibus, l. Maritum 12. ff Soluto matrim. & l. Non tantum 20. ff. de Re judic.*

Bruneman.

Bruneman. *in l. Maritum cit. àn. 1.* hoc tamen Juris privilegium veris tantùm maritis competit, non putativis; cùm concessum sit ob reverentiam maritalem, *l. Unica, §. 7. C. de Rei uxor. act.* quæ nulla est in eo, qui maritus putabatur, & non fuit, ut *in c. 1. cit.* contra Glossam *V. Totam*, advertunt Joan. Andr. Panorm. *n.* 4. & Canisius *n. 2.*

45. Secundò, si matrimonium fidelium solummodo ratum per professionem Religionis vel dispensationem Apostolicam: vel infidelium iam consummatum, uno coniugum converso, alterô verò ipsi, simpliciter aut sine contumelia Creatoris, cohabitare renuente dissolvatur, iuxta traditam Regulam uxori dos, & donatio propter nuptias marito, eorúmve hæredibus restituenda est, *c. 1. cit.* ut eius textum explicat Gonzalez *n. 3. in fine.*

46. Tertiò, eôdem modô, si non obstent pacta nuptialia, vi quorum, alterô præmortuô dos aut donatio propter nuptias superstiti debeat remanere, *l. Si convenit 6. C. de Pact. convent.* secundùm eandem Regulam utriusque restitutio facienda est, quando matrimonium ratum aut consummatum solvitur per coniugum alterius mortem naturalem, *c. 1. l. Unic. citt. & l. fin. C. Solutô matrim.* Ratio utriusque, præter allatam pro Regula, est; quòd dos sit accessoria matrimonio, & specialiter detur; ut sit apud maritum, *l. 1. ff. de Jure dotium*, matrimonii onera supportaturum, *c. Salubriter cit.* ac proinde, cùm, matrimoniô solutô, maritus, qui fuit, esse, & matrimonii onera supportare desinat, dotis & consequenter etiam propter nuptias donationis, *l. Ex morte cit.* restitutio sit facienda. Ita ex communi aliorum *cit.* Gonzalez *àn. 10.*

47. Quartò, vi eiusdem Regulæ dos & propter nuptias donatio restituenda etiam est, quando matrimonium sine culpa vg. per susceptionem Ordinis sacri vel professionem Religiosam, cum alterius coniugis consensu ab uno factam, perpetuò solvitur quoad thorum & cohabitationem, *c. 1. cit.* Ratio est; quia in huiusmodi divortium consentientes coniuges tacitè pacti esse videntur; ut uterque alteri restituat, quod ab eo accepit, duo Barbosæ, Petr. *in Rubr. ff. Soluto matr. p. 2. n. 56.* Augustin. *in c. 1. cit. n. 5. Perpetuò*, inquam; quia, si coniugium absque alterius culpa ita solveretur tantum quoad tempus, dotis restitutioni & *c. cit.* dispositioni locum non esse, *cit. n. 5.* idem rectè adnotavit.

Dubium hinc nascitur, an matrimoniô ex dictarum causarum aliqua solutô, 48. præter dotem alia etiam bona uxori sint restituenda. Ratio dubitandi desumitur ex *c. Significavit 2.* ubi, matrimoniô dissoluto, vir non solùm ad dotis restitutionem, sed etiam ad bonorum, quæ communiter habuerunt, divisionem compelli iubetur: quod etiam suadetur ratione; quia inter coniuges contrahitur societas, *can. Cùm societas nuptiarum, 27 q. 2. c. Præterea 2. de Sponsal. & matr.* ibi, *Instar eorum, qui societatem contrahunt:* & illud, *Mulier, quam dedisti mihi sociam*, Genes. *cap. 3. V. 12.* inter socios autem, lucrum dividatur *l. 1. l. Si non fuerint 29. pr.* & *l. Si unus 67. ff. Pro socio.* Unde de Jure communi, constante matrimonio, quæsita bona omnia inter conjuges communicari, existimant Tholos. *Lib. 45. Syntag. cap. 14. n. 28.* & Lud. Gomez *in §. Actiones 10. Instit. de Actionibus n. 12.* & alii apud Barbosam *in c. Significavit cit. n. 4.*

Meritò tamen iste *n. 5.* & Gonzalez 49. *in c. cit. n. 5.* contrarium defendunt cum *cit.* Covarruvia *p. 2. cap. 7. §. 1. n. 5.* Petr. Barbosa *cit. p. 2. n. 47. in fine*, Guttierez *Pract. Lib. 2. q. 118. n. 5.* & aliis permultis eâ ductis ratione; quòd vera &

propriè dicta societas, per quam generaliter omnia bona seu lucra, constante matrimonio quæsita, inter conjuges communia fiant, Jure communi, tam Ecclesiastico quàm Civili, nusquam sit introducta.

Ea profectò non evincitur ex *c. cit.* quia istius decisio non in aliqua Regula Juris communis, sed peculiari provinciæ & diœcesis Lexovien sis, in qua ejus casus evenit, consuetudine vel statuto fundatur, ut *ibi* cum Panormit. *n. 3.* advertit
50. *cit.* Gonzalez *n. 6.* vel, hujusmodi speciali Jure secluso, solummodo locum habet, quando inter conjuges societas expressè contracta est: vel de iis tantùm bonis procedit, quæ conjugibus communiter obvenerunt; quòd vel utrique simul donata, vel aliò modò relicta, vel ex utriusque pecunia & utriusque nomine empta sint. Atque hanc Glossæ *fin.* Panormit. *n. 3. cit.* & Alex. de Nevo *n. 6.* expositionem priori meritò præferunt Covarr. *cit. n. 5.* & Barbosa *in c. cit. n. 6.* quòd maximè conveniat textui, Societatis aut Actionis pro socio ne verbò quidem mentionem facienti: sed tantùm imperanti divisionem (etiam extra societatem) in rebus communibus à Jure concessam, §. *Item si inter 3. Instit. de Oblig. ex quasi contract.* & *l. Ut sit 31. ff. Pro socio.*

Minùs, quam textus, urget ratio; quia locis allegatis matrimonium Societas, & conjuges Socii ideo solùm vocantur; quòd matrimonium consortium omnis vitæ & Divini humaníque Juris communicatio sit, *l. 1. ff. de Ritu nupt.* & conjuges Socii vocentur ratione cohabitationis, ut rectè observant Barbosa & Gonzalez *l. citt.*

51. Quintò, si propter unius conjugis adulterium divortium factum sit, adultera uxor amittit dotem, eámque lucratur unáque donationem propter nuptias recuperat maritus: &, hôc adulterium committente, uxor recuperat dotem & donationem propter nuptias lucratur, *c. Plerumque 4. hâc Rubr. l. Consensu 8. §. 4. & 5. C. de Repud. & Novell. 117 cap. 8. V. Si de adulterio*, Canisius *in c. cit. n. 1. & 6.* Barbosa *n. 1. 3. & 9.* Gonzalez *n. 11.* & alii Interpp. ac DD. Ratio est; quia adulterii crimen gravissimum, *can. Quid in omnibus, 32. q. 7.* & maximè injuriosum est matrimonio & conjugi innocenti. Unde in pœnam adulterii imprimis innocenti conceditur divortium, quô nocens privatur matrimonii usu, *c. Significâsti 4. & c. Ex literis 5. de Divort.* deinde aufertur dos & donatio propter nuptias, quæ 52.
in offensæ compensationem ac solatium cedunt lucro innocentis, Vivianus *in c. Plerumque cit.*

Atque hæc dotis & propter nuptias donationis amissio per adulterium incurritur etiam, si hoc à sponsa vel sponso de præsenti ante matrimonii consummationem: & satis probabiliter etiam, si à conjuge, propter matrimonii nullitatem, ex occulto impedimento proveniéntem, tantùm putativo committatur, ut cum Claro §. *Adulterium, n. 9. & 14.* tradit Sanchez *Lib. 10. de Matrim. disp. 8. n. 6. & 7.* ut hôc posteriori casu, detectâ matrimonii nullitate, dos & donatio illa, saltem postquam innocenti jam applicata est, non sit restituenda, Petr. Barbosa *in l. Solutô 2. pr. ff. Soluto matr. p. 1. n. 93. & 94.*

Non desunt tamen casus, quibus dos 53.
& donatio propter nuptias ob adulterium non amittuntur, & non cedunt lucro conjugis innocentis; id enim fit Primò, si vg. maritus uxori post commissum ab ista adulterium tacendô eíque cohabitandô &c. est reconciliatus, argumentô à contrario ductô ex *c. Plerumque cit.* quòd ita injuriam & actionem, quam habebat, tacitè

tacitè remisisse videatur, Glossa *in cit. c. V. Nec reconciliata*, Sylvester *V. Adulterium, q. 6.* & Farinacius *Prax. Criminal. q. 142. n. 68.*

54. Secundò, si idem in conjugis adulterium consensit: & multò magis si ipse leno fuit, eámque prostituit; tali enim casu, sicut maritus ratione dotis conventus uxori adulterium, sic ista ipsi lenocinium objicere potest, *l. Cùm mulier 47. ff. Soluto matr.* quòd mores, quos ipse corrupit, non valeat improbare, Panormit. in *c. Significâsti 4. de Divortiis n. 6.* & *cit.* Farinacius *n. 79.*

55. Tertiò, si uxor aut maritus adulter ex eodem vel alio matrimonio habeat liberos; quia hôc casu dos & propter nuptias donatio adulteri liberis servanda est quoad proprietatem; ut conjux innocens solùm usumfructum, dum vivit, lucretur, *Novell. 117. cap. 8. V. Si enim filios habuerit.* Ita Covarruvias *cit. §. 6. n. 4.* Petr. Barbosa *à n. 62.* & Farinac. *à n. 93.* alios casus referens.

56. Quartò, si adulterii reus est uterque; cùm enim tali casu par sit utriusque delictum, id quoad divortium dotisq; & propter nuptias donationis amissionem mutuò compensatur, *c. Intelleximus 5. & c fin. de Adult. & Stupr. & l. Viro atque uxore 36. ff. Soluto matr.* & probabiliùs etiam, si eorum alter, vg. maritus in adulterium lapsus sit, postquam ab uxore adultera Ecclesiastici judicis authoritate divertit; cùm enim tali casu ad matrimonii redintegrationem juxta dicta *Tit. 19. n. 89.* etiam ad dotis & propter nuptias donationis ob adulterium amissæ recuperationem adversus maritum adulterum agere valebit uxor, antè commissò à se adulteriò non obstante, ut cum Petr. Barbosa *in l. Viro cit. n. 3.* & aliis docet Palao *Tract. 28. disp. 3. p. & §. 6. n. 14.* Plures casus refert Farinacius *l. cit. à n. 68.*

57. Dubium hic primò est, an uxor adultera etiam amittat bona Paraphernalia. Hoc enim cum Glossa in *c. Plerumque cit. V. Dotalitium*, affirmant Covarruvias *cit. cap. 7. §. 6. n. 2.* & Clarus §. *Adulterium cit. n. 15.* id desumentes ex *c. cit.* verbis, *Dotem vel Dotalitium*, quô posteriori nomine Paraphernalia venire existimant, *repetere non valebit.*

Verùm *c. cit. Dotalitij* nomine non veniunt bona Paraphernalia: sed vel donatio propter nuptias in compensationem dotis & quasi in dotem à marito in uxorem collata, juxta *c. Ex parte 15. de Foro compet.* ut observant Nicol. Everard. *Vol. 1. consil. 49. n. 19. & 22. cit.* Sanchez *disp. 8. cit. n. 10.* & Gonzalez *in c. Plerumque cit. n. 6.* vel, qui Panormit. *n. 8.* Canisii *n. 3.* &, meô judiciô, expeditior intellectus est, pretium sive æstimatio dotis, quæ data est in rebus, quæ constant numerô, pondere & mensurâ, aut res æstimatæ datæ in dotem. Unde Paraphernalia amitti, præter hos DD. meritò negant Sylvester *V. Adulterium q. 6.* Menoch. *de Arbitr. Jud. casu 418. in addit. ad n. 5.* Barbosa *p. 1. cit. à n. 54.* & Farinac. *q. 142. cit. n. 69. in fine*, eâ persuasi ratione; quòd *c. cit.* dispositio tanquam pœnalis restringenda potiùs sit, quàm extendenda, *arg. l. Interpretatione 42. ff. de Pœnis, Reg. Odia 15. & Reg. In Pœnis 49. in 6.*

58. Dubium secundò est, an ob adulterium dos & donatio propter nuptias amittatur ipso Jure. Qua in re DD. variè sentiunt & loquuntur. Mihi cum Panormit. *in c. Plerumque cit. n. 4.* Alex. de Nevo *ibid. n. 6.* & Sylvestro *q. 6. cit.* maritus quidem dotem sibi traditam retinere, & adversus adulteram eam repetentem exceptione adulterii uti posse: idque non obscurè insinuari, videtur decisione *c. Plerumque cit.* secundùm quam Uxor, quæ post fornicationem propriâ voluntate recessit,

cessit, (aut, cùm de illa notoriè constaret, expulsa est) à viro dotem repetere non valet: ad eam autem post adulterium marito divertenti tradendam uxorem, vel maritum adulterum ad eandem cum donatione propter nuptias ante sententiam judicis uxori restituendam in conscientia obligari, non censeo cum Hostiensi *in c. Porro 3. de Divortiis n. 3.* Covarruvia *cit. §. 6. n. 1.* & *cit.* Sanchez *l. cit. n. 13.* Ratio est; quia amissio dotis est pœna: ad quam ante sententiam judicis exsolvendam, cùm obligatio in conscientia non detur, *arg. c. Cùm secundùm leges 19. de Hæret. in 6.* adulter Jure retentionis uti valet, donec ad faciendam restitutionem per sententiam compellatur.

59. Dubium est tertiò, an semel amissa dos &c. recuperetur, si conjuges post divortii & privationis sententiam reconciliantur. Casu, quô reconciliationi adjicitur pactum; ut ex adulterio quæsitum jus innocenti salvum relinquatur, eam, sicut & donationem propter nuptias non recuperari, certum mihi videtur, non obstante *l. Transigere 18. C. de Transact.* quia, ut *cit.* Sanchez *n. 22.* advertit *l. cit.* circa crimen adulterii ea solummodo transactio est interdicta, quâ uxor adultera marito spondet id, quod ad hunc non pertinet: cujusmodi dos non est post adulterium & sententiam judicialem.

An autem recuperetur reconcilia- 60.
tione, factâ sine tali pacto, dubitandi ratio est; quòd per sententiam dos pleno jure transierit ad maritum: reconciliatio autem facta censeri possit quoad solum thorum & mutuam cohabitationem.

Nihilominus, etiam tali casu dotem recuperari, cum Alex. de Nevo *in c. Plerumq; cit. n. 6.* Angelo *V. Adulterium, n. 3.* & Sylvestro *q. cit.* & aliis verisimiliùs defendit *cit.* Sanchez *n. 21.* id colligens ex *c. Plerumque cit.* textu, ab ejus amissione excipiente casum reconciliationis, non distinguendô, an ista ante, vel post sententiam sit facta. Ratio est; quia tali reconciliatione, si aliud non exprimatur, censetur conjux restitui in statum pristinum, in quo ante adulterium fuit; quia reconciliatio sive remissio in delictis est favorabilis; est enim liberatio à pœna quæ, quia odiosa est, eam remittens reconciliatio favorabilis erit & extendenda, ut rectè notat Dynus *in Reg. Odia 15. in 6. à num. 2.*

TITVLVS XXI.

De Secundis Nuptiis.

PRimis dissolutis, plerumque transitur ad nuptias secundas: quarum eædem, quæ primarum causæ, iidémque effectus sunt & impedimenta, exceptô Ligamine seu matrimonii antè initi vinculô: cujus proinde dissoluti certitudinem, & secundarum Nuptiarum pœnas, spectantes textus ad hanc Rubricam sunt declarandi.

ARTICV-

ARTICULUS I.

De his prævia Certitudine Obitûs Conjugis prioris.

SUMMARIUM.

1. *Etiam Christianis licita sunt Nuptiæ secundæ,*
2. *Et ulteriores :*
3. *Quæ tamen non benedicuntur.*
4. *Ante conjugis obitum aliquando permittuntur Romanâ,*
5. *Non etiam Christianâ lege,*
6. *Exigente certitudinem de conjugis obitu :*
7. *Quem certum reddit Magistratûs,*
8. *Et Parochi testimonium :*
9. *Uti & depositio duorum testium de visu,*
10. *Et unius cum fama publica :*
11. *Non hæc, aut depositio unius sola :*
12. *Nisi obitus acciderit in loco valde remoto,*
13. *Vel alia adminicula concurrant.*
14. *Mulier, cum dubio de mariti obitu nubens alteri, huic reddit :*
15. *Non ab eo exigit debitum conjugale.*
16. *Si dubium non leve, sed rationabile fuit.*
17. *Si dubitavit uterque, conjugij usu illicitu utrique :*
18. *Et utrique licitus est, si dubium matrimonio inito supervenit.*
19. *Idem utrique illicitus est, si alterius conjugem vivere,*
20. *Aut nuptiarum tempore vixisse, uni certò constet :*
21. *Nisi illas novo consensu ratificârint.*
22. *Proles tamen antè susceptæ legitimæ sunt.*

SEcundas Nuptias, imò tertias, quartas & quotiescunque, priori conjuge vitâ functô, iteratas, Christianis permissas, Catholica veritas est; patétque imprimis ex *can. Aperiant 10. can. Deus 11. can. fin. &c. 31. q. 1.* quorum textuum primô relatus S. Hieronymus, *Liberâ* inquit, *voce proclamo, non damnari in Ecclesia bigamiam, imò nec trigamiam & ita licere quinto & sexto & ultra, quomodo & secundo marito nubere.* Dein ex Conciliis, Niceno *can. 8.* à Novatianis ad Ecclesiam redeuntibus exigente communicationem cum iis, qui ad secundas nuptias transierunt: Carthaginensi IV. *can.* 11. iterata matrimonia damnantes ad consecrationem Episcopalem non admittente: & Florentino in Armenorum institutione secundas & ulteriores nuptias approbante. Tertiò ex Testimonio Apostoli *1.* Corinth. *cap. 7. V. 39.* de muliere, dicentis, *Si dormierit vir ejus, liberata est, cui vult, nubat :* quô locô cùm Apostolus non dicat vir primus vel secundus vel quartus, neque nobis id definiendum erit, S. Augustinus *can. fin. cit.* Et demum ex antiquissima & universali consuetudine Ecclesiæ, ejusmodi nuptias approbantis; cùm enim primæ conjugis morte sint dissolutæ, ad secundas transituro nullum obstat impedimentum, Sanchez *Lib. 7. de Matrim. disp. 81. n. 2.* 1.

Neque, hujusmodi nuptias esse inhonestas, aut Sacramentum non esse, existimantium erroneæ persuasioni patrocinatur; quòd ab Ecclesia eis benedictio denegetur, *c. 1. & c. Vir autem 3.* quia istius iterationem prohibendi aliæ, eáque præcipua ratio fuit; quòd in eis deficiat plena significatio Sacramenti; cùm enim iis unus vel non unicæ, vel non virgini & ab alio intactæ copuletur, Christi cum Ecclesiâ, unicâ eáque immaculatâ sponsâ, conjunctionem perfectè non repræsentant; atque 2. 3.

idcirco, sicut non eandem, quam primæ merentur commendationem, sic non celebrantur eâdem, quâ istæ, solennitate, & non adhibitâ benedictione: quæ in eadem persona iterari aliàs non consuevit, S. Thomas in *4. dist. 42. q. 3. art. 3.* Turrecremata *in can. fin. 31. q. 1.* & DD. alii apud Gonzalez *in c. 1. cit. num. 9. & 10.* Qua de re sermo redibit *n. 28.* Unde

4. Non leve, & Martiali hôc seculô valde practicum dubium oritur, quomodo vg. uxori constare debeat de obitu mariti, ut ad aliud conjugium valeat transire. Jure quidem Civili de mariti absentis vita dubitanti post quinquennium, *l. Uxore 6. ff. de Divort.* imò Imperiali constitutione post quadriennium, *l. Uxor 7. C. de Repud.* novæ nuptiæ sunt concessæ. Quæ tamen leges eôdem, sed recentiori Jure correctæ sunt ab Imp. Justiniano, ad novas nuptias transitum non, nisi certâ formâ observatâ, permittente, *Auth. Hodie C. de Repud. & Novell. 117. cap 11.* Sed

5. huic etiam Imperialis Juris dispositioni sanctionibus Ecclesiasticis derogatum, patet ex *c. In præsentia 19. de Sponsal. & c. Dominus 2. hâc Rubr.* quibus aliisque textibus mortis quidem nuntius sive probatio certa exigitur: ea tamen ad formam, *Auth. & cap. 11. citt.* præscriptam, nullatenus restringitur, ut *in Auth. cit.* Barbosa *n. 3. & in c. In præsentia cit.* Panormit. *n. 6.* & Alex. de Nevo *n. 8.* advertunt. Imò Ant. de Butrio *in c. cit. n. 7.* Anchoranus *ibid. n. 6.* & quidam alii, à Jure etiam Canonico majorem certitudinem non exigi volunt, quàm ut ad secunda vota transiturus conjux vg. uxor habeat probabilem causam credendi mortuum maritum. Quam suam Opinionem fundant *in can. Cùm per bellicam 34. q. 2.* ubi à culpa excusatur contrahens cum muliere, cujus maritus jam non esse existimabatur: & in *c. fin. §. Porro, Ut lite non contest.* cujus palmaris textus est, *Tamdiu alteruter conjugum expectetur, donec de ipsius obitu verisimiliter*, hoc est, probabiliter *præsumatur.* Ratio est; quia operans juxta Opinionem probabilem prudenter operari existimatur.

Sed meritò Glossa *in c. In præsentia* 6.
cit. in fine, Panormit. *n. 6.* Alex. de Nevo *n. 22.* Covarruvias *de Sponsal. p. 2. cap. 7. §. 3. n. 3.* & aliis relatis Sanchez *Lib. 2. disp. 46. n. 6.* certitudinem moralem exigunt; ut mulier ad novas nuptias transire permittatur; propter claros textus *c. cit.* de morte conjugis certum nuntium exigentis, & *c. Dominus cit.* ubi hac super re consultus Lucius III. Christianis in captivitate Sacracenorum positis rescribens, *Id vobis*, inquit, *respondemus, ut nullus amodo ad secundas nuptias migrare præsumat, donec ei, quòd ab hac vita migrârit conjux ejus, constet*, per certum nuntium, juxta *c. In præsentia cit.* & Glossam in relati textûs *V. Constet.* Unde corruit ratio deducta in contrarium.

Non majorem vim habet textus *can. Cùm per bellicam cit.* quia eum de existimatione mortis, quæ per certum nuntium, juxta *c. In præsentia cit.* aut alias probationes æquivalentes habetur, intelligendum, cum *cit.* Sanchez *n. 9.* advertit Barbosa *in can. cit. n. 4.*

Magis in speciem, reipsa minùs urget *§. Porro cit.* textus; quia imprimis, sicut *can. cit.* sic etiam §. *hunc* de verisimilitudine, certitudinem moralem fundante, accipiendum, iidem volunt. Deinde; quia §. *illo* non agitur de casu, quô, an matrimonium, quod validum fuisse extra controversiam est, per unius conjugis mortem dissolutum sit, dubitatur: sed de eo, quô lis de matrimonii valore est, propter impedimentum dirimens allegatum: qui casus à priori omnino est diversus; etsi enim posteriori hôc casu, ut

conjux

conjux præsens ad alias nuptias transire permittatur, sufficiat verisimilitudo sive probabilitas de obitu absentis, juxta §. *Porro cit.* priori tamen de conjugis obitu necessaria est certitudo moralis, *c. In præsentia & c. Dominus citt.* quia agitur de maximo præjudicio, scilicet matrimonii legitimè contracti dissolutione: ad quam, propter majus periculum scandali, irreverentiæ Sacramenti &c. majorem quàm priori casu certitudinem exigi, cum Panormit. *in §. Porro cit. n. 12.* advertit Laiman. *Lib. 5. Tract. 10. p. & cap. 3. num. 2. in fine.*

7. Porro, licet uxorem casu, quò de mariti obitu moraliter certò constat, ad secunda vota transire sive aliud conjugium inire posse, plerique concedant cum Guttierez *Practic. Lib. 2. q. 8. in fine*, & Laiman. *cit. cap. 3. n. 1.* in dubio tamen de hujusmodi certitudine pronuntiare, est judicis Ecclesiastici Ordinarii, ut idem *cit. n. 1.* docet cum Panormit. *in c. In præsentia cit. n. 6.* qui, maritum moraliter certò è vivis excessisse, judicabit

Primò, si de ejus obitu legitimus Magistratus Ecclesiasticus, Politicus, Militaris: vel Notarius aut alia similis persona publicâ authoritate constituta fidem faciat per scripturam, juxta tradita à Mascardo *de Probat. conclus. 1101. n. 5.*

8. Secundò, si, eum à se sepultum, testetur Parochus; quia est quasi Notarius publicus in ejusmodi negotiis; & propterea ejus liber sive Regestum in quæstionibus de Baptismo, ætate, nuptiis & similibus plenam fidem facit, secundùm Menoch. *Lib. 1. Præsumpt. 51. à n. 53.* & *cit.* Mascard. *conclus. 673. à n. 1.*

9. Tertiò, si de ejus obitu deponant duo testes de visu; quia regulariter duo testes sufficiunt ad plenam fidem faciendam, per *l. Ubi numerus 12. ff. de Testibus* indéque desumptum *can. Si testes 3. §. Ubi numerus 4. q. 2. can. In omni 4. de Test. & attest. &c.* & ipsum Jus Divinum, Deuteron. *cap. 17. v. 6.* & Matth. *cap. 18. v. 16* De visu autem testis hac in re censetur non solùm, qui eum morientem aut mortuum vidit: sed etiam, qui ejus sepulturæ, exequiis, Septimo, Tricesimo, Anniversario interfuit, aut vidit ejus sepulchrum, vel consanguineos pullâ veste eum lugentes, audivítque talem maritum lugeri, sepultum esse &c. Menoch. *Adipisc. possess. remed. 4. à n. 674. cit.* Mascardus *conclus. 1075. à n. 2.* & Gobat *Experient. Tract. 9. n. 312.* Etsi verò etiam consanguineos ad testimonium de alicujus obitu perhibendum admittant Menoch. & Mascard *l. citt.* uxorem tamen ejus, cujus mors probanda est, non admittendam, meritò censuit *cit.* Gobat *n. 310.* quia in propria causa nemo idoneus testis est, *l. Nullus 10. ff. & l. Omnibus 10. C. de Testibus*: esse autē hanc causam propriam mulieris, patet; quia ex una, propria alicujus causa censetur, cujus emolumentum vel damnum ad aliquem suo nomine pertinet, *l. 1. §. 11. ff. Quando appell. sit*, Glossa in *can. Si testes cit. V. Sua*: ex altera verò parte, de uxoris emolumento vel damno agi, palam est; cùm plerumque de maritorum obitu uxores ideò solùm deponant; ut sibi potestas fiat cum alio matrimonium ineundi.

Quartò, si cum uno teste de visu, aut cum fama vel pluribus testibus de auditu concurrant alia verisimilia mortis indicia vel conjecturæ, vg. quòd marit⁹ jam senex aut æger, cùm posset & fortassis promisisset, non redierit: vel; quòd bellum secutus, periculosam navigationem ingressus, aut in loco, ubi pestis grassabatur, moratus, in quibus hostili ferrò, naufragiò, epidemicâ lue multos periisse constat, diu non comparuerit: vel, si testes de fama asserant, id publicè vel à majori & 10.

digniori parte civitatis, oppidi, legionis auditum, ut, aliis relatis, sentire videtur Hieron. Prævidell. *Tract. de Peste* §. *Unum quod hic à n.* 1. Unde ulterius

11. Dubium nascitur, an mortem moraliter certam faciat testimonium unius, vel sola fama. Unius, sed idonei testis depositione certam reddi, cum Hostiensi *in c. In præsentia cit. in fine*, & Panormit. *in c. cit. n. 6.* existimat Farinac. *Prax. Criminal. q.* 140. *n.* 73. permotus textu *c. cit.* plus non exigentis, quàm nuntium certum, quem unius testis depositione juratâ haberi vult. Contrà cum Bartolo in *l. Tabularum* 2. §. 4. *ff. de Test. quemadm. aper. n.* 1. negat Sanchez *cit. Lib.* 2. *disp.* 46. *n.* 12. quòd de Jure *Vox unius* sit *Vox nullius*, hoc est, non habeat plenam vim probandi, *c. Veniens* 10. *in fine*, & *l. Juris-jurandi* 9. *C. de Testibus.* Quas sententias Guttierez *de Matrimon. cap.* 51. *n.* 2. in concordiam ita reducit; ut, licèt unius, etiam fide digni hominis, testimoniò mors sufficienter non probetur, ea tamen moraliter certa reddatur, quando cum ejus depositione aliquæ ex relatis aut similibus circumstantiis & conjecturis concurrunt.

Neque huic earum conciliationi adversatur; quòd *c. In præsentia cit.* textus *Certum nuntium* exigat in numero singulari; quia hæc vox *Nuntium* non masculini, sed neutrius generis est: & certam de morte relationem, non personam tabellarii significat; hic enim, si unicus est, nuntium, sive relationem certam facere non potest, ut rectè advertit *cit.* Sanchez *n.* 11.

12. qui tamen excipit casum, quò conjugis obitus accidisse dicitur in loco valde distante, ut certa ejus probatio omnino, aut facilè nequeat haberi; tali enim casu unius probatæ fidei testis juratam depositionem, ut alteri conjugi transitus ad secunda vota permittatur, sufficere existimat; quòd, cùm plenæ & integræ probationes haberi non possunt, sufficiant, quæ desumuntur ex conjecturis, *l. Non omnes* 5. §. 6. *ff. de Re militari.*

Extra hunc casum, sicut unius testi- 13.
monium, sic etiam sola fama non sufficit ad secundas nuptias permittendas; cùm enim illa incertum, & sæpissimè fallacem authorem soleat habere, plenam & certam probationem regulariter non facit, Mascard. *de Probat. conclus.* 754. *à n.* 1.

Si autem cum fama coniugis diuturna absentia, senectus, infirmitas, grave vitæ periculum sive occasio, in qua illum versatum & plurimos interiisse constat, aliáve similia adminicula concurrant: eámque à fide dignis hominibus ortam, & in loco, in quo mortuus esse perhibetur, aut in eius vicinia vulgatam esse, duorum omni exceptione maiorum, eámque pro vera habentium testium depositionibus probetur: si, inquam, ista concurrant, de obitu moraliter certò constare, & ad secundas nuptias transitum permitti posse, cum satis multis aliis DD. concedit idem Sanchez *à n.* 15. eúmque secutus Gobat *cit. Tract.* 9. *n.* 320. cùm *n.* 316. ex communi aliorum sensu monuisset, hac in re prudentiæ & arbitrio iudicis plurimùm tribuendum.

Dubium tertiò est de usu coniugii con- 14.
tracti sine morali certitudine & cum dubio de obitu coniugis prioris. Istô enim stante, illius usum per coniugalis debiti exactionem & redditionem neutri permissum, primô intuitu suadet Regulare illud: *In dubiis tutior via eligenda est*, *c. Juvenis* 3. *de Sponsal. & matrim. c. Ad audientiam* 12. *de Homicid. & c. Illud* 5. *de Clerico excom. ministr.* ab eiusmodi autem coniugii usu abstinere tutius & à peccandi periculo remotius esse, extra omne dubium est.

Sed Regulari illi dogmati prævalet decisio

Decisio Lucii III. cujus ad Christianos, à Sarracenis in Hispania captivitate detentos, *c. Dominus* 2, relatum rescriptum est, *Si aliquis vel aliqua*, matrimoniô sine prædicta certitudine contractô, *de morte prioris conjugis sibi existimat dubitandum, ei, qui sibi nupsit, debitum non deneget postulanti, quod à se tamen noverit nullatenus exigendum. Quod si post hæc priorem conjugem adhuc vivere, constiterit, relictis adulterinis complexibus, ad priorem conjugem revertatur*: Cujus Apostolici rescripti vigore

Primò, si cum dubio de obitu conjugis prioris unus tantùm contraxit, eô dubiô perseverante, debiti exactio ei duntaxat, qui suum vel alterius conjugem mortuum, bona fide existimavit: ei verò, qui cum dubio contraxit, sola illius redditio permissa est *c. cit. & c. Inquisitioni* 15. *44. de Sent. excom.* Ratio est; quòd, cùm hoc casu in conjugii jurisque conjugalis bonæ fidei possessione unus tantùm sit, vi hujusmodi possessionis competens debiti exactio uni tantùm sit permissa, *arg. l. Bonæ 48. pr. ff. de Adquir. rer. dom. & Reg. In pari 65. in 6.* alter verò, licet, permanente rationabili dubiô, illius exigendi jure tanquam malæ fidei possessor careat, consorti tamen illud postulanti reddere teneatur; ne eum conjugii, bona fide initi, possessione & ratione istius competente usu indebitè privet, *pr. & V. fin. citt. & c. Discretionem 6. de Eo, qui cognovit*, Sanchez *Lib. 2. de Matrim. disp. 42. n. 2.* Palao *Tract. 28. disp. 3. p. 5. §. 9 n. 6.* & Gobat *Experient. Tract. 10. n. 644.*

16. Si dubium de prioris conjugis obitu non rationabile, sed leve ac temerarium esset; quòd, illum adhuc esse superstitem, verisimile ac probabile indicium post moralem diligentiam adhibitam non appareat, sic dubitanti ipsam etiam debiti exactionem licitam, liquet ex *c. Inquisitione cit. § In secundo. Post diligentiam*, inquam, *adhibitam*; quia sine omni veritatis investigatione debitum exigendô se exponeret periculo peccandi: quod tamen non sit debitum exigenti etiam ante investigationem reddendô; quia istius de valore non ambigentis certum jus prævalet juri dubio reddentis, *c. Dominus cit.*

Secundò, si cum rationabili dubio 17.
de obitu matrimonium iniit conjux uterque, debiti exactio & redditio neutri est permissa; quòd conjugii possessionem uterque inchoârit malâ fide: quâ inchoata possessio cùm non suffragetur, juris conjugalis usum tribuere non potest, *arg. can. Si virgo 34. q. 1. & l. Bonæ cit. §. 1. citt.* Sanchez *n. 7.* Palao *n. 6.* & Gobat *n. 644.* donec, dubiô depositô, rationabiliter judicent, prioris conjugii consortem decessisse, antequam posterius inirent. Perez *de Matrim. disp. 53. s. 2. n. 4.*

Tertiò, si, matrimoniô ab utroque 18.
bona fide contractô, de prioris conjugis morte dubium utrique vel alteri tantùm superveniat, debiti exactio & redditio utrique est permissa; quòd, cùm bonæ fidei possessio rei sic possessæ liberum usum tribuat, *l. Bonæ pr. & Reg. In pari citt.* in dubio quoad conjugii usum suffragetur etiam iis, à quibus id bona fide est contractum, *citt.* Sanchez *disp. 41. n. 42.* & Perez *s. 3. n. 9.* qui tamen & cum eis Gobat *n. 642.* excipiunt casum, quô conjux ita dubitans probabile motivum haberet judicandi, priorem conjugem adhuc esse superstitem; quòd, eum post initum posterius matrimonium à se visum, unus testis fide dignus asseruerit: contrà, eum antè decessisse, probabile motivum non haberet, aut, quod habebat, esset enervatum; tali enim casu ei debiti, exactione inhibitâ, sola reddi-

tio esset permissa, *c. Inquisittoni cit.* cujus *V. fin.* Innocentius III. de ita dubio rescribens ait, *Cùm conscientia pulsat animum ex credulitate* impedimenti *probabili ac discreta, debitum quidem reddere, sed postulare non debet:* & rationem utriusque reddit; *ne* debitum postulanti denegandô *Contra legẽ conjugii*, & id postulandô *contra judicium conscientiæ committat offensam.*

Neque, hôc & primô etiam casu generaliter à debiti exactione & redditione abstinendum, evincit Regula de tutiori via eligenda; quia hæc exaudienda est de dubio practico, an debiti redditio vel exactio hîc & nunc licita sit, non de merè speculativo, an persona, cui redditur, verè sit conjux, quale duntaxat dubium hôc casu est; cùm matrimonii bona fide contracti usum, dubiô de prioris conjugis obitu superveniente, & post adhibitam diligentiam perseverante, licitum esse, exploratum sit non solùm *arg. l. Bonæ & Reg. In pari citt.* sed etiam ex decisione *c. Inquisitioni cit.* laudati Sanchez *disp. 44. n. 3.* Palao §. *9. n. 3.* Perez *s. 3. n. 7.* & Gobat *n. 645.*

19. Quartò, quandocunque, matrimoniô etiam optima fide initô, eô conjunctorum unus priorem, suum vel alterius conjugem adhuc esse superstitem, moraliter certò intelligit, illico abstinere tenetur ab omni commercio carnali cum consorte matrimonii posterioris: etiamsi ligaminis necdum dissoluti impedimentum & ex isto provenientem conjugii nullitatem probare nequeat, & ad debiti redditionem cujuscunque mali commination compellatur, *can. Cùm per bellicam 1. in fine, 3. q. 1. c. Dominus & c. Inquisitioni pr. citt.* Ratio est; quòd, cùm prioris conjugii consummati vinculum non nisi alterius morte solvi possit, Matth. *cap. 19. v. 6.* & 1. Corinth. *cap. 7. v. 39.* priori conjuge superstite, posterius matrimonium invalidum, *c. 1. c. Accepisti 2. &c. de Sponsa duor.* eóque conjunctorum carnale commercium intrinsecè malum, fornicarium & illicitum sit, *c. Literas 13. §. Porro, de Restit. Spoliat. & Clement. fin. V. Septimò, de Hæreticis.* Quare tali casu is, qui vinculi cum priori adhuc constantis certam notitiam habet, fugâ se subducere, vel omnia mala & ipsam etiam excommunicationem humiliter sustinere potiùs debet, quàm debitum reddendô peccatum mortale operari, §. *Porro & pr. citt.* Sanchez *disp. 39. n. 50.* Palao *n. 3.* Perez *s. 1. n. 5,* & Gobat *n. 637.*

Quintò, si conjugum uni, priorem 20.
suum vel alterius conjugem jam quidem mortuum, tempore tamen contracti matrimonii posterioris adhuc superstitẽ fuisse, certò innotescat, debitum à conjuge matrimonii posterioris exigere & exigenti reddere nequit, antequã posterius hoc matrimonium consensu per verba de præsenti ab utroque renovatô ratificatum, seu de novo contractum sit, ut Juris omnino certi & ratio clara est; quòd cùm posterius matrimonium, priori conjuge adhuc superstite initum, propter ligaminis impedimentum necdum sublatum, fuerit invalidum, *c. 1. c. Accepisti citt.* 21.
ut, impedimentô per prioris conjugis obitum sublatô, secundô matrimoniô invalidè copulati veri conjuges evadant, positô novô mutuóque consensu inter eos ante initum ratificari, seu de novo contrahi, necesse sit, ex mente D. Thomæ *in 4. dist. 40. q. unic. art. 4* & DD. aliorum, ut *Tit. 16. à n. 170* est declaratum.

Sextò, utroque tamen hoc casu, se- 22.
cundi matrimonii, in Ecclesiæ facie præviis denuntiationibus initi, nullitate detectâ, ex eo procreatæ proles in utroque foro legitimæ sunt, propter bonam fi-

dem u-

dem utriusque, vel saltem alterius parentis, cum impedimenti ignorantia matrimonium contrahentis: cujus bonam potiùs quàm alterius malam fidem quoad prolium legitimitatem attendi, favore liberorum Jura voluerunt, *c. Cùm inter 2. & c. Ex tenore 14. Qui fil. legit.* ad quam *Rubric.* hac de re ex instituto actum est *n. 7.*

ARTICULUS II.

De Nuptiarum Benedictione & Iteratione.

SUMMARIUM.

23. *Nuptiæ benedicuntur propter dignitatem Sacramenti &c.*
24. *Et sponsis, delegatione seclusâ, à proprio parocho,*
25. *Eóque sacerdotiô initiato impenduntur.*
26. *Gravi, non tamen omni culpâ vacat benedictionum omissio,*
27. *Et susceptio post matrimonii consummationem.*
28. *De Jure non iterantur, quoties eas sponsorum alter recepit.*
29. *Consuetudine iterantur, quoties eas alter non recepit.*
30. *Sacerdotis, eas in casu non licito impendentis, pœnæ.*

23. HArum nomine veniunt ceremoniæ & precationes sacræ atque oblationes in solennitate nuptiarum adhiberi solitæ, *can. 1. pr. 30. q. 5.* cùm propter dignitatem Sacramenti: tum; ut ad sobolis procreationem ordinati actus conjugales debito fine modóque peragantur: quarum usus cùm ad ipsius Domini Dei, humani generis Protoparentes in voluptatis adhuc innocentis Paradiso benedicentis, exemplum in Ecclesia introductus, & usu antiquissimo receptus sit, adversus Novatores ejus impugnatores à S. Synodo Tridentina vindicatur *Sess. 24. de Sacram. Matrim.* cujus *Canon. XI.* est, *Si quis dixerit &c. aut nuptiarum benedictiones & alias cæremonias, quibus Ecclesia in illis utitur, damnaverit; Anathema sit.*

Sicut autem novissimô hujus S. Synodi Jure nuptiæ non nisi coram proprio alterius contrahentium parocho vel alio sacerdote de Ordinarii vel parochi licentia celebrandæ, juxta dicta *Tit. 3. à n. 20.* sic etiam nuptiales benedictiones ab iis duntaxat impendendæ sunt adeò; ut, *Si quis parochus vel alius sacerdos sive Regularis sive Secularis alterius parochiæ sponsos sine illorum parochi licentia matrimoniô conjungere aut benedicere ausus fuerit: ipso jure tam diu suspensus maneat, quamdiu ab Ordinario ejus parochi, qui matrimonio interesse debebat seu, à quo benedictio suscipienda erat, absolvatur,* nihil ei patrocinante consuetudine etiam immemoriali vel privilegio alterius, à quo conjugia solennizandi licentiam accepit, *Sess. cit. cap. 1. §. Quod si quis, de Ref. matrim.* quô decretô à suspensione triennali, juxta *c. fin. §. fin. de Clandest. desponsat.* per sententiam infligenda, recessum eáque inflicta est à Jure; ut hodie ipsô factô contrahatur, & ad arbitrium Episcopi, durationis tempus extendentis vel constringentis liget, ut cum Majolo *Lib. 3. de Irregularit. cap. 25. n. 12.* observat Sanchez *Lib. 3. de Matrim. disp. 48. n. 6.* qui, licet à sacerdote Regulari, alienæ parochiæ sponsorum matrimonia sine proprii parochi licentia solennizante, excommunicationem, *Clement. 1. de Privileg.* latam, etiam hodie incurri, censeat, à censura tamen suspensionis 24.

spensionis Jure lata ignorantem excusari, docet: dummodo ignorantia ita crassa non sit, ut à temeritate non excusetur; quòd S. Synodus utatur verbis, *Ausus fuerit*, denotantibus temeritatem.

25. Quantumvis autem contrahentium alterius proprius parochus ipsorum matrimoniis assistere & nuptialem benedictionem alteri sacerdoti committere valeat, etiamsi sacerdos non sit, juxta dicta *Tit. 3. n. 53.* illis tamen benedicere ipse nequit, nisi sacerdotali Ordine sit initiatus; quia nuptialis benedictio actus est Ordinis Sacerdotalis, sponsis inter Missarum solennia impendendus, Barbosa *in Trident. cap. 1. cit. n. 151.*

Easdem benedictiones in Ecclesia, & non quovis anni tempore saltem cum solennitate impertiendas, *Tit. 16. à n. 27.* est dictum.

26. Dubium nunc est primò de nuptialium benedictionum necessitate. Et eas quidem ad conjugii valorem minimè necessarias esse, convenit inter DD. *can. 1. pr. 30. q. 5.* quô absque eis conjugium legitimum esse, negatur, sic accipientes; ut benedictio ad plenum nuptiarum decorem seu solennitatem Ecclesiasticam, non ad substantiam, pertineat.

Dissentiunt autem de conjugii, illis prætermissis, initi honestate. Quidam enim cum Waldensi *de Sacram. cap. 133. n. 3.* earum omissionem graviter peccaminosam: alii ab omni culpa immunem esse, volunt cum Navarro *Manual. cap. 22. n. 83.* Illi ducuntur *can. 1. cit. can. Nullus 2. & can. Sponsus 5. q. cit.* quibus benedictiones nuptiales seriò præcipiuntur. Isti decretô Concilii Trident. sponsos ad earum receptionem solummodo hortantis *cap. 1. cit. §. Præterea.* Veriùs mediam viam tenent alii: & benedictionum omissionem, sicut gravi, sic non omni, culpâ vacare, existimant, cum Soto *in 4. dist. 28. q. & art. 2. §. Postrema*, Sanchez *Lib. 7. de Matrim. disp. 82. n. 6.* & Perez *disp. 43. de Matrim. s. 10. num. 4.* quòd non Sacramentum, sed Sacramentale duntaxat & minoris momenti sint, quàm Sacramentalia, ex Ecclesiæ præscripto præmitti solita Baptismo. Consentit Gobat, qui, licet pro benedictionum nuptialium retentione fortiter pugnandum, asserat; quòd sine aliquo fidelium scandalo vix possint prætermitti; atque idcirco fideles ad earum receptionem soleant compelli, omissionem tamen à gravi culpa absolvit *Experient. Tract. 10 n. 562.* quòd non sint res gravis: & de gravi obligatione, fideles ad earum receptionē urgente, non satis constet; cùm in earum omissione culpam non agnoverit Nicolaus I. *can. Nostrates 3. q. 1. cit.* & receptionem Tridentinum verbis, gravem obligationem non importantibus, solùm commendet *cap. 1. §. Præterea cit.* Unde

Infertur, non ab omni quidem, à 27. gravi tamen noxa immunem esse matrimonii consummationem ante benedictionis receptionem; quòd ita legitimus conjugii usus aliquô modô antevertatur contra intentionem Ecclesiæ, conjuges, ne ante benedictionem sacerdotalem in eadem domo cohabitent, hortantis, *§. Præterea cit.* non graviter præcipientis, *citt.* Sanchez *n. 6.* Perez *n. 7.* & Gobat *n. 562.*

Dubium secundò est, an benedi- 28. ctio sacerdotalis adhiberi etiam debeat aut valeat in nuptiis secundis. Qua in re variè sentiunt DD. Quidam enim benedictionem hujusmodi nuptiis, si justæ sint, perinde ut primis semper impertiendam, volunt, & Jura, eam adhiberi vetantia, exaudiunt de secundis nuptiis initis, dum primæ constant. Alii illam, etiam cum secundæ justæ sunt, generaliter ve-

liter vetitam, ajunt, ducti generalitate *c. 1. & c. Vir autem 3.* Quidam eam in solis nuptiis ex parte utriusque aut saltem ex parte fœminæ secundis non admittunt; propter defectum significationis Sacramenti in hujusmodi nuptiis repertum, ut videre est apud *cit.* Sanchez *à n. 11.* qui *n. 15.* benedictionis solam iterationem Jure vetitam, censet; ut quoties in primis sive uterque sive alter tantùm sponsus illam iam recepit, adhiberi nequeat in secundis. Moventur *c. Vir autem cit.* relatô Urbani III. rescriptô, *Vir autem vel mulier ad bigamiam transiens non debet à presbytero benedici; quia cum alia vice benedicti sint, eorum benedictio iterari non debet:* quibus verbis cavetur; ne benedictio in utroque vel altero in primis nuptiis jam recepta repetatur; cùm enim neuter absque altero benedici valeat, in unum collata benedictio in altero contra veterem morem Ecclesiæ (sicut Abbatum, Abbatissarum, Virginum, sic & conjugum benedictionem non repetentis) iteratur. Unde secundarum nuptiarum benedictio inhibita fuit, quoties ea sponsorum uni impensa jam fuit.

Neque ita periculum est, ne alter careat omni benedictione; quia uni jam impensa alteri communicatur, Panorm. *in c. Vir autem cit. n. 3. ubi* Alexand. de Nevo *n. 4.* Fagnanus *n. 6.* & Pirrhing *ad hanc Rubr. n. 13.*

29. Sed licet hæc de Jure ita sint, ex consuetudine tamen benedictio Sacerdotalis secundis nuptiis passim impenditur, quoties ea à sponsa, & alicubi etiam à sponso, antè recepta non fuit; ut eô solùm casu omittatur, quô ea ante recepta jam fuit ab utroque, *citt.* Perez *n. 2.* Gobat *n. 564.* & Pirring *n. 15.*

30. Dubium tertiò est de pœna sacerdotis, secundò nubentibus benedictionem in casu prohibito impendentis. Ratio dubitandi est; quòd hoc ausus sacerdos ab officio & beneficio suspendi & pro absolutione ad sedem Apostolicam remitti jussus sit *c. 1. cit.* Unde hujusmodi suspensionem per sententiam quidem infligendam, sed, postquam inflicta est, reservatam & illius pœnam ordinariam esse, existimant Sylvester *V. Nuptiæ q. 1.* Clarus §. *fin. q. 75. n. 2.* & Paludanus *in 4. dist. 42. q. 3. art. 1. n. 8.* Sed meliùs cum *citt.* Panormit. *n. 5.* Alex. de Nevo *n. 5.* & aliis hoc negant Menoch. *de Arbitr. casu 417. n. 8.* Bern. Diaz *Practic. cap. 74. n. 2.* & *cit.* Sanchez *n. 30.* quòd commensurata non sit delicto; cùm secundis nuptiis legitimè initis benedictionem impertientis delictum, scandalô & similibus circumstantiis seclusis, non videatur grave; ejusmodi autem suspensionis reservatæ pœna gravis sit; ac proinde ob secundarum nuptiarum benedictionem regulariter nequeat infligi: & *c. 1. cit.* inflicta sacerdoti sit vel; quòd secundis nuptiis benedictionem impertiverit ante primarum dissolutionem: vel propter speciales circumstantias delictum aggravantes. Unde DD. *citt.* sacerdotis, eô, de quo agimus, casu nuptias benedicentis punitionem arbitrio judicis, eam pro circumstantiarum varietate temperantis, permittunt.

ARTICULUS III.

De Secundarum Nuptiarum Pœnis.

SUMMARIUM.

31. *Vidua, secundò nubens, Jure Civili variè punitur.*
32. *Amittit proprietatem sibi relictorum à primo viro.*

33. *Secundo plus, quàm uni liberorum, non relinquit.*
34. *Amittit tutelam liberorum,*
35. *Eorúmque educationem,*
36. *Cum privilegiis honoris viri defuncti.*
37. *Quæ locum habent etiam de Jure Canonico.*
38. *Nubens intra annum luctûs fit infamis,*
39. *Plus parte tertiâ bonorum in maritum non transfert,*
40. *Non consequitur ab alio sibi relicta ultimâ voluntate,*
41. *A viro defuncto in se collata amittit,*
42. *Et intestatis consanguineis ultra tertium gradum non succedit.*
43. *Ex quibus pœnis infamia sublata est Jure Canonico:*
44. *Quô ceteras pœnas intactas, aliqui volunt.*
45. *Meliùs, eas quoque sublatas, alii affirmant;*
46. *Quod eas afficiat Juris ratio,*
47. *Etsi textu sola infamia exprimatur.*

31. COnjuge vitâ functo, nuptiæ à superstite iterari Jure quidem permittuntur: at minùs quàm primæ commendantur, *can. De illis 7. &c. q. 1.* &, si ita festinatæ sint; ut intra luctûs annum, à die obitûs viri prioris computandum, eúmque non decimestrem tantùm seu Lunarem, ut olim *arg. l. Liberorum 11. §. ff. de His, qui infam. not.* sed integrum seu plenâ mensium exactorum dodecade constantem, *l. Si qua 2. C. de Secund. nupt.* à vidua ineantur, plurimùm exosæ, & obnoxiæ sunt Jure Imperiali constitutis variis pœnis: quarum tamen non omnes finem eundem, sed quædam liberorum, ex priori matrimonio susceptorum, duntaxat favorem & utilitatem: aliæ verò præmaturi & inconsulti ad secunda vota transitûs odium ac punitionem spectant.

32. Prioris thori liberorum favore Primò vidua, etiam post annum luctûs, ad secundas nuptias transiens, amittit proprietatem omnium bonorum, quæ sponsalium, nuptiarum, mortis causâ donationis, institutionis, legati, fideicommissi titulô à priori viro consecuta est: quorum proin, proprietate prioris matrimonii liberis reservatâ, ipsa usumfructum duntaxat habet, *l. Fœminæ 3. l. Hâc Edictali 6. §. 1. C. hâc Rubric.* Eadem mariti ratio est; nam & is, si secundam ducat, eorum, quæ demortuæ uxoris liberalitate accepit, proprietatem reservare tenetur liberis, ex ea procreatis, *l. Generaliter 5. pr. & §. 1. C. Rubr. cit. & Novell. 22. cap. 23.* quia favor liberorum æquè in patre ac matre procedit, Bartol. *in l. Fœminæ cit. pr. n. 2.* Anchoranus *in c. fin. n. 8.* Covarruvias *p. 2. de Sponsal. cap. 3. §. 9. n. 7.* & Sanchez *Lib. 7. de Matrim. disp. 89. n. 10.*

33. Secundò, eadem mulier viro superstes, susceptis ex eo liberis, secundas nuptias contrahens ex bonis suis secundo conjugi ullô titulô, sive inter vivos sive ultimâ voluntate, relinquere plus non potest, quàm uni ex liberis prioris matrimonii: &, si hi non æquis portionibus instituti sint, quàm illi, cui minimum, non tamen minùs legitimâ relinquit; ut, si prioris thori tres liberi sint, eorúmque primo quadringenta, alteri trecenta & tertio ducenta reliquit, totidem solummodo, quot postremo huic, relinquere valeat marito, *l. Hâc Edictali cit. pr. V. Sin autem, & l. Cùm apertissimè 10. pr. C. hâc Rubr.* Quod providè constitutum est; ne insano novi conjugis amore capta, vg. mulier, plerasque facultates in

tates in eum effundat, Gloſſa *in l. Hâc Edictali cit. V. Dividi*, Alexand. de Nevo *in c. fin. cit. n. 8.* & *cit.* Sanchez *diſp. 88. n. 3.*

34. Tertiò, mater, primis nuptiis diſſolutis, ſecundas etiam poſt annum luctûs iniens amittit liberorum tutelam, *l. Matres 2. Auth. Sacramenta C. Rubr. cit. & l. fin. C. Quando mulier offic. tut.* & curatelam, *arg. l. Quod ſi nolit 31. §. 14. ff. de Ædilit. Edict.* ut ea, etiam novò maritò mortuô, non recuperetur, Salycet. *in Auth. cit. n. 5.* Tiraquell. *de Ceſſante cauſa limit. 12. à n. 8.* & Perez *in l. Quando mul. off. tut. n. 3.* Eadem, ſi ad ſecunda vota, inſuper habitâ eorum renuntiatione, tranſierit: & nec judice aditô, filiis tutorem dari petierit, nec ſuſceptæ tutelæ reddiderit rationẽ, ex eâque debitum omne exſoluerit, incidit in omnes pœnas, Jure impoſitas mulieribus, nubentibus intra annum luctûs, *Auth. Iisdem, C. hâc Rubr. & Novell. 22. cap. 40. V. Ideóque*, Salycet. *in Auth. cit. in fine* & *cit.* Sanchez *n. 13.*

35. Quartò, licet pupillorum educatio nulli magis quàm matri committenda ſit, vitricô tamen novis nuptiis ſuperinductô, ab ea ſeparati apud aliam perſonam ſunt educandi, *l. 1. C. Ubi pupill. educ. deb. & Novell. cit. cap. 38.* Niſi matri, etiam novo viro copulatæ, educationem loci ſtatutum aut mores permittant, Perez *in C. cit. Rubr. n. 5.* Bruneman. *in l. 1. cit. n. 7.*

36. Quintò, vidua ipsô ad ſecundas, inferioris conditionis, nuptias tranſitu amittit ad hunc uſq; retenta privilegia honoris & immunitatis mariti prioris, *l. fin. C. de Bonis matern. & l. Filii 22. §. 1. ff. ad Municip.* quòd non ampliùs ſub priori, ſed ſub ſuperinducto conjugio cenſeatur, Tiraquell. *de Nobilit. cap. 18. n. 9.* & *cit.* Sanchez *n. 31.*

Has & quasdam alias nuptiarum, etiam poſt luctûs annum, iteratarum pœnas Jure Canonico ſublatas, *in c. Eccleſia 10. de Conſtitut.* rati ſunt Panormit. *n. 15.* Felinus *n. 56. declarat. 1.* & Decius *n. 125.* quòd conjugia ineundi facultatem, quam *c. Super 4. & c. fin. citt.* Jus expeditam eſſe voluit, eâ, quam intentant, jacturæ cominatione infringant. Sed hoc leve eſt; quia memoratæ pœnæ, ſi accuratiùs ponderentur, ex primario fine & Legislatorum intentione non ſecundarum nuptiarum odiô inductæ: &, licet ita nominentur, propriè tamen non ſunt pœnæ, ſed legales quædam Juríque & Æquitati naturali maximè conſentaneæ diſpoſitiones, providentes indemnitati & incolumitati liberorum thori prioris, quibus iteratæ matrum nuptiæ damnoſæ & infauſtæ eſſe ſolent. Accedit; quòd viduam non, ut pœnæ propriè dictæ, privent bonis propriis & quæſitis abſolutè, ſed ſolummodo lucrô, ex mariti facultatibus proveniente, eáque conditione delatô; ut reſervetur liberis, ſuſceptis ex marito defuncto, cujus laboribus id eſt partum: & non convertatur in utilitatem vitrici, iſtiúsque liberorum. 37.

Quare meliori ratione & multò frequentiori Interpp. ac DD. calculô mulierem binubam relatis pœnis in utroque foro obnoxiam eſſe, rectiùs defendunt Covarruvias *p. 2. de Sponſal. cap. 3. §. 9. n. 5.* Sarmiento *Lib. 1. Select. cap. 5 n. 4.* Guttierez *de Matrim. cap. 108. à n. 21.* Sanchez *cit. diſp. 88. n. 39.* Oliva *de Foro Eccleſ. p. 1. q. 43. n. 22.* Haunold. *Tom. 1. de I. & I. Tract. 4. n. 504.* & Barboſa *in c. fin. cit. n. 3.* quòd legibus, pœnas illas inducentibus, ullo textu Canonico non ſit derogatum. Imò, *l. Matres cit.* conſtituta tutelæ amiſſio *c. Ex parte 67. de Appellat.* approbata ſit à Gregorio IX. illam à matre binuba amiſ-

sam, apertè supponente, ut *ibi* præter alios notant Barbosa & Gonzalez uterque *n. 3.* Cæteris autem legibus ac pœnis relatis derogandum, non suaserit ulla ratio; cùm ratione nitantur justissimâ, & à legitima potestate sint constitutæ: dúmque consulunt liberis, secunda matrum vota non damnent aut plectant proprii patrimonii ademptione, sed solummodo lucra, sub conditione delata, negent.

38. Posterioris generis, sive in secundarum nuptiarum, à vidua intra annum luctûs initarum, odium quinque pœnæ Civili Jure proditæ sunt. Prima est infamia, *l. 1. l. Liberorum 11. ff. & l. Decretô 15. C. de His, qui infam. not.* quam illa præmaturè ad nuptias convolans, & vir eam ducens, ipso Jure contrahunt, *l. 1. C. hâc Rubr. & Novell. cit. cap. 22.* Neque interest; quòd mulier ex viro defuncto conceptam prolem ante nuptias illas in lucem ediderit; quia nihilominus elugere debet maritum, ob cuius memoriam & reverentiam quoque, non ob solam sanguinis turbationem, luctui annus est definitus, Perez *in C. Rubr. cit. n. 3.*

39. Secunda, plus tertiâ parte bonorum titulô dotis, vel per ultimam voluntatem in maritum transferre nequit, *l. 1. C. Rubr. cit.* Unde iste, licet hæres ex asse institutus ab uxore sit, bonorum partem solummodo tertiam consequetur: reliquæ hæredibus legitimis sive ab intestato venientibus addicentur; ut adeò hôc casu uxor partim testata, partim intestata decedat; ut *in l. 1. cit.* cum Bartolo *n. 1.* Baldóque *n. 10.* notat Bruneman. *n. 11.*

40. Tertia, festinatis illis nuptiis mulier incapax redditur cujuscunque hæreditatis, legati, fideicommissi & donationis mortis causâ ab alio quàm à viro assequendæ, *l. 1. cit. V. Omnium, & cit. cap. 21.* ut proinde, quidquid ei fuerit relictum, id vel hæredibus scriptis vel cohæredibus, vel ab intestato venientibus sit applicandum. Scriptis sive testamentariis hæredibus, si ei quidpiam sit legatum vel mortis causâ donatum. Cohæredibus, si mulieri, hæredi instituta, additi sint cohæredes. Ab intestato venientibus, si ea ex asse fuit instituta, *l. cit. V. Hæc namque*, Glossa *in l. 1. cit. V. Relictorum*, & alii apud *cit.* Sanchez *disp. 87. n. 7.*

41. Quarta, eadem amittit omnia, à priori viro titulô hæreditatis, legati, fideicommissi, donationis mortis causâ, vel propter nuptias sibi relicta, *l. 1. cit. V. Hìc etiam & l. Si quæ 2. C. hâc Rubr.* quæ viri illius consanguineis, primô & secundô gradu conjunctis, secundum modum succedendi ab intestato, addicuntur, hisque deficientibus, fisco cedunt, *V. cit. ubi* Glossa *V. Supremæ*, & alii apud *cit.* Sanchez *num. 10.*

42. Quinta, eadem ab intestato non succedit consanguineis suis ultra tertium gradum, *l. 1. cit. V. Eadem*; ac proinde nec filio fratris; quòd ei quartô gradu conjuncta sit secundùm Juris Civilis computationem, quæ in Civilibus & successionibus observatur, *can. Ad sedem 35. q. 5.* & Bald. *in l. 1 cit. n. 8.* & Decius *n. 20.*

43. De pœnarum hactenus relatarum quinario dubium & ingens controversia inter DD. magnô numerô in utramque partem militantes est, an ei locus sit de Jure Canonico. Et infamiam quidem à vidua præmaturè nubente, & à viro eam intra luctûs annum ducente, Jure isto non incurri, liquet ex *c. Super illa 4. & c. fin.* quô textu utroque leges Imperiales, eam statuentes, à SS. Pontificibus, Urbano & Innocentio utroque ejus nominis III. correctas, iisque inductam infamiæ notam in Seculari etiam foro non observandam, Orthodoxorum DD. plerorumque unanimis est sensus; quòd, ut *c. fin. cit.* Innocentius ait, *In hìs*, spiritualibus & animæ periculum

periculum concernentibus causis, ut fidelium nuptiæ etiam secundæ sunt, *Seculares Leges*, & judices, *non dedignentur sacros Canones imitari.*

44. Dissensio autem inter eos est de reliquis pœnis; eas enim *cc. citt.* non sublatas, & à muliere intra annum luctûs nubente hæreditates, legata, fideicommissa & mortis causâ donationes hodiéque amitti, cum Cyno *in l. 1. cit. in fine* & Baldo *n. 7.* sustinent Scipio Gentilis *de Secundu nupt. cap. 18.* Mancinus *Lib. 2. Genial. cap. 140.* Oliva *cit. p. 1. q. 42. n. 10. & 33.* & Barbosa in *Addit. ad c. fin. cit. n. 5.* Moventur primò; quòd dictæ leges isque proditæ pœnæ omnes consentaneæ sint decretis Conciliorum, Neo-Cæsareensis relati *can. De bis 31. q. 1.* & Leodicensis *can. 1.* iteratò nubentibus pœnitentiam imponi præcipientium. Secundò; quòd eædem consonæ sint rationi naturali, honestati publicæ & Apostolico consilio. Rationi; quia ad turbationem confusionémque sanguinis & patris incertitudinem tollendâ tendunt. Honestati; quia festinatæ nuptiæ mulierem suspectam faciunt de incontinentia, & ante tempus admissa cogitatione futurarum nuptiarum: de oblivione, irreverentia & ingratitudine in priorem maritum, ut explicat Gonzalez *in c. fin. n. 3.* Consilio Apostoli, viduitatem apertè suadentis; cùm de vidua, *Beatior*, inquit, *est, si sic* in viduitate *permanserit secundùm consilium meum 1.* Corinth. *cap. 7. V. 40.* ad quod amplectendum lucrorum, tanquam continentiæ præmii, spe invitant. Tertiò; quòd ex una, *cc. citt.* textus uterque expressam infamiæ, nullam verò mentionem faciat alterius, & præsertim amissionis lucrorum pœnæ; ac proinde utriusque dispositio ad hanc aliásque similes pœnas non sit extendenda; cùm, quòd casus omissus relinqui censeatur sub dispositione Juris antiqui, *arg. l. Præcipimus 32. in fine C. de Appellat.* præsertim, si notabilis sit materia, de qua agit lex; *Ea enim*, inquit, JCT.^9, *quæ notabiliter fiunt, nisi specialiter notentur, videntur quasi neglecta*, & *l. Item apud 15. §. 26. ff. de Injuriis*; tum verò; quòd correctoria sit Juris Civilis; ac proinde impatiens extensionis ad non expressa, ob solam identitatem rationis, *arg. l. Præcipimus cit. c. Cùm expediat 29. de Elect. & Reg. Quæ à Jure 28. in 6.* ut *Lib. 1. tit. 2. num. 135.* est dictum.

45. Nihilominus alii DD. à *citt.* Covarruvia *cap. 3. §. 9. n. 5.* Guttierez *de Matrim. cap. 108. n. 3.* Sanchez *disp. 87. n. 23.* & Gonzalez *n. 9. in fine*, maximô numerô congesti, cũ infamia cæteras quoq; pœnas *c. Super & c. fin. citt.* sublatas; ac proinde, à mulieribus, intra annum luctûs nubentibus, hodie eas non incurri, defendunt. Rationem tergeminam ipsi quoque reddunt. Primò; quia *cc. citt.* dispositio 46. principalis est; quòd, cùm secundæ nuptiæ propter Apostoli permissionem & Ecclesiæ approbationem vacent culpâ, & matrimonia debeant esse libera, infamiæ, istorum libertatem impedientis, pœna legalis debeat cessare. Quæ ratio cùm sicut huic, ita cæteris quoque pœnis obstet, *citt. cc.* dispositione hæ non minùs, quàm illa, sublatæ, eáque comprehensæ meritò censentur, per tradita ab Everardo *Legal. arg. locô 79. n. 20.* Secundò; quòd mulieribus viduis propter sexûs fragilitatem eíque facilè prævalentem libidinis vim ad gravia peccata & animæ pericula vitanda sæpe utilis & prope necessarius sit transitus ad secundas nuptias: quem ut expeditiorem redderet, Ecclesia, *cc. citt.* sustulit ejus impedimenta: cujusmodi cùm, sicut infamia, sic etiam incapacitas hæreditatis, legati &c. amissio sibi relictorum à marito &c. sint, hæ cum infa-


mia sublatæ censeri debent. Tertiò; quòd in matrimonio, sicut primo, sic etiam secundo, cùm Sacramentum & res spiritualis sit, Ecclesiæ potiùs, quàm Imperialium constitutionum dispositio sit attendenda, per textum & Glossam *c. fin.* ibi *In his præsertim &c.* ac proinde, cùm secundas nuptias Ecclesia cum Apostolo *c. Super cit.* aliisque locis, *n. 1.* relatis, licitas & expeditas esse voluerit *c. fin. cit.* cessare cum infamia necesse sit cæteras pœnas, secundarum nuptiarum odiô constitutas; quòd matrimonii libertatem non minùs quam infamia lædant.

Neque aliud evincunt allata in contrarium. Primum; quia allegatis Conciliis iteratò nubentibus pœnitentia decernitur, non; quòd ejusmodi nuptiæ illicitæ sint & peccaminosæ: sed propter peccata antecedentia & concupiscentiam nimiàmque intemperantiam, cujus indicia sunt & justam suspicionem præbent, ut in *can. de Hii cit.* Barbosa *n. 4.* & Gonzalez *in c. fin. cit. n. 13.* observant.


Secundum; quia, esto ex una parte leges Civiles ex fine suo honestæ sint: ex altera tamen, non consulunt saluti mulierum, quibus eæ non rarò sunt occasio fornicationis, Canisius *in c. fin. cit. n. 2. in fine:* & impediunt libertatem matrimonii, permissi & approbati ab Ecclesia: cujus, non Secularis potestatis, est inducere impedimenta matrimoniorum, Gonzalez *l. cit. n. 8.*

Tertium; quia licet *cc. citt.* reliquæ 47.
pœnæ, sicut infamia, specificè non exprimantur, non obscurè tamen comprehenduntur eorum dispositione, ad secunda vota transeundi liberam facultatem concedente & jam antè concessam confirmante remotione pœnarum, quibus ea ineundi libertas constringebatur. Confirmatur; quia ex communi doctrina multorum, lege etiam correctoriâ casus specificè non expressos comprehendi docentium, quando in his militans ratio illâ est expressa: quam doctrinam cum Glossa *in Clement. 1. V. Eligatur, de Elect.* Jason *in Auth. Quas actiones, C. de SS. Ecclesiis n. 22.* aliisque tradunt Covarruvias *in c. Alma p. 2. §. 4. n. 7.* Gomez *Tom. 2. Variar. cap. 5. n. 11.* Guttierez *Can. Q. Q. Lib. 1. cap. 10. n. 3.* & Everardus *l. cit.*

Libri IV. Institutionum Canonicarum FINIS.


UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN


Th 4
4797
II


WIESTBER
Instit: Canon:
Lib IV